SAMUELIS WERENFELSII

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

EJUSDEMQUE IN ACADEMIA BASILIENSI PROFESSORIS,

OPUSCULA

THEOLOGICA, PHILOSOPHICA ET

PHILOLOGICA.

EDITIO ALTERA

Ab Auctore recognita, emendata & aucta.

TOMUS SECUNDUS.



LAUSANNÆ & GENEVÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & SOCIORUM.

MDCCXXXIX.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆS. & CATH. MAJESTATIS.

PETRUS RYHINERUS

ARTIS LOGICÆ PROFESS. P.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

PEtiit *à me Bibliopola, ut utrique Parti Opusculorum Venerandi* WERENFELSII *quædam præfigerem monenda. Cui petitioni quandoquidem deesse non potui, iterum mihi compellandus es*, Benevole Lector, *liberandaque tandem, quæ in Præfatione prioris Voluminis Tibi data est fides. Quapropter offero nunc Tibi alterum Auctoris lucubrationum Volumen, & ipsum quoque compluribus accessionibus auctum locupletatumque, adeo ut jam integram omnibusque numeris*

numeris absolutam eorum, quæ cum soluto tum ligato sermone latine scripsit, publicarique permisit Auctor, hic habeas Editionem. Prius vero quam Tibi singula quæ typis antea nondum exarata, huic Miscellaneorum Volumini adjecta sunt, recenseam; indicandum Tibi est, quare in collocandis suo quamlibet loco dissertationibus ab ordine, in novissima Editione servato paulisper recedere visum fuerit.

Continet videlicet Altera hæc Pars varii argumenti Miscellanea, *in duas Partes jam olim divisa, sed non eo ordine digesta, quem integer Libri titulus, qui præter* Theologica, Philosophica *quoque &* Philologica *promittit, exigere videbatur. Ea igitur, quæ ad* Philosophiam *stricte sic dictam pertinent, in Miscellaneorum Prima Parte jam Tibi exhibentur.* Philologica *vero & ad Eloquentiam, artemque Oratoriam spectantia, in alteram conjecimus Partem; quibus omnibus denique* Fasciculum *quoque* Epigrammatum *subjecimus.*

Præfationem, quam Miscellaneorum alteri Parti præmiserat Eximiæ Eruditionis Theologus JOH. LUDOV. FREY, *& in qua summi hujus Viri, de Auctoris philosophicis cogitatis invenies judicium, ob mutatam à nobis Dissertationum seriem, cum pristinum locum obtinere non potuerit; hanc, inquam, Præfationem, & quæ eam sequitur, Epistolam ab Auctore ad Reverend.* THEOD. GERNLERUM *scriptam, quæque ordine temporis illam præce-*

præcedere deberet, ut eam legenti apparebit, cum reliquiis Præfationibus Dedicationibusque conjungendas, & in limine statim Secundæ Partis collocandas esse duximus.

Dissertationem de Meteoris Orationis, *quæ, cum Diatribe* de Logomachiis Eruditorum, *in Editione Belgica, non tam ob materiæ affinitatem, quam ob utriusque Scripti adprobationem, quam in Orbe literato invenerunt, unum efficiebat Volumen, ad* Oratoria, *ubi verus est locus, conjecimus. Quid Auctorem de* Meteoris Orationis *curatius aliquid ad scribendum impulerit, si nosse cupis; Vir quidam celebris post lectam Dissertationem de Logomachiis Eruditorum, indignatus fere tantum temporis & otii, tam levi, ut existimabat, argumento in quo non tam* res, *quam* verba *expenderentur, impensum esse, monebat Auctorem, ut in re majoris, ut aiebat, momenti ingenium & stilum suum exercitaret, suadebatque in primis, ut de* Meteoris (*intelligebat phænomena aëria, atque adeo physicam poscebat Dissertationem*) *aliquid commentaretur, & in hoc quoque,* quid valeant humeri, quid ferre recusent, *ostenderet. Auctor, qui non* Physicam *sed* Eloquentiam *tum publice docebat, ne hujus Viri auctoritatem penitus subterfugere videretur, de* Meteoris *quidem, sed non iis, quæ in athmosphæra nostra regnare videmus, sed quæ hominum orationes sermonesque infestare solent, cogitata sua in publica disputatione ventilanda proposuit. Num hac in re Doctissimi*

Viri desiderio ex asse fecerit satis, Tibi dijudicandum relinquo. Certe docuit post modum eventus, Rempublicam literariam docti alioquin Viri judicio non omnino subscripsisse; hancque ipsam Dissertationem de Logomachiis Eruditorum Auctori non parvam nominis celebritatem conciliasse.

Sed ne diutius Te, Lect. Ben. *detineam, exponam Tibi paucis verbis, quid alteri huic Volumini, ex schedis diu in pulvere latentibus excerptum, in nova hac Opusculorum Auctoris nostri Editione accesserit.*

Inter Philosophica primo loco reperies Appendicem ad Vindicias, *quas Auctor pro* Judicio suo de argumento Cartesii pro existentia Dei *scripserat. In his paginis sensus hujus propositionis :* Deus existit, *accurate determinatur, ostenditurque eos, qui argumento* Cartesii *tantum tribuunt, ne quidem recte, quid probandum sit, intellexisse.*

Sequitur Prælectio, in qua stultitia Atheismum profitentium *demonstratur, atque inter alia examinatur quæstio; utrum superstitio, an Atheismus hominum societati plus noceat. Invenient hic athei, quo cristas minime sibi tollendas esse convincentur; nec amplius, si dicta hic rite ponderare dignantur, homines religioni addictos, ut credulam & ineptam plebem traducent, quin potius semet ipsos præ aliis omnibus mentis judiciique* ἀῤῥωστία *laborare sentient.*

Tertio

Tertio *videbis integram fere Dissertationem* de existentia Dei, *non quidem ad prælum elaboratam, sed in gratiam Studiosorum tumultuarie satis conscriptam, in qua cum argumenta, quæ vulgo afferuntur, ad existentiam Dei probandam, dilucide proponuntur, variisque observationibus illustrantur, tum quoque nova & specialia his adduntur, hucusque vel omissa prorsus, vel sub alia forma à Philosophis pariter ac Theologis proposita; refutantur quoque præcipuæ Atheorum de origine mundi hypotheses.*

Equidem vix consensus Auctoris, publici juris ut ista fierent, obtineri potuit, tum quia haud adeo multa ab aliis indicta in hoc scripto leguntur, tum vero in primis, quod ex eo tempore, quo hæc exarata sunt, præclara innumera de hoc argumento in lucem prodierunt, ut nihil jam amplius in hac materia desiderandum esse videatur; quibus omnibus quoque accedit, quod prælectiones ordinariæ, ubi magis, ut ab auditoribus non admodum doctis intelligeretur, quam ut erudito placeret Orbi, sollicitus erat Auctor, publicæ ut exponerentur luci, vix mereri videbantur. Prævaluit tandem apud Auctorem summum veritatis, quæ in his prælectionum reliquiis demonstratur, momentum, & vel millies repetitæ lectionis, etsi eadem prorsus dicerentur, utilitas. Consensit itaque, ut & hæc Opusculis suis insererentur. Fragmenta tantum hic Tibi damus, non continuam prælectionum seriem,

 eaque

eaque non sine labore in ordinem redacta, capitibusque distincta. Ceterum si non aliud fere hic, nisi aliorum cogitata, paulo clarius, quam vulgo fieri solet, menti tuæ oblata, invenires, non esset, quod hæc Te legisse pœniteret.

In quarto *additamento respondetur ad quæstionem:* Num Theologia sit Theoretica, an mere Practica, an Theoretico Practica? *Hanc quæstionem si miraberis ab Auctore in lectionibus tractatam, & nunc publici juris factam, videbis & tales quæstiunculas, alias nullius momenti, in quæstiones graves & utiles converti potuisse.*

Fragmentum istud excipit aliud, pariter ex lectionibus excerptum, in quo examinatur quæstio: Utrum habitus Theologiæ, qui debet esse in Ministro Ecclesiæ, an qui esse debet in Doctore Academico, plura requirat? *Disces hic, quam ardua provincia sit, Sacro in Ecclesia Ministerio defungi; & quanto opere, qui ad hoc munus adspirant, se ipsos excutere, & num necessariis ad tam grave ministerium cum corporis tum ingenii Deoque devoti in primis animi, instructi sint dotibus, expendere debeant.*

His subjungitur Dialogus de concursu Dei cum creaturis; *in quo, quid diversis Theologorum de hoc argumento opinionibus ortum dederit, distincte explanatur, simulque concursus* prævius *uti vocatur, sive dogma*

ma de physica prædeterminatione *indirecte quidem, sed invictis tamen argumentis refutatur.*

Huic Dialogo ob materiæ affinitatem addimus Dissertationem de hominis libertate; *ubi qualis libertas in homine sit necessaria, ut actiones ipsi possint imputari ostenditur. Si tibi promitterem, doctrinam de libertate humana, satis alias intricatam, planius & distinctius, addere non dubito solidius, hic esse propositam explicatamque, quam vulgo à Philosophis & Theologis id fieri solet, nihil dixerim, quod non ipsemet, adhibita modo ea quæ hic poscitur attentione, facile agnoscas.*

Paucis illis Thesibus de primo hominis lapsu *ansam dedit scrupulus illorum, qui concipere non possunt, quomodo primi parentes, in statu integritatis tam perfecto, labi potuerint.*

Monitum ad scrupulum de Prædestinatione, *quod in primo Opusculorum Volumine huic adjici non necessarium putabat Auctor, postquam ad animum revocavit, non minus hoc, quam ipsum de Prædestinatione scrupulum, in multorum hominum versari manibus, & hunc quoque fœtum pro suo publice agnoscere non dubitavit; ne scilicet haberet Bibliopola, quod conquereretur, non omnia Auctoris scripta ad novam hanc Editionem sibi esse transmissa, cujus tamen rei plenam ipsi dederamus fidem.*

Denique

Denique quem finem sibi propositum habuerit Auctor, cum Dissertationem, quæ sequitur de privata peccatorum confessione *meditabatur, & cujus hic Tibi damus initium & integram σκιαγραφίαν, quæ novissima prima hujus Miscellaneorum Partis est accessio, ipsemet ex hujus lectione conjicies.*

Quod si forte mirum quibusdam videbitur, ista inter Miscellanea esse posita, tametsi non tam ad Philosophica, quam ad Theologica pertinere, & in primo horum Opusculorum Tomo jure locum sibi vindicare videantur, hi perpendant, maximam additamentorum hactenus à nobis recensitorum partem, talia continere, quæ non tam ex S. Scriptura quam ex sanæ rationis principiis ab Auctore sunt decisa, quæque adeo ad Theologiam *potius* Naturalem, *quæ & ipsa pars est Philosophiæ, quam ad Theologiam revelatam referenda sunt. Cui hæc ratio non satisfacit, nihil habebit quod regerat, si tempore, quo primum Volumen prælum exercuit, ista vel adhuc non inventa, vel ut typis excuderentur non destinata, vel denique Typographo nondum rite præparata fuisse, lectori confirmamus.*

In altera Miscellaneorum Parte primum *locum occupat Libellus itidem ex fragmentis lectionum publicarum, ab Auctore cum Vet. Testam. esset Professor, habitarum collectus, & quantum fieri potuit, in aliquem redactus ordinem, capitibusque pro argumenti diversitate distinctus, præfixo titulo:* Prælectiones Hermeneuticæ sive de

arte

arte interpretandi S. Scripturam. *Invenies hic regulas non tantum Interpreti Sacrarum Literarum observandas, sed & omnibus, qui in aliorum scriptis interpretandis felici successu versari cupiunt, perquam utiles & necessarias. Varia hic leguntur de S. Scripturæ linguis, ut vocant, originalibus, observationes; examinatur an & quousque linguarum cognitio S. Scripturæ Interpreti sit necessaria, & quæ hujus generis sunt alia.*

Inter Philologica *regulas istas* hermeneuticas *merito locum sibi poscere, nemo negaverit. Sed quod statim post Secundæ Partis frontispicium ista videas, cum tamen, ut præfatiuncula his prælectionibus præfixa te docet, stilo non sollicite elaborato, sint conscripta, negligenterque, ut ipse Auctor ait, in chartam conjecta, non alia caussa est, quam ne ad Theologiam pertinentia, hujusque studiosis potissimum inservientia nimio intervallo sejungerentur.*

Ceterum maluit Auctor discipulos suos aptos reddere, ut ipsimet Scripturam S. proprio marte interpretari, & verum cujusque loci sensum indagare, aliorumque interpretationes ad certas regulas expendere possent, quam in selectis quibusdam Vet. Testamenti textibus, uti provincia ipsi demandata exigere videbatur, interpretandis unice occupari, quemadmodum in limine statim harum prælectionum auditores suos ipse monuit.

Dissertationibus & Orationibus jam antea excusis additam hic cernis Orationem de Fide Hæreticis servanda, *in qua demonstratur, non injuriam fieri Ecclesiæ, Romanæ, quando dicitur, hujus contrarium sæpius ejus & doctrinam & praxim ostendisse. Qui serio secum reputat, quantopere perniciosum istud dogma, & ex hoc sequens praxis, persecutoribus inserviat, non mirabitur Auctorem, cujus omnia fere scripta ad Pacem inter Christianos conciliandam fovendamque tendunt, quique nihil prorsus, quod persecutionem vel leviter redolet, ferre potest; fraudes & stratagemata hominum religionis prætextu ad crudelissimas persecutiones abutentium, detegere, vividisque describere coloribus.*

Quæ hanc excipit Oratio, de vera Studiosi Academici Libertate, *recitata ab Auctore cum primum in Academia notra Rectoratum auspicaretur, Studiosos docebit distinguere, inter veram hominis studia in Universitate aliqua tractantis libertatem, huicque libertati annexa Privilegia, & effrenem morum, quæ in Academiis sæpe regnat, licentiam.*

Denique cum inter varia Programmata invitatoria, tum ad Promotiones publicas, tum ad solennes Studiosorum declamationes, ab Auctore, cum Eloquentiæ Professoris munere fungeretur, composita, nobis aliquod occurreret, in quo stimulum veræ gloriæ non contemnendum esse *demonstratur; Hoc Programma, una cum*

brevi

brevi Oratiuncula, in Promotione publica Laureatorum, & Artium Magistrorum ante Candidatorum Renuntiationem pro more in Academia recepto, recitata, in qua idem argumentum ulterius prosequitur Auctor, legentibus nec inutile nec injucundum fore speravimus. Quomodo ea quæ hic dicuntur de gloria, cum iis, quæ passim in hoc Libro, Theologicis inprimis dissertationibus leguntur, concilianda sint, ab ipso Auctore paucis lineis sub finem adjectis edoceberis.

Promotiones vero integras, quales complures habuit Auctor cum ad Artium Magistros, tum vero inprimis ad S.S. Theologiæ Doctores creandos, cum præter cerimonias, nemini fere ignotas, vix quicquam contineant, inter Scripta sua typis mandata comparere noluit.

Opuscula tandem ista claudit Fasciculus Epigrammatum plus quam quinquaginta Epigrammatibus auctus & locupletatus, cum præfixa nova Præfatione ab Auctore nunc demum composita, quæ te docebit, non omnia Poëmata eundem requirere stilum, simulque ex ea cognosces, quid Auctorem moverit subinde Epigrammata conscribere, &, ut cum scriptis suis ederentur, permittere.

Quibus omnibus additus quoque est rerum præcipuarum verborumque Index non minus copiosus, quam quem ad primi Voluminis calcem adjectum invenisti.

Habes igitur jam omnia Venerandi WERENFELSII

Opera latino sermone exarata, quorum pleraque jam olim non tam Orbi Erudito, quam in Studiosorum gratiam scripta sunt, & quæ nunc Auctor publica luce donari non prohibuit. Possem Tibi, Lector Benevole, *complura alia, integra partim, partim fragmenta omnis generis, ex schedis truncatis & vetustate tantum non obliteratis, excerpta adhuc offerre, quæ forsan utilitate sua non carerent, aliisque ansam dare possent, de variis argumentis cogitandi, & industriam pariter ac ingenium exercendi. Sed huic labori supersedere jussus ab ipso Auctore, cujus refragari auctoritati nec potui nec debui; malo Te ad hæc diligentius evolvenda remittere, quam diutius morari. Vale iterum,* L. B. *Scribebam Basileæ ipsis Calendis Martiis, Anni* MDCCXXXIX.

INDEX

INDEX DISSERTATIONUM

In Secundo VOLUMINE *contentarum.*

MISCELLANEORUM PARS PRIMA.

MISCELLANEORUM PARS ALTERA.

LECTO-

LECTORI S.

JOH. LUDOVICUS FREY,

S. TH. D. & PROF. BASIL.

HABES hic, Benevole Lector, reliquam partem Dissertationum Philosophicarum Vener. & Celeb. WERENFELSII nostri. Nonnullas dum Philosophiam & Literas Humaniores doceret, ipse olim ad disputandum propositas publicaverat, aliæ hucusque lucem non vidêre. Maxima pars jam ante quatuor lustra, nonnullæ etiam ante septem conscriptæ fuerant. Quod ideò monendum duxi, ne forte existimes, nihil plane in his Lucubrationibus inveniri, quod cum Cogitationibus, quas in præsentia habet Auctor, non ad amussim conveniat. Ab eo tempore, quo hæc elucubrata fuere, facies Philosophiæ nonnihil mutata est, & varia quæ tum recepta fuerant dogmata, diligentius & accuratius interea excussa, locum cessere aliis. Quid mirum ergò, si in nonnullis mentem etiam mutavit Celeb. Auctor noster? cum nemo ignoret

ignoret, discipulum prioris esse posteriorem diem, neminique veritatis studioso contingat esse tam felici, ut eundem semper ab initio studiorum ad finem usque opinionum omnium servet tenorem. Quid ergò, dices, nunc demum in publicum protruduntur, quæ antiquata videri possunt, quæque olim majori cum gratia Orbi exposita fuissent? quin potiùs jam declaret, quid in præsentia sentiat Auctor, non quid olim senserit. Verum, ô bone, nescis quod fuerit fatum horum scriptorum. Non olim hæc scripserat Auctor, ut in Theatrum Orbis eruditi producerentur, quamvis luce publica fuerint dignissima, nedum ut hodie demum prodirent: discipulis hæc aut Amicis, forte hæc rogantibus, elaboravit, & nonnulla pro more in Academiis recepto, sub forma Disputationum typis excudi curavit. Interea Cathedræ Theologicæ præfectus, animum ab his cogitationibus tantum non prorsus avertit, & ad sublimiora transtulit studia, unice in hoc intentus, ut cognitionem illius veritatis, quæ est secundum Pietatem, Auditoribus suis, quantâ posset efficacia, inculcaret & promoveret. Quin tam parum hæc curavit, ut identidem flagitantibus Editionem Viris amicis & doctis, nunquam non pertinaciter satis denegaret, hujusque suæ recusationis modo hanc, modo illam, diceret caussam. Utut verò asper & sævus in proprium fœtum fuerit Parens ejus, tam durus in se, quam est benignus in alios, non existimavimus, nos ad idem crudelitatis genus obligari: verùm illum, quem jam ad tenebras damnaverat, tollere partum, & in lucem producere omni ope, conferentibus undiquaque Amicis, connisi sumus. Quâ in re, si non Auctori, Tibi certe, Lector, rem nos pergratam facturos arbitrati sumus, nihilque magis veremur, quam ne id ipsum succenseas, quod non prius has cogitationes susceperimus. Vides enim hîc Philosophum, non elato supercilio tumidum, & pro imperio sua obtrudentem dogmata: sed modestum & moderatum, qui ita tenuiter de se sentit, ut, cum aperta veritas ipsi jure fiduciam ingenerare posset, ideo tantum hæsitare videatur, quia ipse, non alius, veritatem invenit. Vides Philosophum, non atra nube res suas involventem, & claris tenebras offundentem,

tem; sed ea mentis serenitate & claritate sensa animi sui expromentem, ut quasi ipsis Solis radiis ea describat, tuque ipse haud raro miraturus sis, quare antea non perceperis nec assequi potueris, quod jam lectis hisce tam planum Tibi videtur, ut tantum non existimare incipias, Te id jam antea percepisse. Vides Philosophum, non cæco assensu huic vel illi Magistro mancipatum, totumque in alieno cerebro habitantem, sed ipsum sibi sapientem semitam, proprioque Marte veritatem investigantem. Vides scriptum eâ ratiocinii ἀκριβείᾳ & soliditate, eo rationum pondere & subtilitate, ea luce methodi confectum, ut vel acutissimos Philosophos ad lectionem invitare possit: idem tamen tanto lepore & venustate præditum, ut nec elegantioris ingenii homines Veneres hic suas & Charites sint desideraturi. Ad postremum eum vides scopum Auctori ubique præfixum, quem veri nominis Philosophi sibi præfigere debent, illustrationem nimirum veritatis & emendationem vitæ, ad quæ ita omnibus ingenii viribus contendit, ut ad summam diligentiam, & exactissimum scrutinium nihil reliqui fecisse videatur. Quo nomine, si reliquæ dotes & ornamenta abessent, Tibi deberet esse commendatissimus, utut singulas forte ejus opiniones probare non posses. Qui enim tam serio, tanto animi ardore, tam impigro labore fugientem quærunt veritatem, hi eam assequi censendi sunt, etiamsi non plane assequuntur: hi semper aliquid inveniunt, quod juvat & usum præstat: hi docent, etiam cum errant, & sæpissime melius, quam qui veritatem nudam tradunt, sed ita tradunt, ut satis ex tota Orationis forma & colore pateat, non magno illos veritatis teneri studio. Certe ego nullus dubito, Lector, quin si, qua par est attentione hæc legere digneris, passim & ubique inventurus sis, quæ vel mox calculum tuum ferant, vel saltem ad ulteriorem investigationem veritatis egregiam Tibi præbeant ansam & manuductionem. Verùm tempus est, ut ad ipsius Libri lectionem Te dimittam, ex qua planius hæc, quam ullo meo sermone, cognoscas. Vale, Benevole Lector, & Clarissimo Auctori, cujus omnes curæ, cogitationes, consilia, studia & labores (addere non vereor secessus & requiem) jam dudum

non nisi in promovenda Gloria Dei & vera pietate ac cognitione vertuntur, quique tum demum verè Christiani Theologi officium se implesse existimat, cum multos ab erroribus & vitiis liberatos ad genuinam praxin virtutis Christianæ & iter cœleste direxerit, longævam vitam, & felices laborum successus, à Deo O. M. ex animo, quæso, apprecare.

THEO-

THEODORO GERNLERO

SUO, PASTORI COETUS GERMANICI

qui GENEVÆ colligitur,

SAMUEL WERENFELSIUS

S. D.

PErculissent me litteræ tuæ, si adduci possem, ut crederem, serio te mecum agere. Potuitne cuiquam in mentem venire, ut Dissertatiunculas nescio quas, in usum studiosorum Adolescentium conscriptas, dignas judicaret, quæ, in fasciculum congestæ, denuò typis mandentur, formaque mutatâ lucem publicam aspiciant? Scilicet, ut vitia, quæ discipulorum non vidit imperitia, amicorum dissimulavit benignitas, acerrimis Orbis Literati judicibus innotescant. Fingam verè quod persuadere mihi non possum, non Te ludere, esseque revera amicos, qui, quod scribis, facere velint: itaque, quasi seria res ageretur, Tibi exponam meam de instituto isto sententiam. Ego, mi Gernlere, si quid haberem, quo rem literariam & augere & juvare pos-

sem, facerem id aliorum & mea ipsius caussa lubentissimè; præclarum enim esse judico, quatenus possumus, prodesse quamplurimis; hujus rei conscientiam summam homini voluptatem afferre puto, neque famam, quæ operam rei laudatissimæ impensam sequi solet, dedignor. At nihil, ut & hoc tibi fatear, in me usque adhuc, nisi quendam benè agendi conatum deprehendi, quem modo ingenii angustia, modo memoriæ infelicitas, modo doctrinæ tenuitas, modo ipsa corporis valetudinisque imbecillitas irritum semper reddiderunt. His de caussis, cùm nihil magni unquam aggredi auderem, factum est interea, ut, ne prorsus inutilis viderer, unam atque alteram Dissertatiunculam de argumento levi in adolescentium quorundam gratiam effunderem potius quam scriberem. Quâ in re sæpè fui à Viris gravibus reprehensus, quibus horas meas atque studium non optimè collocare videbar: sed illi ignari, me saluberimum Horatii præceptum sequi:

> Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
> Viribus:

arbitrio meo adscripserunt, quod necessitati erat tribuendum. Et sunt, si tibi aures præbeo, qui scripta isthæc levia, quæ singula vix à bonis æstimatoribus ferri poterant, in unum librum congerent: quod certè, quid aliud est quam ex malis panniculis pessimum centonem componere? Equidem si Orbi Literato, si posteritati scribere voluissem, & argumenta delegissem graviora, & plus meditationis, studii & temporis scriptioni impendissem, sicque aut melius scripsissem, aut, si hoc assequi non potuissem, totum hoc scribendi consilium abjecissem. Quantum enim hæc inter se dissident, dissertationem unam atque alteram inter studiosos adolescentes unius Academiæ, ejusque parum frequentatæ, distribuere, in quâ discipuli disputandi materiam inveniant; & librum Eruditorum omnium examini subjicere, in tantâ bonorum librorum copiâ, hoc sæculo tam docto, tam non modo eleganti sed fastidioso?

At placuerunt, ut ais, Disputationes meæ. Hoccine ego tibi credam? credam tamen, quando ita jubes. Placuerint amicis, quorum judicium nunquam sincerum esse solet: num aliis quoque placebunt? Placuerint obiter lecta, num iterum lecta placebunt? Placuerint

tuerint in obscuro, num & publicam lucem ferre poterunt? Probata fuerint ut Theses Academicæ, num & si libri habitum induent, probabuntur? Quanquam, cur credam cuiquam probari, quod mihi displicet? Non animadverterunt scilicet, acutissimi homines, quod ego, non obstante ea, quæ nobis omnibus inesse solet Philautia, non animadverto solum, sed palpo. Non viderunt, sicubi quæ scripsi, ætatem, quâ scripta sunt, redolent. Non viderunt, sicubi nondum matura ratio in paralogismos incidit; aut judicium puerile à decoro recedit, si quando sum negligentior in ordine, in dictione, in recensendis aliorum sententiis, in exponenda mea: si jejunus, si redundans invenior. Non deprehenderunt memoriæ infelicissimæ lapsus, eosque errores; quæ novum Cl. Bælii Lexicon augere possent; non sententiarum disparitatem, tractationis stilique inæqualitatem, quæ fere in iis esse solent, quæ diversis temporibus inter varias cogitationes, sæpe aliud agentes, scribimus, aut Typographo urgente deproperamus.

Hæc, quæ toties ego observo, perspicacissimi æstimatores non observarunt? annon potius longè plura observarunt vitia, quæ obtusam ingenii mei aciem effugerunt? Mutabunt igitur amici nostri, si me audient, consilium suum, neque committent, ut hic, quem mente agitant, levium Disputationum fasciculus malorum librorum cumulo accedat: quo sane facto vereor ne pessime & suæ existimationi, & famæ meæ, & Bibliopolæ etiam commodis consulant. Veruntamen si id sibi jus amici in me meaque arrogant, ut credant sibi, me invito, scripta mea edere licere, è re meâ est, uti omnibus innotescat, non meam hanc, sed amicorum culpam esse. Qui si, posthabitis querelis meis, ut minitaris, hanc mihi injuriam facere fortissimè perseveraverint, hujus saltem injuriæ atrocitatem utcunque diminuat, si non solum editionem harum Dissertationum distulerint, donec pauca quædam in iis correxero; sed, quod vel maximè est necessarium, si & ipsi hanc operam suscipere voluerint, quoque pollent judicii acumine, omnia examinare; nævos, lapsus, errores, paralogismos, ineptias, quidquid denique in iis displicet, aut mihi indicare, aut, quod malim, pro suo jure emendare. Quod sane, si mihi non debent, sibi debent: cum enim, quicquid in hac editione peccati est,

ipsorum sit, vehementer eorum interest, ut libellus hic, quam fieri potest, minime ineptus prodeat.

Sed ego ineptus sum, qui tam seriò ad jocum tuum, quo Literis tuis me deludis, respondeo. Jocabor & ego tecum, quando me provocas. Dic igitur, Gernlere, si omnino Libri Auctor futurus sum, ut mihi polliceris, quâ formâ lucem sum visurus? Auctorne ero in quarto, ut loquuntur, an in octavo, an in duodecimo? Satisne nitidus sum proditurus, an, quod nonnunquam Genevæ fieri solet, quotidiano ac negligentiore habitu? Interest enim mea, ut, quem interior corporis pulchritudo commendare nequit, vestium splendor aliquo modo commendet. Quis est ille tam temerarius Bibliopola, qui me novum Auctorem in forum producere & divendere vult? quid si ipsi lucrosus non fuero? num ideo male me habebit, atque Myropolis tradet dilacerandum? quanti Emptoribus constabo? nisi enim vilis fuero merx, Emptorem non inveniam. Hæc & alia me nosse oportet, ut sciam sitne mihi hæc editionis fortuna subeunda nec ne. Tu & hæc exquire, atque amicos nostros Pictetum, Legerum, Turrettinum, Seneberium, Gualterium *saluta, & simul in hoc negotio in consilium adhibe. Vale iterum. Dabam Basileæ quarto Calend. Octobris* M DC XCIV.

MISCEL-

MISCELLANEORUM

PARS PRIMA

CONTINENS DISSERTATIONEM

DE

LOGOMACHIIS ERUDITORUM

CUM RELIQUIS PHILOSOPHICIS,

quibus accedunt nonnulla

AD

THEOLOGIAM SPECTANTIA.

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO

Dn. GILBERTO

DIVINA PROVIDENTIA

EPISCOPO SALISBURIENSI

SAMUEL WERENFELSIUS

S. P. D.

QUI libros Magnis atque Excellentibus Viris dedicant, hoc fere ſolent audaciæ ſuæ prætexere: patronos ſe lucubrationibus ſuis quærere, quorum nomina in frontiſpicio poſita, illas Literato Orbi commendent, atque adverſus iniqua, quæ metuunt, judicia protegant. Enimvero ſi hæc foret idonea ratio, nemo illam potiori jure, atque ego, adducere poſſet. Quod enim Nomine Tuo, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, majus totoque Orbe celebrius inveniri poteſt? quod omnibus Eruditis notius? quod ad libellum huncce meum quibusvis mundi plagis, ſeræque adeo poſteritati, commendandum accommodatius? Quis acutius Te de rerum omnium pretio judicare poteſt? quis judicare ſolet candidius; quis,

Te sententiam dicente, non acquiescet? quis damnaverit, quod Tu approbas? quis denique vel hiscere auderet contra qualescunque has dissertatiunculas meas, si Magnus ille Salisburiensis Episcopus illas patrocinio suo dignari vellet? Sed fateor, non hanc, licet pervulgatam, fuisse consilii mei rationem, quippe quam nunquam valde solidam existimavi. Nemo enim ex eo, quod ego hoc quicquid est libelli Tibi offerre ausus sum, recte concluserit, illud propterea Tibi probari. Temeritas mea nullam Tibi necessitatem imponit hujus opusculi patrocinium suscipiendi; neque, si sapio, quicquam hujus sperare possum. Gratiâ ubique indigent hæ meæ dissertationes: at Tu, MAGNE PRÆSUL, ubique, cum in incomparabili illa Reformationis Anglicanæ historia, tum in aliis immortalibus Tuis scriptis, atque ipso adeo familiari colloquio, testaris, Te in judicando veritati omnia, nihil gratiæ dare: perspicacissimumque illud judicium Tuum, tam vasta eruditione, tamque longo rerum usu subactum, corrumpi atque à vero deflecti nullo modo posse. Unicum igitur, quod me ad hoc, quod cernis, Nomini Tuo, REVERENDISSIME DOMINE, inscribendum adduxit, est virtutum Tuarum, nostro hoc sæculo prorsus insolitarum, admiratio, altissime animo meo infixa, inde ab eo tempore, quo Te primum in Patria mea alloqui contigit; hinc Te-

cum

cum Heidelbergam usque proficisci: atque interea (ô me tunc felicem!) lateri Tuo per aliquot dies hærere, atque ab ore Tuo pendere: inde Hagæ Comitum denuo Te revisere, ac denique Cliviæ, in Aula Electorali, ultimum Te amplecti ac vale Tibi dicere. Da veniam, CELEBERRIME PRÆSUL, quod ego homo obscurus hic in memoriam Tibi revocare audeo tempus illud, quod præcipuam vitæ meæ partem semper duxi, cujusque nunquam recordari possum, quin pectus hoc meum mirifica voluptate perfundatur. Fer me, de hac mea felicitate immoderatius, quam pudentem decet, publice gloriantem. Si benigne interpretaberis, quod profundam Nominis Tui Venerationem, quam tunc temporis animo conceptam atque intra præcordia usque adhuc pressam, nunc amplius continere nequeo, hac epistola testatam faciam, summam votorum mihi videbor assecutus. De libello, cui illustre Nomen tuum præfigere ausus sum, judicabis interea, ut soles, & nisi fallor, nihil in eo invenies probandum, nisi animum Auctoris à vanis, quibus Ecclesia scinditur, pugnis alienum, huicque malo medendi avidum: forte etiam simul dolebis, vires meas bono conatui non respondisse, aliumque magis idoneum ad idem tentandum excitabis. Sed hac de re prorsus securus sum, qui non approbationem Tuam quæro, quam me non mereri scio, sed benevolentiam, quam etiam minime merentibus in-

dulgere consuevisti. DEUS Te, Illustre Britanniæ totiusque Christianæ Ecclesiæ Sydus, diu incolumem præstet, omnique bonorum genere cumulet. Dabam Basileæ Rauracorum pridie Nonas Novembris A. CIↃ IↃ CCI.

LECTO-

LECTORI

QUI

PRÆFATIONES LEGERE DIGNATUR.

Quod nobis accidit domi inter familiares versantibus, ut cum in sermonibus tum in actionibus nostris examinandis, multo remissiores simus, quam cum in publicum virorum gravium consessum prodimus, idem mihi propemodum in hujus, quod cernis, libelli compositione contigit. Theses sunt Academicæ, ut appellant, diversis temporibus scripta atque ad disputandum proposita, id quod ex stili & tractationis diversitate ipse conjicies: qualia scripta vix extra civitatis unius pomœria egrediuntur, & in hac ipsa à paucis plerunque, nec magna attentione, leguntur. Judicia Virorum doctorum, quos habet Patria, non magnopere metui. Amici sunt & familiares, quibus facile satisfacimus, præsertim cum nihil magni à nobis expectant. Hinc factum est, ut in dissertatiunculis meis scribendis dicam? an effundendis? impetum potius sequerer, qui ut fit in compositionis fervore, nunc huc nunc illuc me abstulit; quam accuratam quandam scribendi formam; denique res, verba, ordinem non ita ponderarim; ut faciendum mihi fuisset, si inter scribendum omnes illi severi judices & rigidi censores, quibus hodie abundat Respublica literaria, animo identidem fuissent obversati. Emendanda, fateor, fuissent Theses meæ, antequam Libri nomen iis imponeretur: hoc vero tentare volens, statim consilium mutavi; severa enim castigatio scriptum hoc meum penè ad nihil redegisset. Quis igitur, inquis, te cogit, ut illud ita crudum in publicum protrudas? Possem dicere, amicos, iternm iterumque hoc à me flagitantes, id tandem à me

Prima Disp. habita fuit A. 1688. postrema 1692.

ex-

extorsisse. Sed hoc tum sæpe falsò jactatum est, ut etiam vere affirmanti non amplius credatur. Unica caussa, cur, ut hoc quicquid est libelli publici juris fieret, consensi, est, quoniam credidi, id forte, non obstantibus plurimis, quos in eo animadverto, defectibus (quanto plures, observabunt perspicaciores?) multis lectu utile futurum. Dici enim nequit, quantum hoc facere possit ad profectus uberiores, tum in vera sapientia, tum in solida pietate, si omnes, quotquot literas tractant, sive libros aliorum legunt, sive scribunt ipsi, sive disputant, sive disputantes audiunt, identidem recordantur, quot sint in omnibus artibus, scientiis ac disciplinis Logomachiæ; quam variæ earum species; quam paucæ disputationes, quibus non aliqua verborum pugna sit admixta; quam noxius Ecclesiæ Reique literariæ sit hic disputatorum morbus; quam periculosa habeat symptomata: si considerant, quæ hujus sint mali caussæ, cum in nobis tum extra nos; quibus signis dignosci possit; quænam denique illi paranda remedia tum θεραπευτικὰ tum προφυλακτικά. De his omnibus dixi, non quæ dici poterant, aut præ aliis dici debebunt, sed quæ ingenium qualecunque subito inter scribendum suggessit: eaque omnia exemplis illustravi, quæ memoria, haud adeo felix, non solicite quærenti suppeditavit; in quibus si quando erravi, facile erit doctioribus meliora in eorum locum substituere. Meretur vero argumentum à me susceptum, ut ab alio tractetur, qui ad illud ingenium capacius, maturius judicium, majorem eruditionis apparatum & experientiam afferre queat: atque hoc ut fiat, ex animo opto. Sed interea non inutile, spero, erit, legere, quæ mihi de hac materia in mentem venerunt.

DIS-

DISSERTATIONIS
DE
LOGOMACHIIS ERUDITORUM
CAPUT PRIMUM.
De nomine Logomachiæ variisque ejus significationibus.

Auctoris scopus. PROPOSITUM mihi est morbo gravissimo, quique diu Rempublicam literariam vehementer afflixit, hoc tempore medicinam facere, *Ejus necessitas.* quem si non tollere omnino, quod sperandum certè in hac contendendi libidine non est, at saltem imminuere aliquo modo possem, næ ego neque tempus neque chartas hasce perdidisse mihi viderer. Dici enim vix potest, quantum sit Logomachiarum inter eas, quæ doctissimos homines dividunt, disputationes; *Utilitas.* quotque proinde quantisque litibus & rixis, si verborum pugnæ aliquando evanescerent, Res literaria, miserè his toties dilacerata, sublevatam se visura esset. Neque tamen sum nescius, quanta sit hu- *Difficultas*

jus mali pertinacia, quantaque curationis difficultas, imo quam odiosum aliquando sit hoc ulcus tangere. Sed neque relinquendus est ægrotus, tametsi remedia respuat, neque difficultate absterreri debet Medicus; sed facere quicquid in se est, eventum DEO committere.

Logomachia est morbus.

Enimvero si *Logomachiam*, aut potius *Philologomachiam* morbum appello, nemo, credo, hoc nomine offendetur: præterquam enim, quod omnia animi vitia mentisque errores, morbos Philosophi vocare consueverunt: habeo hic præeuntem Paulum Apostolum, qui de eo, qui semel à salubribus sermonibus deflexit, ait, quod sit *νοσῶν περὶ λογομαχίας*, *ægrotans circa verborum pugnas*. Quare, tametsi, quæ sit inter hanc animi & corporis morbos convenientia, clarissime deinceps videbimus; liceat nobis hic in antecessum Logomachiam *νόσον* hoc tanto auctore appellare.

1. Tim. 6. vs. 4.

Significatio duplex.

Prior, *pugna, quæ fit verbis.*

Posterior. *de verbis.*

Hæc autem vox duo potissimum significare potest, aut *μάχην*, quæ fit *λόγῳ verbis*; aut quæ fit *περὶ λόγου de verbis.* Priori sensu Homerus de illo Agamemnonis & Achillis jurgio:

Ὣς τώ γ' ἀντιβίοισι μαχεσσαμένω ἐπέεσσιν
Ἀνστήτην. — — —

Iliad. α.

Sic hi contrariis contendentes verbis
Surrexerunt. — — —

Illa sæpe etiam morbus.

Equidem disceptationes eruditorum, quæ verbis fiunt, sed de rebus, & rebus quidem gravissimis, hic ego reprehendere nolim: hæ enim, si intra modestiæ terminos coërcentur, solamque veritatis cognitionem propositam habent, tantum abest, ut morbi sint; ut gravissimorum etiam animi morborum, ita errores voco, sint remedium: sic enim fit, ut non ad primam quamque, quam audivimus, opinionem tanquam ad saxum adhærescamus; sed, cognitis etiam aliorum sententiis & validissimis utrinque rationibus, quid constantissimè dicatur, videamus. At simul atque in rixas & altercationes degenerant, si, quemadmodum bella, capitalibus utrinque odiis geruntur: si, veritate neglecta, sicut in præliis, nihil nisi victoria quæritur; si nihil pensi habent disputantes, dummodo Adversarium quisque suum, sive voce sive scripto, contemtui & ludibrio omnium exponat, hunc prosternat, hunc conculcet, huicque insistens insultansque grandior appareat: Si crebræ calumniæ, atrocissima convicia, tanquam tela, utrinque jaciuntur: Si Sophisticis stratagematibus alter alterum supplantare nititur: revera *μάχαι* sunt, pugnæ, & immanissimæ: in quibus, quia verba & sermo (certè non in hunc finem homini datus) arma sunt: rectè ut à reliquis *ὁπλομαχίαις* distinguantur, *λογομαχίαι* vocantur, in quibus, uti eleganter Eusebius, alii alios vulnerant, *ὅπλοις καὶ δόρατι τοῖς διὰ λόγων.* Quæ sane pugnandi libido, quanta mala

EUSEB. Hist. Eccl. lib. 8. c. 1.

Rei

Rei literariæ, religioni totique adeo orbi attulerit, nemo ignorare potest: planè, ut hanc non morbum modò eruditorum, sed pestem teterrimam appellare possimus.

Rei literaria & religioni noxius.

Cujus cum infinitæ propemodum sunt caussæ (nam de hoc quin aliquid in transitu dicam, temperare mihi non possum) tum illa latissimè mihi patere videtur, quæ ex insita hominibus superbia oritur, aliorum mentibus judiciisque imperandi, immoderata cupiditas. Nimirum vult unusquisque, ut quamplurimi sibi assentiantur: atque ut Reges latissimè imperare, & continuò alios atque alios sibi populos subjicere gloriosum existimant: ita magna literatorum pars in hoc gloriæ summam collocant, si multorum mentes subjugare; his alias aliasque continuò addere possunt. Hic si voti compotes fiunt, protinus imperare sibi assentientibus videntur, hos tanquam aliquo modo sibi obnoxios considerant: hujusque imperii finem, identidem proferre laborant. Quod si vero qui sunt, qui illis assensum negant, præsertim, si periculum est, ne hi aliorum quoque à se animos avertant, aut, quod gravius est, eos etiam, quorum subjectione jam gavisi sunt, eo adducant, ut jugum suum excutiant: hos protinus tanquam inimicos, qui suis rebus gestis intercedunt, persequuntur.

Ejus caussa primaria, aliorum mentibus imperandi immoderata cupiditas.

Tum in partes itur, eam quisque partem defendit, aut cui se jam subjecit, ne erraffe videatur, aut ubi aliquo numero est: tum rixæ oriuntur: tum iræ utrinque accenduntur: tum, si quos rationes deficiunt, hi ad convicia calumniasque confugiunt. Quid? nolunt illi nobis assentiri? Ergo nos cæci, bardi, stolidi videmur? Viderint, qui sient. Dumque interim pro sua quisque gloriola pugnant, aut pro imaginario illo imperio, cujus ipsi aut duces se, aut aliquam certè non contemnendam ejus partem esse putant, videri volunt pro veritate pugnare, imo, adeo parum nosmet ipsos cognoscimus, ipsi sibi videntur.

Ejus absurditas pluribus ostensa.

In quo quidem facile est, quam ipsos ratio fallat, ostendere. Sane si quis seriò veritatem amat, alium non odio dignum judicat, quem ab ea aberrare credit, sed commiseratione. Non irascitur qui vinum amat abstemio, qui ejusdem dulcedinem ignorat. Qui thesaurum amatum possidet, facilè patitur alios pauperes esse. Nemo unquam cum vicino expostulavit, quod is suam uxorem non tantoperè, quantùm ipse, amet. Potius zelotypia amorem sequitur, ut, quod amamus, soli possidere velimus. Sic si homines magno veritatis amore tenerentur, potius in illud inciderent vitium, aut aliis veritatem à se agnitam inviderent, quam ut, propter eorum infelicitatem, irascerentur.

At enim fit aliquando, ais, ut avarus divesque infestus sit dissoluto & liberali. Fateor: sed non ideo id fit, quod, alterum infelicem esse, bona sua

 ignora-

ignorare, pati non poteſt, id enim curat ſcilicet; ſed ideo, quod is inſcitiæ aut etiam inſaniæ ſe accuſare videtur, quod tantoperè divitiis inhiet. Pariter hic ſe res habet. Veritatem aſſecutus es? Felix es, qui re amata frueris. At alii hanc non aſſecuti ſunt. Quid iraſceris? an ideo, quia alii te ſunt infeliciores? Qui hominem cognoſcit, facilè videt hanc non eſſe humanam indolem. Quid igitur? Non potes ferre diſſentientem, quia diſſentiens judicium, ingenium, eruditionem, ſapientiam in te requirere, ſtultitiam tibi exprobrare, ſe tibi præferre, te præ ſe contemnere videtur. Hinc illa ſunt jurgia, hinc illæ tantæ

animis cœleſtibus iræ.

Quæ quidem ſuſpicio aliquando, non diffiteor, eſt vera: ſed ſæpe etiam falſa. Non ideo plerunque alii tuæ ſententiæ non accedunt, quod ex contemtu tui nolunt, ſed ideo, quod non poſſunt. Non enim noſtri arbitrii res eſt, alteri, quandocunque volumus, aſſentiri. Vis ut tibi aſſentiar? Age, volo. Fac modo, ut mihi ſententia tua vera aut ſaltem veriſimilis appareat. Profer rationes, utere argumentis, quibus tibi ipſe perſuaſiſti. Feci, ais, at tu nimis pertinax es. At mihi nondum ſufficere videntur. At mihi, ais, videntur. Vellem & mihi: quid iraſceris? At ſic, inquis, alter noſtrûm cæcus eſt. Non ſtatim cæcus eſt, qui non omnia videt. Nemo eſt, qui non videat nonnunquam aliquid à ſapientiori non obſervatum. Sed hac ſaltem in re, ais, te oculatiorem me eſſe vis. Dic potius feliciorem, & ſi in hoc fallor, ut tu me falli exiſtimas, tanto ſum te infelicior, quo minus infelicitatem meam agnoſco. Sed hoc utut ſit: hanc certè ſuſpicionem velim deponas; quaſi ego propterea me tibi anteponam, quod hic aliquid me obſervaſſe puto, quod tu non vidiſti. Novi illud: *quandoque bonus dormitat Homerus.* Tu modo illud viciſſim cogita: *Interdum eſt olitor valdè opportuna locutus.* At longiùs ab inſtituto curſu abripior, quanquam neque hoc prorſus, uti poſtmodum videbimus, ab inſtituto noſtro ſit alienum. Sed redeo in viam.

Hæc, quæ eſt de verbis, Generatim, eſt Concertatio quævis de rebus vilibus & inutilibus. Ejus varia nomina.

Dixi, Logomachiæ nomen præterea ſignificare pugnam περὶ λόγυ *de verbis*, cum qua ſignificatione illa quoque conjuncta eſt, ſi hac voce pugnam κτ̀ λόγων, *cum verbis aut adverſus verba* ſuſceptam; aut ὑπὲρ λόγων, pugnam *pro verbis*, intelligimus; quarum ſignificationum illa verba tanquam partem adverſam, hæc tanquam partem defenſam conſiderat. Sed hæc dico conjuncta ſemper eſſe. Omnis enim, quæ *de verbis* eſt, pugna, ab una parte *pro verbis*, ab altera *contra verba* ſuſcipitur. Cum autem λόγοι Græcis non verba modo, ſed ſæpe in univerſum nugas aut res nihili ſignificent: unde illa Comicorum vox, logi, & fortaſſe etiam illud Latinorum, verba ſunt, verba dare: poſſumus hoc nomine generatim quaſvis de rebus vilibus & inutilibus complecti diſputationes, quas Græci aliquando σκιαμαχίας, aut πολέμυς περὶ ὄνυ σκιᾶς. Flaccus

cus facetè *rixas de lana caprina* nominat. Aristophanes id appellat λεπτολογεῖν, καὶ περὶ κέπφου στενολεσχεῖν.

Neque ab hoc morbo (nam morbum esse, quis neget?) literati immunes sunt, nisi quis dicere velit, hos ante alios eo laborare. Quantam enim DEUS bone! librorum partem occupant de rebus vilissimis ac planè ridiculis concertationes? Quis non rideat, cum audit, disputari inter doctos, fuerit ne piscis, qui Jonam deglutiit, mas an fœmina; utrum pedem primum Æneas in Latium intulerit; quæ fibularum Romanarum forma fuerit, & sexcenta hujus generis alia? Bene est, quod plebs ignorat hæc certamina, quippe quæ Latina lingua tegere solet, alioquin, quodnam sæpe de eruditis judicium ferret? Quid dicam de Philosophis, quam frivolis de rebus aliquando disputant? Jam suo tempore Lucianus dixit: Πάντες περὶ ὄνου σκιᾶς μάχονται οἱ φιλοσοφοῦντες: *Omnes Philosophi de umbra asini depugnant.* Quid diceret, si Scholasticorum libros legisset, aut alia nostra prælia aspiceret *nullos habitura triumphos*?

Latè se extendit.

LUCIANI *notabile dictum de Philosophis.*

Est etiam, quando Sanctissimi Theologi in hujusmodi ineptias incidunt. Jam Paulus reprehendit sui temporis βεβήλους κενοφωνίας, μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις. Et quis non miretur, cum audit, Orientalem Ecclesiam cum Occidentali de his inter alia disputare, num Sacerdotes barbas alere, Episcopos annulos gestare conveniat? Quo pertinet cucurbitaria illa controversia, ut salse à Drusio vocatur, Hieronymum inter & Augustinum de planta illa Jonæ, cujus umbra tantoperè gavisus est; fuerit ne Cucurbita, an Hedera. Fatetur Augustinus, tumultum in templo motum esse, lecta versione Hieronymi, qui pro Cucurbita Hederam posuerat. Hieronymus conqueritur de quibusdam, qui propterea sacrilegii se damnarint. Ipse Augustino acerbè & ferè hostiliter, ut Calvino videtur, respondet.

Controversia cucurbitaria inter AUGUSTINUM *&* HIERONYMUM. Vide hos Auctores in Jonam.

Sanè miratus fui sæpenumerò, quoties vidi, doctos homines & qui sapientiæ studium profitentur, tantas de rebus nihili tragœdias movere posse, quasi de magna aliqua hæreditate dividenda ageretur, cum tamen, utcunque lis componatur, nihil inde ad eos utilitatis redeat: desii tamen mirari, simul atque perspexi, non de rebus disputari, de quibus disputari videtur, sed de disputantium ingenio & eruditione. Erras, si existimas, disceptare inter se Scaligerum & Cardanum, an hædus tot habeat pilos, quot caper: non hic, qui videtur, controversiæ status est. Quis igitur? Uter doctior sit, Scaliger - ne an Cardanus, uter plus ingenio valeat? Atque idem de aliis dicendum: neque unquam homines, de rebus supervacaneis litigare desinent, quamdiu in his magnam eruditionis partem consistere sibi persuadebunt. Ubi magnoperè vellem, hoc saltem cogitarent, nugas non cessare esse nugas, si difficiles sunt, neque quæstionem frivolam fieri utilem, si ad eam decidendam ingenium multorumque librorum lectio requiritur: quin potius verissimum esse illud Martialis ad Classicum:

SCALIGERI *&* CARDANI *pugna de numero pilorum hædi & capri.*

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Speciatim, est contentio quæ de verbis instituitur. Ejus magna diversitas.

Sed tamen nos nunc quidem non tam quamlibet de rebus levibus, quam speciatim, eam quæ *de verbis* instituitur, contentionem Logomachiæ nomine intelligimus. Magna verò & hic disputationum diversitas est. Aliquando enim, *cum de verbis disputamus, nos de verbis disputare scimus, talesque videri volumus.* Hicque iterum à verborum quandoque *mutatione aut explicatione res magni momenti dependent*, ut nonnunquam fit, cum de verbis legis, testamenti, sacrarum literarum, eorumque interpretatione certatur: quæ disputationes non tam *de verbis* sunt, quam *de rebus ipsis.* Aliquando tamen lites planè *in verbis terminantur*, quales sunt Grammaticorum & Philologorum de vocum in qualibet lingua pronunciatione, scriptione, flexione, significatione, constructione, dissensiones, quas uti lubenter ferimus, ita optaremus, ut neque nimium in iis temporis consumeretur, neque tanta inter dissentientes animorum contentione agitarentur. Sed eo res processit, ut Grammaticorum rixæ penè in proverbium abierint. Utere vocabulo aut loquendi forma, quæ parum Latina Aristarcho cuidam videatur: statim *infamia* te notabit, & fortè librum in te hoc titulo emittet. Verte aliquid ex Græco, aut Hebraico, parum ad palatum alterius: confestim in te convenire quidvis videbitur, quod dici potest in stultum: *caudex, stipes, asinus, plumbeus*, & nisi placaveris hominem, *tandem superabit tua stultitia hæc omnia.* Cave, ne barbarismi aut solœcismi talem accuses: ferret lubentius, si flagitii insimulares.

Grammaticorum & Philologorum rixæ.

Specimen belli grammaticalis inter FRISCHLINUM *&* CRUSIUM. Vid. FRISCHLINI STRIGILIS, Grammatica & & Poppymus.

Non illepidum videtur, specimen hic Belli Grammaticalis acerrimi, ex quo de aliis judicium ferri possit, exhibere: quod olim gestum est inter Nicodemum Frischlinum & Martinum Crusium, quod eo usque exarsit, ut nullum tam atrox convicium sit, quod alter alteri non dixerit. Appellat Crusius Frischlinum, ita ipse conqueritur, *sycophantam, sophistam, equisonem, stolidum, stupidum, furiosum, cuculum, cuculorum patrem, porcum, aprum vastatorem:* innumerisque ejusmodi ornat encomiis. Quid contra Frischlinus? non minus fortem dices militem. Vide, quam strenuè se defendat. *Licuit*, inquit, *Crusio per convicium dicere me sycophantam, sophistam, furiosum aprum & quid non? Liceat ergo mihi justè & ex ipsius merito dicere sycophantam, & nebulonem, & asinum, & hominem nequam.* Macti virtute bellatores? qua de re agitur? *non de lana caprina*, ait Frischlinus, *sed de re omnium maxima, nempe de Grammatica arte rectè tradenda.* Hui! itane de Grammatica? Sed qua tandem in re dissentiunt tanti viri? Intelliges ex his Frischini verbis: *Ecquid vos pudet, ea quæ ad syntaxin nominum pertinent, referre ad quartam regulam de syntaxi verborum, loco alienissimo? Quæso te mi Crusimusissime Crusimusi* (ita lepidè Crusii nomen transformat) *quid est virulentiæ, quid acerbitatis quod dixi, vos omisisse in syntaxi verborum cum genitivo casu verba significantia motum de loco, & in etymologia omisisse nomina montium è prima regula?* Paulo post adversarios accusat,

accusat, *quod syntaxin participiorum & supinorum transferunt à sede participiorum ad sedem verborum.* Hujus generis omnia ferè sunt, de quibus in duobus libris disputatur: quae non ea mente profero, ut ullos rideam, sed hoc consilio, quo Helotas ebrios Lacedæmonii adolescentibus suis conspiciendos præbuerunt.

Neque aliæ linguæ minus sunt litium Grammaticalium feraces, quam Latina; sed tanto plus contentionum ferunt, quo magis earum notitia, utpote rarior, homines inflare potest. Qui quidem morbus non alia ratione mihi sanari posse videtur, quàm si quis istis hominibus persuadere posset, linguarum & Grammaticæ cognitionem, quamtumvis ad certa studia utilis sit, nondum tamen veram eruditionem & sapientiam esse, neque proinde operæ esse pretium, ut de his tantoperè litigemus. Sed suadeat id, qui volet, nollem ego id tentare: novi quam hoc sit non difficile modo, sed periculosum. Neque tamen literatis hisce suspecta esse potest auctoritas Briani Waltoni, summi Viri, & qui, si quisquam alius, multarum linguarum scientia gloriari potuit. Is postquam pluribus doctè, ut solet, de linguarum utilitate disseruisset, tandem ita concludit: *Antequam finem huic dissertationi imponam, Sciolorum quorundam supercilio occurrendum est: qui in omnibus scientiis & disciplinis planè infantes, si fortè linguarum cognitionem umbraticam adepti sunt, elati & tumidi omnes alios ipsis longè doctiores, & in rerum scientia superiores spernunt & contemnunt; quasi ipsi soli docti essent, reliqui volitarent sicut umbra. At sciendum est, linguarum peritiam januam quidem esse ad rerum doctrinam adipiscendam: at rerum ipsarum cognitionem illud esse, quod viros verè doctos reddit: (linguæ enim putamina sunt, nucleus vero est ipsa rerum cognitio:) nec linguas propter se, sed propter aliud addiscimus: qui verò in linguis hærent, similes sunt iis, qui in porticu subsistunt, in domum non intrant, neque ejus penetralia vident. Unde inter Sciolos, Grammaticos, vel Criticos numerari possunt; in doctorum albo poni vix merentur.* Hæc Waltonus, quæ ego suo loco relinquo: sane nollem ut mihi imputarentur; nullum enim minus atque hoc hominum genus, in quod heic Vir Clarissimus invehitur, offendere tutum est.

BRIANUS WALTONUS laudatus. *Ejus verba in Sciolos Grammaticos.* Apparat. Bibl. proleg. 1. §. 24.

Sunt etiam inter Veterum Scriptorum emendatores, quos *Criticos* vulgò appellant, qui λογομάχοις meritò accenseri possunt: adeo de suis illi nonnunquam emendationibus certare solent, ubi sæpissimè Rei literariæ parum interesset, hoc an illo modo legeres. *Nil viderunt, qui ante me hunc scriptorem ediderunt; ego primus hunc locum restitui. Quid? tune? ego hoc ante subolfeci; ego ita legendum censeo; ego retinendum; ego aliter distinguendum; ego leviter mutandum. Hem audaciam! pro omnium exemplarium fidem! At hic stupor est ingenio suo nihil indulgere. Imo hæc mutatio res est summi periculi pessimique exempli.* Qua de re agitur Doctissimi Viri? an fortasse hæc supra nos de plebe homines? Imò verò de sententia aliqua distinguenda, de voce addenda, demenda; de syllaba aut litera mutanda. Legendumne sit *Vergilius* an *Virgilius*.

Veterum Scriptorum emendatores critici quidam, λογομάχοις accensendi. Eorum frivolæ sæpe concertationes.

lius, *Agellius* an *A. Gellius*, *cerimonia* an *ceremonia*, *munditia* an *munditie*. Equidem summa laude dignos existimo eos, quorum opera Veteres Scriptores, multorum seculorum barbarie pessimè depravatos, hodie emendatiores legimus: neque me fugit, quantæ hoc eruditionis sit: novi, nonnisi Herculis fuisse hoc Augiæ stabulum repurgare. Veruntamen ut hoc non gloriosissimum fuit Herculis operum, optassem sæpius, ut optima ingenia modum aliquem in hac re tenuissent, atque Herculis exemplo monstra quoque errorum & vitiorum domuissent: neque perpetuo in mustaceo laureolam quæsivissent: saltem de his rebus tam pugnaciter nunquam inter se contendissent. Sed unde hæ doctissimorum hominum contentiones venerint, malo ex summi cujusdam Critici confessione, quam ex meis verbis intelligatur: *Quidam* (verba sunt Adriani Turnebi) *hac tempestate ita studiosi sunt vetustatis, ut suæ memoriæ suique prope obliviscantur: & antiquarii illi tam perditè ruinas literarum antiquarum scrutantur, ut, si quid ex illis eruere possint, sibi videantur triumphatores & Augusti esse. Itaque rudera rimantur auctorum erosorum & vetustate fugientium, & putria saxa & marmora exesa pervestigant, & si quid inveniunt, urbem aliquam sese bello cepisse subegisseque existimant. Eodem ferè & morbo ipse laboro, ut vineta egomet cædam mea. Itaque cum in manus sumsissem Festum Pompeium in litera R. sic latebras ejus tineosas & lacunas inanes pervestigavi, ut penè cerebrum perdiderim, vixque tandem quicquam repererim &c.* Hæc Turnebus: ut minimè sit mirandum, Helenam, quæ tantoperè & amata & culta fuit, rixas aliquando inter amatores peperisse.

TURNEBI *locus in criticos sui temporis.* Adverf. lib. 23. cap. 25.

Qui existimant se de rebus gravissimis disputare, cum non nisi verbis dissideant, ineptissimi sunt λογομάχοι. Quibus sint similes.

Inter omnes verò pugnas, quæ Logomachiæ appellari possunt, nullam credo & ineptiorem & simul perniciosiorem esse, quàm *cum existimant quidem homines, aut saltem videri volunt, se de rebus iisque aliquando gravissimis disputare, cum tamen interea nonnisi verbis inter se dissideant.* Cum enim aliis atque aliis signis, quibus eandem sententiam significant, utuntur, fit, ut parum perspicaces & quorum non ultra verba penetrat acumen, aut non satis attenti, putent, magnam esse in rebus ipsis controversiam. Hinc jurgia, lites, & omnia illa, quæ in disputationibus sæpè evenire, ab initio conquesti sumus. Quæ quidem pugna illi prorsus mihi similis videretur, si Germanus ad singulare certamen provocaret Persam, quod is caput in conspectu suo non aperuisset: hocque sui contemtum interpretaretur: cum Persa interea suo more honorem, quem potuit, maximum, homini testificari non omiserit. Viris verò perspicacibus ejusmodi disputatores non minus risui sunt, quam duo cæci essent videnti, qui magnis viribus gladios suos hinc inde vibrarent, sed ita essent constituti, ut alter alterum ferire non posset: ita enim horum λογομάχων omnes vani sunt ictus, qui non adversarium, sed aërem, &, quod sibi in caligine sua fingunt, spectrum feriunt: quod ipsum quin morbus sit sapiente prorsus indignus, nemo inficias iverit. Qui quidem, si ad Logicam, nam hujus potissimum est de his mentis morbis agere, referendus est, putem, speciem

ſpeciem quandam eſſe ἑτεροζητήσεως, aut ἀγνοίας τοῦ ἐλέγχου. Ignoratur enim & hic utrinque, quid in quæſtione ſit, & in quo diſſideat à nobis adverſarius, & quem re diſſentire putamus, verbis tantum diſcrepat: imo, nullus prorſus eſt diſſenſus, cum tamen verba utriuſque partis talia ſint, ut primo aſpectu diſſenſus eſſe videatur.

Hujus morbi curandi methodus, in ſequentibus obſervanda.

Sed ad quodnam genus hic morbus pertineat, non magnopere ſoliciti erimus: id potius videndum nobis eſt, quodnam illi remedium ſit afferendum: nam hunc morbum, miſſis reliquis, quæ pariter ſub Logomachiæ nomine comprehendi poſſunt, curare nunc quidem animus eſt. Atque hac quidem in re imitabor, quantum potero, Medicos: *primum in quibus potiſſimum reperiatur, videbo, quod ipſi ſubjectum morbi vocant; poſt, præcipuas quaſdam ejus ſpecies attingam: deinde morbi naturam gravitatemque demonſtrabo: tum cauſſas ejus aperiam: mox ſigna indicabo; & denique, quæ mihi ad hunc ſanandum apta videbuntur, remedia præſcribam.*

CAP. II.

De Logomachiarum ſubjecto, ſeu ubi potiſſimum reperiantur.

Magna ubique Logomachiarum copia, maxime inter Eruditos.

MAGNA, fateor, ubique eſt Logomachiarum copia: ſed tamen nemini, ſpero, me temerarium viſum iri; ſi nuſquam plures eſſe dixero, quam inter quos minime oportebat, nempe inter eos, qui eruditi vulgo vocantur. Quanquam enim bonæ literæ ad hoc potiſſimum comparatæ ſunt, ut animo medicinam faciant, tamen neſcio, quomodo idem hic, quod in corporis nonnunquam medicina, contingit, ut eo frequentius ægrotent, quo ſæpius remediis utuntur. Cujus quidem rei cauſſam nondum inquiro: ſed rem ita ſe habere demonſtratu eſt facillimum. Percurrat modo aliquis animo omnes eruditionis partes, ac diſputationes penitius inſpiciat: mirabitur, tam parum eſſe inter tantopere diſſentientes diſſenſus.

In Theologia multæ Logomachiæ.

Sanctior *Theologia* videri poterat, quam ut hac labe contaminaretur, ſed quaſi parum alias rixarum eſſet in ea diſciplina, quæ, cum pacem ubique ſpirare deberet, à multis tota eriſtica & polemica facta eſt, inventæ quoque ſunt verborum pugnæ, quæ Chriſtianos dividerent, de quo adeo jam ſua erat ætate Paulus conqueſtus. Quis neſcit celebrem illam litem Græcos inter & Latinos, *ſit ne dicendum in Deo eſſe* τρεῖς ὑποστάσεις, ut Græci volebant, cum Latini unam tantùm ὑπόστασιν eſſe dicerent? Hi enim nomen

Exempla varia. Inter Græ-

cos & Latinos de Hypostasi. Vid. Forbes. Instr. Histor. Theol. l. 1. c. 2. §. 8.

ὑποστάσεως substantiam reddiderunt, idemque quod οὐσίαν significare existimarunt: tres igitur personas, quam tres hypostases dicere maluerunt. Græci contra, quia metuebant, ne forte in his verbis Sabelliana lateat hæresis, unicam Patris, Filii & Spiritus S. hypostasin dicere nefas duxerunt. Quis crederet? Ad hanc litem dirimendam Synodus erat cogenda, convocandi Episcopi quaquaversum ex Italia, Ægypto, Arabia & Lybia. Ac tum denique, utraque parte audita, deprehensum est, totam hanc controversiam, tanta contentione agitatam, meram fuisse λογομαχίαν.

Dallæus de usu patrum l. 2. cap. 5. De Trinitate. De processione Sp. S. *à Patre & Filio.* Disp. de Supposito cujus Derodon. auctor fertur. *Dissensus Nestorii & Orthodoxorum.*

Reliqui Ecclesiæ Doctores, quoties de verbis tanquam de rebus concertant? Sunt, qui in doctrina de Trinitate voces caussæ & effecti usurpant: Alii has tanquam periculosas rejiciunt. Sunt, qui ordinem inter Trinitatis personas constituunt: alii voces ordinem significantes ferre non possunt. Latini de solo Filio dicunt, quod sit Patris imago: Græci & Spiritum S. sic dici volunt: Basilius non vult, ut Filius DEI *γέννημα progenies* appelletur. Alii in hac voce non sunt ita religiosi. Ipsam illam controversiam, quæ tantopere Græcos Latinosque collisit, de processione Spir. S. à Patre & Filio, aut à Patre per Filium, plurimum Logomachiæ admixtum habere, multorum fuit judicium. Et si recentiori cuidam Philosopho crederemus, & totus ille dissensus inter Nestorium & Orthodoxos nonnisi in verbis fuisset, atque idcirco injuste hic ab Ephesino consilio damnatus: quod uti affirmare temerarium est, ita non dubitamus, multos incaute olim cum Nestorio Mariam Virginem Θεοτόκον negasse, & fortasse etiamnunc in hodiernis quibusdam Ecclesiis Græcis negare, qui nonnisi verbis à nobis dissident, neque cum Nestorio unicum Christum in duos Christos dividunt.

Tempore verò Caroli M. ingentes turbas dedit insignis Logomachia, occasione cujusdam Felicis Urgelitani in Ilergetibus ad Pyreneos montes Episcopi, qui docebat, Christum secundum humanam naturam non proprium patris filium, sed adoptivum esse, non dissimilis illi, quæ inter Scholasticos postea est mota: *An Christus secundum humanam naturam sit Dei servus*; illique quæ etiamnum sæpe movetur: *An Christus, quatenus est Mediator, sit adorandus.* Quæsitum enim tum erat: *An Christus secundum humanam naturam sit Filius Dei naturalis an adoptivus.* Adoptivum Felix dicebat, cui se adjunxit Elipandus quidam Toletanus, qui tanta vehementia sententiam suam defendit, ut adversarios, servos, discipulos & præcursores Antichristi, & tanquam hæreticos exterminandos esse dixerit. Hadrianus vero primus Pontifex Romanus, existimans in verbis Felicis hæresin Nestorii de duabus in Christo personis latere, Christum etiam secundum humanam naturam proprium DEI filium, non adoptivum, (ne duplex filius statuatur, quod, vane licet, metuebat,) definiit, adversamque opinionem tanquam hæreticam condemnavit, idque tribus Conciliis, quorum uni ipse Imperator Carolus

rolus interfuisse dicitur. Utramque vero partem re ipsa consensisse pluribus Georgius Calixtus * peculiari dissertatione demonstrat.

*Vid. ejus programma fest. nativit. Christi. An. 1643.

Logomachiae Scholasticorum

Jam si ad Scholasticorum seculum accedimus, quaeri non debet, utrum multae inter infinitas illas Theologorum *Nominalium* & *Realium*, *Thomistarum* & *Scotistarum* controversias, extiterint Logomachiae: cum eum in finem Theologia omnis tot horridis menteque cassis vocibus obtenebrata esse videatur, ut in tanta caligine lites eo magis ab hominibus, omnem in disputando eruditionem collocantibus, augeri possent, & ubi de rebus disputandi materia eos deficeret, saltem de obscuris & à neutra parte satis intellectis verbis contenderent: nisi vero illas de rebus quaestiones esse volumus, cum disceptarunt: *An Sacramenta sint in aliquo praedicamento: An si quis baptizaret in nomine Patrua, Filia & Spiritua S. baptismus esset legitimus: An asinus possit bibere baptismum:* & innumeras alias hujus generis, quas adducere pudet. Atque utinam hodie Theologia à Scholasticis istis Logomachiis penitus perpurgata esset: utinam non aliae deinceps fuissent natae & quotidie nascerentur! Sed audimus & legimus passim piorum hominum de crescente indies hoc malo querelas.

Etiam inter Theologos hodiernos.

Digna sunt, quae ad animum revocentur, quae hanc in rem dicit Insignis nostri temporis Theologus Joh. Claubergius: *Justinianus Imperator*, inquit, *pluribus Institutionum paginis hanc sibi laudem tribuit, quod cum juris veteris nimis angustas & subtiles formulas & scrupulosam observationem abrogaret, ipsam Jurisprudentiam hac ratione ad majorem simplicitatem unitatemque reduxerit. Optandum foret, similem in Theologia virum exurgere, qui, rejectis litigiosae subtilitatis nodis, & amputatis curiosarum nimis & superfluarum, addo & vanissimarum, quaestionum minutiis, quas Theologiae cum Scholastica Philosophia conjugium invexit, SS. Theologiam repurgaret, atque ad simplicitatem sobrietatemque divini eloquii revocaret.* Enimvero si, quod *Henricus Altingius* fecit, in singulis Theologiae capitibus Logomachiae à reliquis controversiis discernerentur, si id fieret non perfunctorie, ut ille fecit, sed accurate: si ab ipsis de rebus controversiis, quicquid Logomachiae admixtum habent, diligenter separaretur: quantus Theologicarum Logomachiarum catalogus texi posset? Sed recentiora tutius est deplorare tacite secum, quam palam reprehendere.

Theol. Elenchtica

Jurisconsultorum Logomachiae.

De Jurisconsultorum litibus nolo ego quidem judicare, ne falcem in alienam messem mittere videar: tamen, cum ab initio librorum ab illis scriptorum dubitari video, *An jus in bruta quoque animantia cadat*, suspicor neque hos Logomachiis carere; cum tota hujus controversiae decisio à sola vocabuli juris explicatione dependeat. Sed si quas inter se verborum pugnas habent, has ipsi componant: hoc modo velim, ut cum aliis, qui Jurisperiti non sunt, neque titulum de vocabulis juris edidicerunt, quod vocibus

cibus aliquando non eodem, quo ipsi, sensu utuntur, ne statim litigent: neu, si quis v. gr. *contractum* vocet, quod ipsi *nudum pactum* appellant, continuo hoc tanquam gravi errore, offendantur: possunt enim recte & cum Jurisconsultis sentire, qui non, ut Jurisconsulti, loquuntur: quod si fit, non majus hoc vitium est, quam si quis hodie in Germania inter venatores pedes cervi, pedes appellaret, cum ipsi lingua sibi propria aliud illis nomen imposuerint. Quia Jurisconsultorum mentio facta est, dicam, quod saepe observavi, eos, qui jus naturae explicant, nam vehementer hoc in usu hodie est; frequenter λογομαχεῖν, cum quaerunt, *sitne aliquid juris naturalis nec ne?* Dixerit v. gr. aliquis, legem de non furando non esse juris naturalis; continuo graviter alii offendentur, & offenderentur merito, si idem, quod ipsi, juris naturalis nomine intelligeret. Sed si nihil aliud hoc vocabulo significare vult, quam jus illud primigenium, quod in statu, qui fingitur, hominum naturali ante ullum eorum pactum, ac propterea ante rerum divisionem locum habuit: tota lis in Logomachiam convertitur, quae protinus evanescet, simulatque disputantes in significatione vocis convenire voluerint. †

Eorum qui jus naturae explicant.

Medicorum Logomachiae.

Medici, fateor, circa rem versantur, ubi non tam facile est λογομαχεῖν, quippe quae sensibus aliquo modo est subjecta. Ipsi tamen viderint, annon aliquando de *nominibus* potius morborum disputent, quam de eorum *natura* atque medendi ratione: annon Logomachiae hoc indicium sit, quod, qui sententiis mirum quantum discrepare videntur, simulatque ad aegrotos ventum est, omnes eadem pene remedia praescribunt. Viderint, annon disputent aliquando, *sitne morbus in humoribus, an in partibus*, cum sit in utroque; in humoribus immediate, & per humores in partibus: annon *de caussis morbi* nonnunquam dissentire videantur, quorum alter proximam, alter remotam & primam caussam investigat: annon *Chymici*, qui *novam* prope *introduxerunt linguam*, multis quoque hoc ipso Logomachiis occasionem dederint. Haec & alia perspicaciores Medicorum rimentur. Ego ad Philosophos festino.

Philosophia, Logomachiarum semper feracissima.

Hic vero videmus, semper Philosophiam Logomachiarum fuisse feracissimam, inde usque ab eo tempore, quo in varias sectas dividi coepit. Meminit Cicero * *libri* cujusdam ab *Antiocho Academico* conscripti, quo probavit, *Stoicos & Peripateticos re consentire, verbis discrepare.* Nota est illa inter Peripateticos & Stoicos controversia, sitne aliquid praeter virtutem, valetudo puta, aut divitiae, aut honor, in bonis numerandum: itemque, sitne aliquid malum praeter vitia, an inopia, an dolor: Aiunt Peripatetici, negant Stoici. Magnum in re gravissima dissensum diceres. Quid? an Aristotelici haec virtuti aequant? honorem? divitias? Minime illud quidem: conce-

* De natura Deor. *l.* 1.

Probatur exemplis Stoicorum & Peripat. Vid. Gel.

† Si quis in compendio videre cupit Logomachias quamplurimas circa jus naturale, legat *Eridem Scandicam* Illust. *Puffendorfii*.

concedunt, omnium bonorum virtutem longe esse maximum, cum quibus cætera minora bona vix comparari possint. Quid Stoici? Nimirum hæc externa corporisque bona prorsus contemnunt? Neque illud certe. Tantum bona esse negant, contrariis autem præponenda esse concedunt; προηγμένα igitur vocant, quod Cicero præcipua, præposita reddit. Contraria autem, inopia, dolor, annon sunt mala, annon fugienda? fugienda concedunt Stoici, mala esse negant: sed ἀποπροηγμένα rejectanea. *Concludunt ratiunculis Stoici*, (en quam lepide homines irrideat Cicero *) *quare dolor non sit malum: quasi de verbo, non de re laboretur. Quid me decipis Zeno? nam cum id, quod mihi horribile videtur, tu omnino malum esse negas, capior & scire cupio, quomodo id, quod ego miserrimum existimem, ne malum quidem sit. Nihil est, inquit, malum, nisi quod turpe & vitiosum est. Ad ineptias redis. Illud enim, quod me angebat, non eximis. Scio, dolorem non esse nequitiam: desine id me docere: hoc doce, doleam nec ne, nihil interesse. Nunquam quicquam, inquit, ad beate quidem vivendum, quod est in una virtute positum: sed tamen est rejiciendum. Cur? asperum est, contra naturam, difficile perpessu, triste, durum. Hæc copia verborum est, quod omnes uno verbo malum appellamus, id tot modis posse dici. Definis tu mihi, non tollis dolorem.* Alibi § Pisonem introducit ridentem Stoicos, quod divitias bona esse negent, præposita dicant: cum tamen *longius sit verbum præposita, quam bona.* Idem prorsus judicandum est de illa controversia Stoicorum: *an omnia peccata sint paria;* nonnisi verborum pugnam esse. Cum enim satis utrinque disputatum est, tandem apparet, aliam Stoicorum sententiam non esse, quam omnia peccata à lege deflectere, id quod nemo unquam negavit.

Noct. Attic. l. 18. 1.

* Tusc. quæst. l. 2.

§ De Finib. bon. & mal. l. 4.

De illa monstrosa, ut videtur, & quam Seneca † ipse concoquere non potuit, Stoicorum sententia, qua virtutes & vitia animalia esse dixerunt, perinde est sentiendum. Nihil enim minus animalis nomine intellexerunt Philosophi minime insani, quam quod nos vulgo intelligimus. Quo pertinet & illa quæstio, sitne vox corpus nec ne. Stoici corpus esse dicebant: neque id mirum: definierunt enim vocem; ἀέρα πεπληγμένον, *aërem percussum.* Alii negarunt corpus esse: maluerunt enim vocem cum Platone definire; πλῆξιν τοῦ ἀέρος, *percussionem aëris;* quis Logomachiam non observat?

†Ep 113.

Vid. Diogen. Laërt. in Zenone & Platone.

Illa quoque inter Stoicos & Peripateticos celebris de affectibus dissensio: *an videl. sapiens affectibus omnino careat, an vero eos moderetur;* quorum illud Zeno, hoc Aristoteles tenuit; si propius aspiciatur, nihil aliud quam Logomachia est. Negat enim ille, in affectibus esse moderationem, quia quod moderatum est, affectum non vocat.

Magna certe causa, cur Stoici affectus plane improbarunt, fuit nomen Græcum πάθος, quod morbum aut intemperiem quandam significat. Quam in

Lepida de Plutarcho narratio A. Gellii Noct. Att. l. 1. c. 6.

in rem lepidam de Plutarcho A. Gellius narrationem à Tauro factam refert: *Plutarchus*, inquit, *servo suo nequam homini & contumaci, sed libris disputationibusque Philosophiæ aures imbutas habenti, tunicam detrahi ob nescio quod delictum, cædique eum loro jussit: cœperat verberari; obloquebatur, non meruisse, ut vapulet: nihil mali, nihil sceleris admisisse: postremo vociferari inter vapulandum incipit: neque jam querimonias, aut gemitus ejulatusque facere, sed verba seria & objurgatoria: Non ita esse Plutarchum ut deceret; philosophum irasci turpe esse: librum quoque περὶ ἀοργησίας pulcherrimum conscripsisse; iis omnibus, quæ in eo libro scripta sunt, nequaquam convenire, quod provolutus effususque in iram plurimis se plagis mulctaret. Tum Plutarchus lente & leniter: Quid autem, inquit, verbero, nunc ego tibi irasci videor? ex vultune meo, an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis correptum me esse ira intelligis? mihi quidem neque oculi, opinor, truces sunt, neque os turbidum; neque immaniter clamo; neque in spumam iramve effervesco: neque pudenda dico, aut pœnitenda, neque omnino trepido ira & gestio: hæc enim omnia, si ignoras, signa esse irarum solent: & simul ad eum, qui cædebat conversus, interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, tu hoc age.* Hæc Taurus apud A. Gellium: ex quo conjici potest, etiam Stoicos per iram, quam à sapiente abesse crediderunt, nihil aliud intellexisse, quam quod Aristotelici vocarunt iræ excessum & ἀμετρίαν. Hic est idem ille Plutarchus [& hoc Logomachiæ exemplum] de quo hic ipse Gellius alibi dicit, eum in Epicuro accusando nimis minute λέξεις τιλλεῖν.

In universum de Stoicis Cicero hoc fert judicium, quod verbis se potius à cæteris sectis, quam sententiis distinxerint. *Ex iisdem verborum præstigiis* (ita † alloquitur Stoicos] *& regna vobis nata sunt, & imperia, & divitiæ, & tantæ quidem, ut omnia, quæ ubique sint, sapientis esse dicatis: solum præterea formosum, solum liberum, solum civem: stultorum omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis.* Verbis denique à reliquorum Philosophorum decretis dissidere statuit illorum παράδοξα, quæ ipse mirabilia reddit. Hinc tandem hæc de Stoicis conclusio: *Re eadem defendunt, quæ Peripatetici; verba tenent mordicus: quæ rursus dum sibi evelli ex ore nolunt, horridiores evadunt, asperiores, duriores & oratione & moribus.* Sed & de Academicis & Peripateticis noster ait Cicero ‡, eos *rebus congruentes, nominibus differre,* esseque eorum *unam & consentientem duobus vocabulis Philosophiæ formam.*

† De fin. bon. & mal. l. 4.

Ibid.

‡ Acad. quæst. l. 1.

Logom. Stoicorum & Epicureorum.

Quas vero magis Philosophorum sectas de fine bonorum dissensisse credimus adhuc, quam Stoicos & Epicureos? Quid Epicuro Voluptatis magistro, omnis spurcitiei, ut multis videtur, auctori commune videtur cum tetricis illis & severis Stoicis? Est tamen aliquid atque adeo multum. Lege Epistolam Epicuri ad Menœcea; In hac tibi dicet, Philosophiam homines docere: ὡς οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως

καίως ἄνευ τοῦ ἡδέως. † Audi Torquatum apud Ciceronem : *Clamat*, inquit, *Epicurus, quem vos voluptatibus deditum esse dicitis, non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste, justéque vivatur; nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde.* Quod si ita est, quid aliud Epicurus voluptatis nomine intelligit, quam illam, quæ ex virtutis studio oritur, animi tranquillitatem, cui si aliquando corporis quoque *ἀναλγησίαν* addit, quæ temperantiæ, quam identidem inculcavit, comes est; quid est, quod Aristoteles, Zenove reprehendere possit?

L. 1. de fin.

Sed si hominis Epicurei suspectum tibi judicium est : audi Stoicum acerrimum : *Mea quidem*, inquit Seneca, *ista sententia est : sancta Epicurum & recta præcipere, &, si propius accesseris, tristia : voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur : & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Jubet illam parere naturæ : parum est autem luxuriæ, quod naturæ satis est. Quid ergo est? Ille qui desidiosum otium & gulam, & libidinis vices felicitatem vocat, bonum malæ rei quærit auctorem : & dum illo venit, blando nomine inductus sequitur voluptatem, non quam audit, sed quam attulit : & vitia sua cum cœpit putare similia præceptis, indulget iis non timide nec obscure : luxuriatur enim inoperto capite. Ita non dico, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse : sed illud dico : male audit & infamis est, & immerito.* Et sane mirari aliquis possit, tantum esse inter Philosophos de voluptate dissensum, nisi sciret, solere nonnunquam eos, ubi in re conveniunt, in verbis dissentire. Epicurus voluptatem summum bonum statuit : Aristoteles bonum, sed non summum : Zeno indifferens : Speusippus & Critolaus malum : Antisthenes denique summum malum; plane, ut dicere non dubitarit *μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. Insanirem potius, quam voluptatem caperem.* Quis hos tantopere de re satis nota dissentire posse crederet : si non justa esset caussa suspicandi : eos in significatione vocabuli voluptatis, boni, mali, non convenire?

De vita beata. c. 13.

Vid. Gell. Noct. Att. l. 9. c. 5.

Platonem vero & Aristotelem, qui, si ipsi fidem habemus Aristoteli, in multis admodum discreparunt, in plerisque horum consentire; probare instituit Boëthius, ille Peripateticæ Philosophiæ primus inter Latinos instaurator : & videremus sine dubio majorem inter Aristotelem cæterosque omnes Philosophos consensionem, nisi Aristoteles parum candide aliorum decreta proferendo, sensum eorum corrupisset, atque ut fraus tanto minus deprehenderetur, superiorum scripta posteris surripuisset. ⊥

Logom. Platonis & Aristotelis.

Redeo

† Lactant. l. 3. de falsa sapientia : *Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet, Aristippus in volupt. corporis. Plato : non alia est vera voluptas præterquam prudentis*

⊥ Plato Democriti libros comburere voluit : sed abductus est ab hac sententia Amiclæ & Cliniæ Pythagoricorum monitis; quod apud plerosque diffusi essent hujusmodi libri : sed quod Plato voluit, Aristoteles ope Alexandri perfecit. Vid. Plin. in præf. ad Vesp. Joh. Picus Mirandula op. tom. 1. p. m. 83. *Nullum est quæsitum naturæ*

Scholasticorum Philosophorum Logomachiæ.

Redeo nunc ad Scholasticos Philosophos, de quibus idem, quod de Theologis ante, judicium est ferendum: quanquam ne hi quidem distinguendi ab illis sint, quippe qui eandem ex Philosophia & Theologia disciplinam fecerunt. Hic an quoque Logomachiæ fuerint, quæris? Imo potius quære, an aliud quam Logomachiæ. Tantopere his delectati esse videntur, ut ideo semper in generalibus substitisse nunquam ad specialia, & utilia, & clara venisse videantur, quia in his non perinde, ut in illis, licet λογομαχεῖν. Longa illa disciplinarum prolegomena, per quæ unus erat ad Philosophiam aditus, quid aliud continet, quam Logomachias? Magnæ, credo, controversiæ sunt: *An Physica sit scientia, an ars: an detur Physica* (vereor ne & hic lis mihi moveatur, quod illam quæstionem huic antepono: gravis enim controversia est, *num quæstio an sit præcedere debeat quæstionem quid sit*: sed forte citra præjudicium ita sunt locatæ) *an Physica subordinetur Metaphysicæ*, & si hoc ita est, *annon hoc deroget nobilitati Physicæ: quodnam sit ejus objectum proprium, adæquatum, & formale: an possit perfecte definiri: in quo prædicamento sit: aut omnino an sit in aliquo:* An recte addatur in definitione, *quatenus naturale*: illudque, *quatenus sit-ne reduplicativum an specificativum?* Quæ omnes controversiæ, præterquam quod inutiles sint si modo decidi merentur, sola vocabulorum explicatione decidi possunt.

In Physica.

In Metaphysica.

Quid Metaphysica Scholasticorum? tota, quanta est, ex Logomachiis consuta est: ac si omnes idem barbaris illis, quibus omnia ibi resonant, vocabulis significarent: & si & ipsi Metaphysici sese, & alii alios intelligerent, alta foret in hac disciplina pax. Quod ex uno alterove exemplo facile conjici potest.

Joach. Camerarii testimonium In vita Philippi Melanchtonis.

Nulla fuit majori inter Scholasticos nisu pugna pugnata: quam illa de *universalibus, dentur ne à parte rei, nec ne*: quæ plane totam Scholasticorum gentem in duas sectas divisit. Affirmant *Reales*; negant *Nominales*: inter quos, si Joachimo Camerario credimus, *non solum contentiones & jurgia, sed dimicationes etiam ac pugnæ commissæ fuerunt, interdum concertationibus non pertinacibus modo verborum, sed manuum quoque violentis. Hæc dissidia* (pergit laudatus auctor) *& Tubingensem Academiam invaserant, contubernio bonarum artium & Philosophiæ studiis destinato, in duo quasi castella diviso, ex quibus de opinione sua factiones illæ acerrime præliantes, inimicitias graves exercebant.* Illa tamen tanta lis, audeo dicere, non potest esse nisi Logomachia. Quære ex illo, qui universalia statuit à parte rei: An detur alicubi in rerum natura substantia, quæ neque est spiritus, neque corpus, neque alia substantiæ species, imo neque hæc, neque ista, neque illa substantia: sed simpliciter substantia, & nil nisi substantia: prout nos con-

Nul-

naturale & divinum, in quo Aristoteles & Plato sensu & re non conveniant, quamvis verbis dissentire videantur. Alia vide Logomachia inter Philosophos exempla ibidem.

cipere aliquando possumus substantiam simpliciter & nil nisi substantiam. Nullum credo usque adeo *Realem* esse posse; qui, dummodo hæc verba tua intelligat, id sit unquam affirmaturus. Sed nihil aliud negant, qui universalia à parte rei esse negant. Quære deinde ex eo, qui hoc negat, an id, quod ipse concipiat, cum nonnisi substantiam concipit, sit, (quanquam non solum, uti ipse nunc hoc solum concipit,) sed sit tamen revera in hac, in illa, in ista substantia, quæ in rerum natura est. Nemo itidem vel maxime *Nominalis*, si modo te intelligit, id negare audebit. Sed nihil aliud volunt, si modo sciant quid velint, qui universalia à parte rei esse dicunt.

De supposito multæ hujusmodi controversiæ motæ sunt: quæsitum v. gr. inter alia est, *an anima Petri à corpore separata sit suppositum*, nec ne, *& adhuc sub judice lis est.* Negat hic suppositum esse: cur? non est substantia singularis, completa. Quid? annon est anima completa? Est; sed non est completus homo. Quasi quisquam animam separatam completum hominem esse diceret? Sed tamen, pugnant, non est suppositum, quia pars est hominis nunc quidem separata, sed suo tempore iterum cum corpore conjungenda. Quasi ego hæc negem? Quid igitur disputas? Non amplius disputo: video enim nos in omnibus consentire, præterquam in vocabulo suppositi. Ego quamvis substantiam singularem ab alia separatam suppositum appellabam: tu nonnisi eam, quæ non ad id destinata est, ut cum alia suo tempore iterum uniatur: sed non tanti est suppositi vox, ut propterea amici esse desinamus. Facile demonstrare possem, tales esse omnes prope Metaphysicorum disputationes, *an omne ens sit unum, sit verum, sit bonum, sit perfectum: quodnam sit principium individuationis: an relationes existant revera*, & alias per totam illam disciplinam.

Physica Scholasticorum.

Ejusdem commatis sunt Physica Scholasticorum, & longi illi in octo libros Physicorum Aristotelis commentarii: quas enim alias controversias expectes, ubi nihil nisi voces sunt, quibus nulla plerunque aut saltem confusa subjecta est vis, quam Logomachias? Nimirum valde diffident, qui disputant *detur-ne motus ad substantiam, sit-ne generatio motus nec ne, fiatne in instanti, ut loquuntur, an successive.* Quis non agnoscit hic Logomachiam? Per generationem intelligunt, quod fit primo momento, quo forma intrat in materiam: quare si tempus ad generationem plantæ ex semine requiri, objicis: dicent, omnia quæ tempore fiant, esse prævias alterationes; generationem unico momento peragi. Omnis Scholasticorum Physica his plena est, nisi existimes majoris momenti esse, quærere, *an privatio sit principium: an materia sit pura potentia: quomodo ex potentia materiæ forma educatur: quomodo in corruptione in eandem potentiam redeat. An formæ elementorum maneant in mixto. An qualitates elementorum symbolicæ differant specie. An temperamentum sit quinta qualitas à primis diversa &c.*

 Postremo

In Logica.

Postremo nihil magis vereri ubique videntur Scholastici, quam ne non satis sit in Philosophia Logomachiarum. Hunc in finem voluerunt, ut discipuli, quando eos Logicam docuerunt, distinguerent inter has enunciationes: *Leo animali est fortior*, & *Leo est fortior animali.* Si quis non assas modo, sed adustas carnes edisset, hunc recte voluerunt dicere: *Ego crudas carnes comedi*: non autem sic: *ego comedi crudas carnes.* Si cui pars pecuniæ ablata est, parte relicta: non audet ita apud judicem conqueri: *spoliavit me denariis*, sed dicendum: *denariis spoliavit me.* Fieri potest, si hos audis, ut verum sit hoc: *Papam verberavi*, cum eodem tempore falsum sit: *Verberavi Papam.* Quem in finem hæc omnia? certe in nullum alium, quam ut nunquam contendendi materia deesset.

Vid. *Thom. Morum.* in def. Moriæ Erasm.

Recentiorum Philosophorum pauciores Logomachiæ Steph. Gaussenus laudatus.

Recentiores Philosophi quidam, quia planius loqui solent, & Geometras secuti, ambiguitates vocum removent, tot inter se Logomachias non habent: quare non injuria Stephanus Gaussenus, singulari judicio Theologus, Cartesium propter hoc præcipue laudavit, quod Logomachias è Philosophia sustulerit. Sed quanquam ejus sequaces ipsi inter se de verbis raro litigent; tamen hæc ipsa Philosophia, quæ formulas loquendi peculiares habet, multis inter priscæ & novæ Philosophiæ cultores contentionibus occasionem dedit, quæ nonnisi Logomachiæ sunt.

Differt. de usu Phil. in Theol.

Cartesius multas logom. sustulit. Multis tamen inter priscæ & novæ philosophiæ cultores contentionibus occasionem dedit. Quod probatur exemplis.

Hic *cogitationem animam esse* dicit. Putat alter, accidens ex anima fieri cum corpore interiturum, & jam clamat: actum esse de immortalitate animæ. At hic per cogitationem substantiam quandam intelligit: quam ideo solum cogitationem vocat, ne quis existimet, mentem esse substantiam quandam, cui cogitatio tanquam res distincta accedat; cum ipsius illius substantiæ naturam, quantum nobis cognita est, in perpetuo quodam cogitandi actu consistere velit: quem si tollimus, nihil in mente reliquum sit, nisi conceptus generalis substantiæ, qui nusquam est in rerum natura.

Hic Philosophaturo *dubitationem* suadet: putat alter jam Pyrrhonismum atque adeo Atheismum in Scholas introduci. At hic fortasse nihil aliud vult, quam nihil sine ratione esse credendum, atque an sufficientes ad aliquid credendum rationes habeamus, hoc modo optime probari, si ponamus, (non credamus, sed ponamus aut fingamus] id esse falsum, ut si postea rationum vi ad id credendum adigamur, tanto magis in sententia nostra confirmemur: utpote quæ non anticipata quædam opinio sit, sed quam ipsa ratio & evidentia nos amplecti coëgit.

Negat hic, *Spiritus esse in loco*, imo aliquando *nusquam* esse dicit. Statim

tim est, qui metuit, ne forte prorsus Spiritus negentur: ac jam de Sadducæismo & Atheismo cogitat: aut saltem nullam spirituum ad corpora relationem statui putat. Sed nihil est, quod vereatur. Alter enim in loco esse dicit ista tantum, quæ eandem ad locum, quam corpora, relationem habent, quæ spatium aliquod occupant, quorum aliud tangit aliud: & cum Spiritus hanc ad corpora relationem habere negat; negat in loco esse; & quia τὸ *nusquam* idem significare credit, quod nullo in loco: dicit, Spiritus nusquam esse.

Aliquis *DEUM nonnisi per operationem in mundo esse* dicit. Protinus alius, qui aliquando audivit Vorstium quendam statuisse, DEUM in cœlo solo per essentiam, in reliquis locis per virtutem & operationem esse: quadam verborum similitudine deceptus; atat, inquit, hic illa est opinio: fugite hinc: in hac herba anguis iste latet. Vanus vero iste est metus; Cum enim ille DEUM sola operatione in mundo esse dicit, non essentiam excludere vult; voluntatem enim, qua DEUS omnia operatur, ipsissimam ejus essentiam esse agnoscit, sed diffusionem, expansionem corporalem, quam *ipse ille* Vorstius DEO attribuit.

Negat quis, ante *conditum Mundum DEUM fuisse usquam*, aut hodie *extra mundum esse*. Credet alius, negari, DEUM ante mundum fuisse, aut fuisse infinitum: aut hodie negari ejus immensitatem. At ille nihil aliud dicere vult, quam, ante mundum conditum, cum nulla res fuerit præter DEUM, neque hodie ulla res extra mundum sit; nulli quoque rei DEUM ante mundum fuisse, & hodie extra mundum esse, præsentem.

Sunt, qui disputant inter se, sitne *error in intellectu, an in voluntate*, qui in hoc conveniunt in simplici perceptione obscuritatem & confusionem, at in solo judicio errorem proprie dictum esse; ut omnis in eo controversia sit, num judicium ad intellectum, an vero ad voluntatem sit referendum: quasi intellectus & voluntas reapse, & non solo considerandi modo inter se distinguantur.

Negat aliquis *ignem esse calidum*. Hic vero insanire aliis videtur, & jam ad fornacem calefactam provocant. At iste ignem calefacere concedit, negat in igne sensum caloris, nam hunc proprie calorem vocat, aut aliquid huic sensui simile esse.

Negat aliquis sensum aut dolorem esse, nisi in cerebro, atque adeo in mente. Ridet alter, & jam fustem, quo contrarium probet, poscit. At hic non negat caussam doloris posse in quolibet membro oriri, ipsum

doloris sensum in mente esse dicit, qui non oriatur ad motum cujuslibet membri, nisi ille motus usque ad partem quandam cerebri deferatur.

In Mathesi Logomachias esse exemplis demonstratur.

Neque vero ii sumus, qui talium de vocibus concertationum numerum nos inire posse arbitremur, quod neque una atque altera dissertatione, ne que omnino ab uno homineperagi potest: cum ita late per omnia disciplinarum genera lues ista se diffuderit, ut ne Mathesin quidem, quantacunque se solicitudine, suis nominum definitionibus, ab hac contagione præservarit, intactam prorsus reliquerit. Pugnent enim inter se Clavius & Pelletarius, *angulus ne sit*, illud, quod inter tangentem & circuli peripheriam intercipitur, spacium, sive aliter describere placet id, quod vulgo *angulum contactus* vocant: simulatque in significatione hujus vocis, *angulus*, convenire vellent, fortasse, de quo disputarent, non haberent. Quæ vero Thomas Hobbesius Mathematicis objicit, quis non videt, in verbis maximam partem consumi? definitiones eorum in ordinem cogit, non animadvertens, nominum definitiones esse, quæ semper in definientis potestate fuerunt. Quo pertinent illæ quæstiones, quæ serio nonnunquam fiunt, *sitne punctum pars lineæ? sitne unitas numerus?* quod Stevinus contra Euclidem affirmat. Quin & illud observes, evenire quandoque, ut, si quis nominibus non eo utatur sensu, quem Mathematici iis subjecerunt, veluti si quis *signum*, quod ipsi *asterismum*; aut *proportionem* vocaret, quod ipsi simplicem *rationem* appellant; quanquam revera idem, quod illi, sentiat; non aliter rideatur, quam si in furorem incidisset; obliti videl. erant acutissimi homines, se in nomenclationibus istis, non rationem, sed arbitrium suum esse secutos. Quare si in eorum hortulis crescit hoc infelix lolium, qui tanta solicitudine ejus incrementum impediunt; quid de iis cogitabimus, qui illud & copiosissime crescere patiuntur, &, sicubi crevit, de eo evellendo, nedum de eradicando, vix unquam cogitant, utinam non alerent!

CAP. III.

De variis Logomachiæ speciebus.

EX his, quæ superiori capite, nullo quidem delectu habito, sed, ut in quæque incidimus, allata sunt, Logomachiæ exemplis, perspicuum est, quam leves sint sæpe inter ea, quæ, maximo inter eruditos strepitu disputantur, verborum pugnæ: neque dubitamus, quin paucula illa, quorum mentionem injecimus, innumerabilia alia perspicacioribus in memoriam redegerint. At nos in cursu incepto pergemus, nuncque, ut instituimus, in præcipuas quasdam *Logomachiæ species* digitum intendemus.

Ac

Ac *primo* quidem observamus, in disputationibus doctorum, quas logomachias appellare licet, ea significatione, quam supra elegimus; *aliquando omnem in verbis esse dissensum, in re prorsus nullum: aliquando, esse quidem aliquam eamque veram inter disputantes dissensionem, ita tamen, ut verba utriusque alteriusve partis longe aliam eamque in pluribus & gravioribus præ se ferant.* Fit enim sæpe, ut dissidentium uterque, aut alter, cum sententiam alterius oppugnat, non id modo refellat, in quo revera ab eo dissentit, sed verbis quibusdam non intellectis offensus, simulque, uti fit, affectu abreptus, latius vagetur, atque ea etiam refutanda sibi sumat, de quibus inter se & adversarium convenit: hæcque omnia, crescente disputantium fervore, ita inter se permisceantur & confundantur, ut tandem, in quo consensus, in quo dissensus sit, vix amplius discerni possit; quod vitium partim ἑτεροζητήσει, partim πολυζητήσει vicinum videtur. Illam priorem nos *Logomachiam puram*, hanc *mixtam* appellabimus. Illa ineptior est, sed plerunque detectu facilior: hæc quanto difficilior cognitu, tanto magis est metuenda. Ac tametsi illa minime rara sit, uti vidimus, hæc tamen longe est frequentior, plane, ut dicere possimus, perquam paucas eruditorum disputationes esse, quæ non aliquam verborum pugnam admixtam habeant.

Logomachiarum variæ species. Cap. I. §. 7. Harum differentia prima.

Logmachia pura & mixta. Paucæ disput. absque verborum pugna.

Quo minus temeritatis accusabor, si, quod nunc quidem ante alia occurrit, exempli loco attulero, ortam ante lustra non ita multa, inter summos Viros, de *Sabbathi*, uti loquuntur, *moralitate*, disputationem. Non enim negaverim, esse hic aliquam in eo dissensionem, quod alii ad illud, quod etiamnunc obtinet, septem dierum intervallum, inter dies publico DEI cultui sacros, Ecclesiam Christianam, æque atque Judaicam olim, adstrictam esse, contendunt, quæ communis Ecclesiæ nostræ sententia est: alii dicunt, prudenter quidem hoc dierum intervallum ab Ecclesia Christiana esse retentum; egisse tamen eam, quod hic egit, non præcepto quarto ad id obligatam, sed pro ea, quam illi præ Veteri Ecclesia tribuunt, libertate.

Disputatio hodierna de moralitate Sabbathi.

In hoc quanquam, uti dixi, aliqua dissensio sit, alia tamen & longe major nonnunquam esse videtur. Sæpe enim ad nescio quas de hac voce *moralis* contentiones deflectitur disputatio, ubi in significatione hujus vocabuli neque omnes conveniunt, neque iidem sibi constant: nunc illo intelligentes, quod ex ipsa DEI natura sanctitateque ita derivatum est, ut DEUS ipse quicquam ab eo diversum præcipere non potuerit; nunc quod ex notionibus homini natura insitis necessario deducitur; nunc quod, licet non juris naturalis, perpetui tamen est; nunc denique quod quoquo modo ad mores hominum regendos pertinet.

Ut primum vero tenebræ semel obortæ sunt; ad alia itur, atque, incalescentibus animis, ita quandoque disputatur, ac si altera pars, omnes præcepti quarti apices juris perpetui esse, diceret, ac Sabbathum Judaicum in

in Ecclesiam Christianam revocare vellet: altera, tantum non omnem cultum DEI publicum aboleret. Quo fit, ut, velut atris nubibus menti offusis, vix amplius cerni possit, de his omnibus inter tantos Viros plane convenire: Non omnia, quæ in præcepto quarto mandantur aut prohibentur, juris esse perpetui; non septimi, à Creatione mundi, diei numerationem; non multa in rigida illa, quæque ipsa bruta animantia complectitur, quietis observatione; non alia, quæ mysticam futuri significationem habuisse utrinque conceditur. Perpetui vero juris esse hæc omnia: DEUM non modo intra privatos parietes, sed publice in frequenti cœtu colendum, utque tales cœtus convenire possint, idque recte & ordine fiat, stata tempora necessario observanda esse; tantumque abesse, ut hæc tempora rariora inter Christianos, quam inter Judæos olim fuerunt, esse debeant: ut potius inter illos publica pietatis exercitia crebriora esse oporteat, majorique sint frequentia, attentione, religione, ardore celebranda. Cum igitur Ecclesia Christiana, in statis hisce temporibus, idem, quod Judaica olim observavit, dierum intervallum retinuerit, ac septimum quemque diem DEO consecret, quod ut mutetur, neutra pars disputantium suadet, (sive id præcepto quarto adstricta fecerit, sive hac in re libertate sibi concessa usa fuerit,) obligare quemque perpetuum præceptum DEI, ut, posthabitis omnibus aliis negotiis, diebus his divino cultui unicè vacet, cupidè ad sacras congregationes veniat; domi se ad easdem rite præparet, omniaque, quæ vel tantillum in re tam necessaria se impedire possint, seponat: idque non ideo solum, quia DEUS velit, ut constitutioni Ecclesiæ pareamus; sed ideo præcipue, quia his solis & non aliis diebus, hoc modo publico & solenni, colatur DEUS, qui cultus publicus & solennis, privato minime sufficiente, juris sit perpetui & immutabilis, homini, cui ad eum patet aditus, à DEO in omnia secula mandatus: adeo, ut hunc iis diebus, quibus aut solis, aut saltem præcipue peragitur, negligere, non modo sit ordinem hominum sanctissimum, licet & hunc à DEO institutum, negligere; vota sua precesque cum omnium Christianorum, his ipsis diebus, fusis precibus conjungere nolle: sed DEUM ipsum, idque *directe & immediate*, ut in cujus honorem hic tam gratus tot in orbe Christiano votorum, precum, aliorumque pietatis exercitiorum fit concentus, contemnere; eumque, tributo non minus à Christianis, si non ab his pluribus nominibus, quam olim à Judæis, ipsi debito; quod sane alio tempore, quam cum Ecclesia convenire solet, pendere illi non possumus; defraudare. Atque ad hunc, in hisce omnibus, partium disputantium consensum sicubi non attenditur; sed ita disputatur, ac si in his aut universis aut horum quibusdam partes quoque dissiderent; hæcque iis, in quibus verus dissensus est, permiscentur: tum vero oritur illud contentionis genus, quod nos *mixtam Logomachiam* appellamus.

Altera disputatio de παρέσει. Audeo, quia hanc controversiam adducere sustinui, alteram hic inter eosdem agitatam, attingere: *An fideles, qui ante Christi mortem vixerunt, obtinue*

obtinuerint ἄφεσιν ἁμαρτιῶν? quam utrum ad puras, an ad mixtas Logomachias referam, nescio; adeo enim Græcæ hæ voces hic mihi necessariæ videntur, ut verear, ne, si Latinè loquar, controversia omnis protinus in auras abeat: quare & in vulgi ore, in ea regione, ubi hæc lis cœpit, Græca hæc vocabula ἄφεσις, πάρεσις identidem fuisse, aiunt. De salute nostra agi, crederes; cum tamen omnino de nobis non agatur, sed de fidelibus V. T., quibus nostro judicio non amplius aut prodesse aut obesse possumus.

Sed quid? an forte illi, qui fidelibus, qui ante Christi mortem vixerunt, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν negant, hos sententia sua in orcum detrudunt? Longe absunt illi quidem ab hac crudelitate. At certe hos in limbo quodam usque ad Christi resurrectionem expectare jubent? Hunc vero limbum una cum aliis rident. Fortasse ut in vita ipsi suorum peccatorum pœnas luant, ab illis exigunt? Ne unicam quidem. Ergo sane post mortem eos in purgatorium quoddam ablegant, ubi à peccatis, quorum ἄφεσιν non acceperunt, mundentur? Imo vero hos omnes recta ad cœlum evolasse, statimque à morte in beatorum vitam, eamque nunquam finiendam ingressos, &, quod majus est, quosdam eorum vivos eo sublatos esse, contendunt: hæcque omnia obtinuisse aiunt, per solam fidem in Christum Filium DEI, quem constituto tempore, pro omnibus & singulis peccatis suis, DEO certo satisfacturum noverant, ex innumeris promissionibus, vaticiniis, typis & pignoribus; quorum, quod mireris, longe plura in omnibus V. T. libris, ii ipsi qui fidelibus V. T. ἄφεσιν ἁμαρτιῶν negant, quam cæteri simul omnes, inveniunt.

An in hoc dissident, quod hi statuunt: ante Christi mortem, unicum pro peccatis sacrificium, DEO pro peccatis nondum *actu* fuisse satisfactum, hocque sensu peccata nondum *actu* fuisse expiata? quod aliqua hujus rei commemoratio, quam peccati ἀνάμνησιν vocant, fuerit in ceremoniis sacrificiisque Judæorum? quod propterea DEUS aliquam inter fideles, qui ante Christum, eosque qui post Christum vixerunt, distinctionem fecerit; illos durius tractaverit, multa illis onera imposuerit, illos sæpius terruerit, Christum obscurius iis annunciaverit? Video, de his & multis aliis hujus generis, quæ ad Oeconomiæ veteris & novæ varietatem pertinent, inter utramque partem, dummodo altera alteram intelligere velit, convenire.

Ubi igitur tandem dissensus est? Sane si mentem in omnes partes verto, perspicere non possum, revera alteram partem plus aut negare, aut tribuere patribus illis, atque alteram; verbis tantum id facere videri. Quid enim? Negat illa his ἄφεσιν ἁμαρτιῶν; quia peccata, tametsi iis non fuerint imputata, fuerunt tamen commemorata, atque hoc sensu aliquo modo debitum ab iis exactum: id quod altera pars, si recte explicetur, non negat; existi-

existimat solum, has duas non imputandi peccati rationes, quarum altera fit sine tali commemoratione, altera cum ista commemoratione, in S. literis nominibus non ita distingui, ut illa ἄφεσις, hæc πάρεσις vocetur.

Auctoris sententia de origine hujus disp.

Quare, quod tantopere hæc controversia efferbuerit, hæc mihi caussa esse videtur; quod in explicanda fidelium post mortem Christi, præ iis, qui ante eam vixerunt, prærogativa, de qua, si rem ipsam spectes, utrinque conveniunt, altera pars verbis utitur, quæ alteri duriora & in hos inclementius dicta esse videntur; hæc vero, quia verba Spiritus S. ex S. literis depromta esse existimat, eripi sibi ex ore non vult. Unde nonnunquam à controversia abitur, deque locis illis, unde hæ locutiones desumtæ sunt, disputari solet, atque an ad fideles ante Christum pertineant, disquiri.

Quid igitur? *putane* hæc est Logomachia? Ita quidem dicerem libenter, nisi durum mihi videretur statuere, tot tantosque viros de solis vocibus inter se tam acriter disputasse: quare malim credere, adhærere huic verborum pugnæ, veram aliquam de re dissensionem, sed adeo exilem & tenuem, ut ego, & mecum omnes ii, quotquot me acutiores non sunt, eam conspicere non possimus. Sed ad alias Logomachiarum varietates nobis est pergendum.

Altera differentia Logomachiarum.

Altera, quam observamus, inter Logomachias differentia in eo est: *quod alia quidem in uno aut saltem paucis vocabulis aut locutionibus, quæ à disputantibus non eodem sensu accipiuntur, consistit: alia in longa verborum, quorum singula quandoque ambiguitatem nullam habent, serie, atque adeo in tota rem, de qua convenitur, tradendi ratione docendique modo ac methodo versatur*; præsertim si & tum, quod sæpe fit, ita disputatur, ac si verum in sententiis iisque maximi momenti esset dissidium; cum tamen utraque pars, via licet diversa, eodem tendat.

Prior facile perspicitur. Quæstio: an voluntas cogi possit?

Ac prius quidem Logomachiæ genus facile plerumque perspicitur: quis enim tam parum est acutus, quin, dummodo attentionem qualemcunque afferat, non statim videat, quæstionem hanc, *an voluntas cogi possit*, sola verbi, *cogere*, explicatione solvi posse: atque, si tum demum voluntas cogi dicatur, cum eo adigitur, ut aliquid nolens velit, i. e. eodem momento idem & velit & nolit; hæc inter se pugnare, atque ita voluntatem cogi non posse: quod si vero tum cogi dicatur voluntas, cum mali intentati metu, eo redigitur, ut velit aliquid, quod sine hoc nollet, demtoque metu iterum sit rejectura, neminem rerum humanarum adeo ignarum esse, qui hoc modo voluntatem sæpissime cogi nesciat?

An con-

Ita, cum Doctores disputant, *num conscientia errare possit*, quis non primo intuitu

intuitu sentit, hanc nonnisi *frigidam* esse *Logomachiam*, ut à celebri Theologo jure appellatur? errare omnino conscientiam posse, si conscientiæ nomine *quodlibet* de faciendis aut omittendis *judicium* intelligimus; errare non posse, cum hoc nomine *certam* intelligimus de istis *scientiam*. Quis enim hominum unquam negavit, nos de faciendis aut omittendis judicantes errare posse? Et quis unquam statuit aliquem errare posse, quando de re quadam certam habeat scientiam? Idem de aliis, quæ in paucorum verborum ambiguitate consistunt, Logomachiis dicendum.

scientia errare possit?

Cum vero in longa oratione, atque universa docendi methodo Logomachia est, difficilior est cognitio; ut non raro minime hebetes, tametsi in sola rem eandem tradendi ratione inter se dissideant, tamen adeo pugnaciter disputent, ut vix id ferri posset, si maximus inter illos in rebus gravissimis esset dissensus.

Posterior cognitu difficilior.

Cujus quidem rei, cum multa sint exempla; tum nullum illustrius nunc quidem in mentem venit, quam atrocissimum illud inter Aristotelis interpretes, & Petrum Ramum ejusque discipulos, olim exortum bellum; quod universam pene Europam pervasit, &, quicquid tum temporis erat Philosophorum, in duas sectas, Aristoteleam & Rameam, divisit; unicumque propemodum Disputationum Philosophicarum in celeberrimis Galliæ & Germaniæ Academiis multos per annos fuit argumentum.

Hujus exemplum illustre: bellum inter Aristotelicos & P. Ramum, prolixius repræsentatum.

Quantas turbas in sola Academia Parisiensi, ubi ortum est, dederit, quia eadem nonnunquam, mutatis personis, fabula agitur, speciminis loco pluribus narrabo. Ediderat Petrus Ramus potissimum libros, quibus Aristotelica docendi ratio perstringebatur, quorum alterum *Dialecticas Institutiones*, alterum *Aristotelicas Animadversiones* inscripserat. Indignum hoc facinus visum iis, quibus Aristotelis auctoritas à sua sejuncta esse non posse videbatur. Ergo, duce Antonio Goveano, celebri Jurisconsulto, indignari, fremere, multos libros hisce, uti putabant, novitatibus opponere. Quæ omnia, cum ad incendium hoc, ut ipsis videbatur, restinguendum non sufficerent: tum vero alia tentantur, atque ad prætorium tribunal, summumque, quod Parlamentum vocant, Parisiensis curiæ consilium curritur; quod librorum, si Diis placet, pestilentissimorum lectionem auctoritate sua inhiberet. Nimirum Hannibal erat ante portas, & interitus urbi imminebat. Sed & hoc bello huic Dialectico non satis validum remedium videbatur. Rex Galliæ, incredibile dictu, & Rex Franciscus I. in partes trahendus erat, qui tanquam umbraticus Doctor, in Dialectica disputatione judex sederet.

Rami Instit. dialecticæ, & Animadversiones Aristotelicæ. Ant Goveanus. Res defertur ad Parlamentum.

& tandem ad Regem.

Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.

Accepit tamen ille conditionem, atque, ut omnis caussa à quinque viris cognos-

Qui quin-

que constituit arbitros.

cognosceretur, publice edixit: quorum duo, Petrus Danesius, Franciscus Vicomercatensis à Goveano; duo itidem, Joh. Quintinus & Johannes Bellomontanus à P. Ramo lecti sunt; quintum Rex ipse addidit, qui Regis Personam referens, inter cæteros arbiter esset. Hic vero, diebus multis inutilibus disputationibus consumtis, cum Ramus, ut qui tres ex quinque judicibus adversos sibi videret, caussæ suæ timens, ab his provocare vellet: tres judices [postquam & duo à Ramo lecti se inæquali pugnæ subtraxissent] summa, sine provocatione, auctoritate à Rege impetrata; tandem Ramum, ejusque libros condemnant, judiciumque suum ad *Regem deferunt*, qui edicto * bene longo, regio sigillo munito, perque omnes amplissimi Regni provincias promulgato, hoc triumvirorum judicium comprobat, *Ramus ne posthac doceat, librique ejus ne imprimantur, vendantur, aut ullo modo publicentur*, irrogata transgressoribus *corporis pœna*, severissime mandat.

* Hoc edictum, ex quo omnia hæc exscripsi, Gallice etiamnum extat apud Launoium de varia Aristotelis fortuna, cap. 13.

Hæc omnia non jam à Doctoribus, non à summi Senatus præsidibus, sed à Rege potentissimo adversus Ramum pro Aristotele acta. Felicem hoc defensore Aristotelem*! quis enim in eum scriberet, qui poterat proscribere?*

De qua re in illorum consessu fuerit disputatum. In Academia ad Carol. Lotharingium.

Sed tu fortasse, quisquis hæc legis, scire aves, qua de re in illo quinque virorum, Regia auctoritate congregatorum, consessu disputatum fuerit. Audi igitur hac de re Audomarum Talæum: *Biduo*, ait ille, *magna contentione* (arrige aures) *de Dialecticæ artis definitione & partitione, quæ in Logici Organi libris nullæ essent, concertatum est. Tres Aristotelei judices primo die contra omnes bene descriptæ artis leges* (en imperitiam!) *judicarunt, ad Dialecticæ artis perfectionem definitione nihil opus esse. Joh. Quintinus & Joh. Bellomontanus, qui duo judices erant à Ramo delecti, pro singulari eruditione sua & doctrina* (vel ex hoc vides) *censuerunt, omnem disputationem, quæ via & ratione procederet, à definitione proficisci debere, idque per scriptum obsignarunt.*

Vides, non potuisse in Dialecticæ definitione convenire tantos Viros toto hoc die: at quid de divisione? *Postridie*, pergit Talæus, *tres judices Aristotelei vehementer conturbati* (turpiter nempe se heri dederant) *de partitione assentiuntur, Dialecticæ legitimas esse partes, inventionem & judicium, atque de hac re sententias suas perscribunt.* Beasti! metui à partitione. Jam igitur macte virtute Rame, argumentare ex concessis; insta! Itaque fecit. *Verum cum Ramus urgeret Aristoteleos, igitur à se merito reprehendi Aristotelem, quod propria partitione prætermissa, totam Dialecticam mille tenebris obrueret, tribus judicibus ampliari caussam placuit* (illud durum) *& in alium diem rejici. Postea vero*, proh, ubi fides! *novum consilium initur, ut ab initio tota disputatio retexatur, omniaque* (etiam ea, quæ post tot labores de partitione Dialecticæ utrinque obsignaverant) *injudicata ducerentur & pro nihilo haberentur.* Hic vero Ramus, tantam injustitiam judicum non ferens, ab iis *provocavit.* Hoc scilicet erat, *Aristoteli repugnando, Theologiam & artes enervare;* hujus enim criminis Ramum postulatum esse, idem Talæus auctor est.

Hæc,

Hac, si Guillielmo Montuello, illo tempore Academiæ Parisiensis Rectori, credis, fuit illa *ingens omnium studiorum perturbatio; quæ, nescio quo malo genio in Academiam irrumpente, repente facta est.* Hic *morbus* ille, *cui mature occurrendum;* hæc *pestis, quam Rex fugiendam esse, confectis regio sigillo notatis literis, omnibus Regni partibus significandum censuit* Tanti hæc tum esse videbantur: nunc quantacunque sit antiquitatis reverentia, tamen impedire non potest, quo minus

Tragicis hisce verbis inscripsit hanc rem Academiæ librario. Vid. Launoium. l. c.

Rideat *pugnas vitio parentum*
Nostra *juventus.*

Quis enim est hodie, qui nesciat, Ramum nullam de re ulla novam sententiam excogitasse? quis, cum variæ de rebus variis Philosophorum opiniones producuntur, unquam Ramum sententiam dicentem audit? In modo methodoque docendi, in definitionibus & divisionibus ab Aristotele recessit, de quibus, qui tanquam de magnis rebus litigant, merito à nobis inter λογομάχυς referuntur.

In hoc enim λογομαχία, quæ in una locutione consistit, cum hac μεθοδομαχία convenit, quod, qui ita disputant, ii in sententiis & rebus ipsis conveniunt, & nonnisi in modo sententiam suam explicandi, dissident. Quidni igitur ad λογομαχίας referamus plerasque Dialecticorum controversias: *de numero & ordine categoriarum, de numero & ordine prædicabilium; quæ ad categorias referenda, quæ inde excludenda; doctrina de locis, de Syllogismo, de sophismatis, quo referenda? de definitionibus, an ubique sint necessariæ, an genus aliquando omitti possit; an διχοτομίαι sint meliores an τριχοτομίαι? De disciplinarum divisione, de subordinatione earundem, de assignando suo cuique objecto*, quo contenta, jus alterius ne usurpet?

Pleræque Dialecticorum controversiæ ad Logomachias referendæ.

Enimvero indignum videtur Metaphysicæ, scientiæ, quæ cæteris objecta distribuere solet, quod Logica, contra omne jus & fas, doctrinam *de toto & partibus, caussa & caussato, subjecto & adjuncto*, sibi arrogaverit. Nec minus graviter Pneumatica de Metaphysica conqueritur, quod *spiritus*, nequaquam suæ ditioni obnoxios, quo jure quave injuria, detineat. De *homine* vero dici non potest, quantum Pneumatica & Physica litigent, utraque partem poscente: ut mirer, nondum existere peculiarem disciplinam ἀνθρωπολογίαν, quæ litem componat, atque hominem utrinque ademtum sibi vindicet.

Quid his de rebus disputatis Philosophi? Ego sane, dummodo omnia, quæ cognitu utilia sunt, tradantur alicubi, & tradantur ea & brevitate & perspicuitate & ordine, ut ea intelligere & memoria retinere possim, non magis solicitus sum, quomodo vocetur illa disciplina, in qua hæc traduntur, quam quomodo appelletur Doctor, qui me ista docet.

Auctoris sententia de assignando cuique disciplinæ suo objecto.

 Agon-

Senecæ locus in hanc rem.
Epist. 89.

Agnovit levitatem istarum disputationum Seneca: *Philosophiæ*, inquit, *tres partes esse dixerunt & maximi & plurimi auctores: moralem, naturalem, & rationalem. Cæterum inventi sunt, & qui in pauciora philosophiam & qui in plura diducerent. Quidam ex Peripateticis quartam partem adjecerunt, Civilem: quia quandam propriam exercitationem desideret, & circa aliam materiam occupata sit. Quidam adjecerunt his partem, quam Græci* ὀικονομικὴν *vocant, administrandæ rei familiaris scientiam. Quidam & de generibus vitæ locum separarunt. Nihil autem horum in illa parte morali non reperitur. Epicurei duas partes Philosophiæ putaverunt esse, Naturalem atque Moralem. Rationalem removerunt: deinde cum ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa sub specie veri latentia coarguere, ipsi quoque quod judicium & regulam alio nomine appellant, Rationalis loco induxerunt, sed eam accessionem esse naturalis partis existimant. Cyrenaici naturalia cum rationalibus sustulerunt, & contenti fuerunt moralibus: sed hi quoque qui removent, aliter inducunt. In quinque enim partes moralia dividunt: ut una sit de fugiendis, & expetendis, altera de affectibus, tertia de actionibus, quarta de caussis, quinta de argumentis. Caussæ rerum ex naturali parte sunt, argumenta ex rationali, actiones ex morali.*

Ordo semper & ubique observandus.

At ego, inquis, confusionem ferre non possum: ordinem amo; hic mihi illo longe concinnior videtur. Equidem non nego: magnam ubique ordinis rationem esse habendam, cui enim non placet ordo? cui placet Chaos,

— — — — congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum?

Sed de eo non disputandum.

Sed ordinem volo observari, non de eo disputari; nedum ita disputari, ac si de summa Reipub. ageretur. Commodior tibi via tua videtur & brevior. Utere; quis impedit? perge in ea, propera, curre. Quid stas? quid eam supervacanea de methodo disputatione longiorem facis? quin progrederis & re ipsa ostendis, atque ex hoc ipso, quod ante alios metam tetigeris, optimam te & compendiariam elegisse viam.

Philosophi contrarium facientes, similes malis caussarum patronis.

Omnino imitantur hic Philosophi sæpe malos caussarum patronos, qui, dum id se agere simulant, ut ordo & in cognoscendo & in judicando observetur, agunt, quod maxime è re sua est, i. e. ut judicia differantur, nunquam finiantur, atque interdum ne quidem incipiantur.

Nimis anxia de ordine solicitudo putidam diligentiam redolet.

Præterea fit plerumque, ut nimis anxia de ordine solicitudo, nescio quam putidam diligentiam redoleat: sæpissime enim ordo plane arbitrarius est, ut de eo multis disputare, perinde sit, ac si quis quæreret, satiusne sit ad vinum diluendum, aquam vino, an vinum aquæ infundere. Sapienter, cujus nos judicium libenter sequimur, Gaussenus: *Methodi disciplinarum in puncto indivisibili non consistunt, quod qui non attigerit, eum à scopo aberrare necesse sit; sed possunt innumerabilibus viis & flexibus explicari. Sicut igitur possumus totam rerum*

naturam

naturam vel in decem Archytæ categoriis collocare, vel ad duas revocare, substantiam & accidens: vel, si animo ita visum est, ad tres redigere, substantiam, accidens, & non ens, ita ut sub non ente denominationes externæ, relationes, privationes, &c. comprehendantur, aut etiam, si lubet, novas categorias comminisci: cum unum hic quæratur, ut quæcunque sint in natura certo quodam ordine distinguantur, in memoriæ subsidium: pariter nihil vetat disciplinæ nostræ [Theologiæ] *dogmata varie ordinari, prout quisque id suæ memoriæ, cujus non minor est, quam vultus, diversitas, commodum existimat.*

Gaussenus laudatus Differt. de studii Theolog. ratione.

Tertia quam animadvertimus, *Logomachiarum varietas* in hoc consistit: quod *nonnunquam in vocabulis ita dissentiunt disputantes, ut in reipsa conveniant:* ut duo Politici, qui probe cognoscentes Reipubl. alicujus constitutionem & administrationem. in eoque convenientes; de forma illius, sitne simplex an mixta, disputarent. *Aliquando in solis quidem verbis dissensus est, ut tamen in re ipsa consensus nullus sit: id quod tum fit, quando disputantes non modo alii alios, sed ne quidem se ipsos intelligunt:* tum enim, quanquam solis inter se verbis diffideant, sensu tamen, cum verba eorum nullum habeant, propterea non conveniunt.

Tertia Logomachiarum differentia.

Talem conflictum nos distinctionis gratia *Logomachiam cæcam* appellamus. Vera enim est Andabatarum pugna; quæ certe non ita rara est, ut multis fortasse videtur. Non enim insolitum est, spectare disputationem illi, quam *Michaël Montanus* describit, non prorsus absimilem; qui vidisse se ait, quendam amicorum animi caussa disputantem, cum homine, qui eruditus suo tempore habitus fuerit: hunc amicum suum de industria composuisse nescio quem sine sensu & ordine centonem, ex variis locutionibus non cohærentibus consutum, tamen plenum vocabulis quos terminos artium vocant; talibusque nihil significantibus vocibus, non secus ac si difficiles objectiones alteri proponeret, integrum diem antagonistam suum occupasse; qui, durante illo ludo, serio objectiones propositas diluere, apteque ad omnia respondere sibi videbatur.

Logomachia cæca.

Essais de Montaigne, livre 1. chap. 24. du pedantisme.

In ludicra hac disputatione alter saltem disputantium sciebat, se nihil dicere; at in multis neuter disputantium id cognoscit. Refer huc quasdam Scholasticorum pugnas. Quomodo enim, non dico alios, sed se ipsos intelligent; qui disputant, de illa materia prima, quæ est *neque quid, neque quantum, neque quale;* vel, ut Porphyrius de ea loquitur, *quæ est quasi ludus entis in non ens refugiens, imo verum non ens;* ejusque mirifica illa *potentia*, ex qua [quanquam sit longe minoris & tenuioris texturæ, quam ipsa materia prima,] possit tamen, quod ex materia non potest, *educi* substantia aliqua, quæ neque est spiritus, neque corpus, neque omnino per se existit, *sed dependet à materia in esse, fieri, & operari*: quæ vero substantia, de qua nihil aliud scimus, quam quod sit *actus quidam simplex*, cum contra materia sit *pura potentia*, (*formæ enim rerum sunt ignotæ* :) quæ, inquam, substantia conjuncta cum materia, (in qua ante non erat, sed potius ejus *privatio*, quæ est *tertium principium*

Scholasticorum quædam pugnæ huc referendæ: ut de materia prima.

principium corporis naturalis) materiam ita *actuet*, ut, quod ante potentia tantum in ea erat, jam *ex potentia*, nescio qua vi, *eductum*, constituat una cum materia *unum per se*. Hæc verba, an ab aliis intelligantur, equidem nescio: ego certe nihil intelligo, & mecum fortasse alii: plane ut, si sensum eorum assequi volo, idem mihi contingat, quod Æneæ Virgiliano contigit umbram defunctæ uxoris amplecti volenti:

Ter conatus eram collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.

Omnino idem mihi hæc *materia*, una cum sua *potentia*, *ex qua formæ substantiales educuntur*, fatum habuisse videtur, quod Echo, quæ Heroicis temporibus pulcherrima fuit virgo; nunc nil nisi sonus est; ita sane hæ quondam (nam & Philosophia habuit sua tempora Heroica) aliquid fuisse videbantur, nunc ita attenuata sunt, ut voces sint, prætereaque nihil.

Illorum etiam, qui disputant de iis, quæ captum hominum superant.

Sed si *cæcas* hasce *Logomachias* amant, qui videri volunt intelligere, quod non intelligunt; illi necessario in hoc vitium incidunt, qui disputant de iis, quæ plane supra captum hominum sunt: cum enim quis de eo disceptat, cujus nullam à DEO notionem accepit, fieri aliter non potest, quam ut verba, quibus utitur, sensum nullum habeant: quod sane omnibus illis accidit, quicunque cœlestia mysteria perfecte comprehendere volunt; omnes enim isti eodem modo, si non alias temeritatis pœnas dant, deluduntur, quo ille in fabulis, qui, loco Junonis, nubem complexus est: ita enim hi non nisi obscuram quandam verborum nubem, loco rei, quam humana sors non attingit, complectuntur.

Aliæ Logomachiæ aliquot species.

Alias plures Logomachiarum species hic adjungere possemus: nunc enim observes, *pugnam hanc esse ab utraque parte*; ita ut neuter disputantium se cum altero revera consentire videat; *nunc ab una tantum*, ita, ut alter consensum videns, de quo pugnet, non habeat. Illam *reciprocam* Logomachiam, hanc *simplicem* appellare licet. Præterea aliquando pugnant inter se, *quorum alter alterius verba intelligere non potest*: aliquando pugnant inter se, *quorum alius alium intelligere non vult*. Est & Logomachia, *cum alter verba alterius melius intelligere vult*, *atque ille ipse*, *qui iis utitur*, plane, ut quomodocunque & quotiescunque hic mentem explicet; alter tamen identidem non id refellat, quod iste agnoscit, sed quod in verbis ejus latere existimat; quantumcunque hic aliud se credere, usque & usque profiteatur: quam nos *Logomachiam affectatam* aut *malitiosam* vocare possumus. Sed hæc pluribus, cum de morbi hujus causis agemus, prosequemur.

CAP. IV.

De Morbi bujus gravitate.

SI quis est, qui nimium nos operæ in re levi ponere, sicque in eundem, quem in aliis reprehendimus, morbum incidere existimet: is eodem tempore Homero vitio det, quod in principio Iliados, perniciosam illam Achillis iram, quam rapta juveni muliercula accendisse legitur, tam operose nobis descriptam reliquerit. Quemadmodum enim illa, licet caussa levissima, eventu gravissima fuit: sic, etsi nihil his, de quibus scribimus, certaminibus levius videri possit, ut quæ ab uno atque altero vocabulo non eodem modo intellecto oriuntur; tamen, si partium studia spectamus, si contentionem, si odia, si damna, quæ inde in Rem literariam, in Religionem, atque adeo in collegia, templa, forum, curiam, redundant: possumus fortasse idem de his eruditorum jurgiis dicere, quod de Agamemnonis & Achillis jurgio Homerus, Logomachiæ studium sæpe fuisse, quod

Respondetur illis, qui existimans Auctorem nimium operæ in re levi ponere.

Iliad. *α.*

> — — μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε,
> πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
> Ἡρώων.

Quis enim leves eas dixerit controversias, quæ varias nobis toties non modo inter Philosophos sectas, sed gravia etiam inter Christianos schismata pepererunt? quæ usque eo sæpe exarserunt, ut de verbis jam non verbis, sed verberibus fuerit certatum; ut periculum aliquando fuerit, *ne orbis terrarum fines cum syllabis à se invicem distraherentur?* ad quas sedandas summorum ex diversis Orbis partibus Episcoporum Concilia congregare prudentissimis viris necessarium est visum? quæ dignæ sunt habitæ, ut in summis judicarentur curiis, ad Principum tribunalia deferrentur, à Regibus componerentur? Quis leves dixerit illas disputationes, in quibus alii alios impietatis, hæreseos, atheismi, horrendarum in DEUM blasphemiarum (& quorum non criminum?) postularunt? in quibus alii alios execrati sunt, orco addixerunt, atque, ut nos loqui solemus, tot anathematum fulminibus percusserunt? Sed tot & tanta mala post se traxisse, non modo plurimas de rebus levissimis, sed plane de nudis etiam verbis concertationes, jam in superioribus cernere potuimus.

Verba sunt Nazianz. in laud. Athanas.

Equidem aut vehementer fallor, aut sæpe mihi observare visus sum, Logomachias nunquam fere minori, sed majori ut plurimum contentione, quam solent de rebus gravissimis controversiæ, inter doctos fuisse agitatas. Quis nescit, atque utinam nesciri id posset! esse inter eos, ad quos tanquam fratres complectendos toties, heu toties frustra! brachia nostra expandimus, qui magis

Impediuntur quidam hodie solis Logomachiis, non veris Controver-

ſis, quo minus pacem cum fratribus in fundamento non diſſentientibus colant.

magis noſtros amplexus horrent, quam infeſta inimicorum odia; quam crudelitatem eorum, qui non verbis, ſed ferro flammiſque cum adverſariis ſuis diſputare ſolent; quam intolerabile tot humanarum traditionum jugum; quam ſuperbiſſimum ejus, qui ſe ſupra omnes Reges effert, dominatum; quam barbarum illud, quod Inquiſitionem vocant, neſcio cujus Phalaridis inventum? quos facilius adduceres, ut Babylonem reverſi, cum iis fœdus inirent, quorum doctrinam ut Antichriſtianam, quorum cultum ut idololatricum, quorum regimen ut conſcientiarum carnificinam, Majores ſuos tanta ſolicitudine fugiſſe ſciunt; quam ut, non dico cum iis in gratiam denique redirent, ſed quoquo modo tolerarent, ſaltem non omnibus diris devoverent eos, qui una cum ipſis Babylonem reliquerunt olim, cultum ejus, doctrinam & tyrannidem abominantur etiamnunc, ſævitiam ejus ſentiunt pariter, jugum ejus pariter extimeſcunt.

Tantarum vero irarum cauſſa eſt, non aliquis in fundamento fidei diſſenſus, ſed (quod nemo non videt, qui modo rationis aut compos eſt, aut aurem illi præbet) in paucis quibuſdam, ſi non levibus, certe eſſentiam Chriſtianiſmi nullo modo conſtituentibus. Equidem non omnes, ne quis ſubdole me agere exiſtimet, non omnes quotquot inter nos ſunt (notum enim eſt, de quibus loquar) controverſiæ, meras Logomachias eſſe affirmo. Eſt interdum verus diſſenſus, fateor; quem ſi quis non de re prorſus nihili eſſe dicat, non repugno: ſed qualiſcunque ſit; certiſſimum illud eſt, non ea, in quibus verus diſſenſus eſt, tanta inter partes excitaſſe odia, tam difficilem hodieque pacem facere; ſed ea, in quibus falſo diſſenſus eſſe videtur: planè ut Logomachiis ſolis, non veris controverſiis, quicquid hic mali eſt, ſit imputandum. Quibus reſectis, ſi tandem aliquando alii alios intelligere vellemus, ſupereſſent quidem aliquæ inter nos diſſenſiones; ſed longe & leviores, & pauciores utrique parti viderentur. Sed hic forſan morbus eſt, quem inter immedicabiles poſt tot virorum ſapientiſſimorum fruſtra tentata remedia referre poſſumus. Quare ad alia veniamus exempla.

Acerrimæ nuper in Belgio Logomachiæ.
* cap. 3. & 3.

Quæ unquam diſputationes cum pertinaciſſima Judæorum gente, cum impuris Mahometanis, cum blaſphemis, cum Libertinis, cum Atheis, omniſque religionis irriſoribus tam pugnaces fuerunt; quam nuper illæ ſive puræ ſive mixtæ Logomachiæ, quarum ſupra * mentionem fecimus, cum in aliis Academiis & Scholis, tum præcipue in Belgio fuerunt? Riſit invidia; exultavit livor; objecerunt nobis æmuli non ſine maligna lætitia διπλοῦν κάππα Belgium infeſtans: fuerunt, qui ex libris de his controverſiis conſcriptis formulas convitiandi, egregios ſcilicet floſculos, excerpſerunt.

Nimirum, quemadmodum rixæ inter fratres vicinoſque, ſicubi accenſæ ſunt, ardentiſſimæ eſſe conſueverunt: ita veriſſimè dixeris, inter eos, qui ſententiis quam maxime vicini ſunt, atque adeo, qui in ſolis quandoque verbis diſſident, fervidiſſimas plerumque altercationes intercedere.

Quod

Quod ut clarius perspicias; propone tibi disputatorem aliquem ex eorum numero, quos nos Logomachos appellamus. Oppone illi duos adversarios, alterum qui ab ejus sententia alienissimus, verbis, sensu quantumlibet diverso, iisdem, quibus ipse, utatur; alterum qui sententia prorsus cum ipso consentiens, aliis tantum verbis eandem exponat. Cum utro horum athleta noster pugnabit vehementius? Cum illo putabis, à cujus sententia est alienissimus. At falleris: in illum summa contentione invehetur, in illum omnem disputandi vim effundet, qui sententia nihil quicquam à se abhorrens, verbis aliis idem dicit. Mitius illum tractabit, qui secum loquitur; quam hunc, qui secum sentit: imo, quod mireris, cum illo ne pugnabit quidem: atque haud scio, an fœdus etiam cum illo adversus alterum junctis viribus debellandum sit facturus.

Hoc, quod fabula plerisque videbitur, quis crederet unquam contigisse? At contigit fortasse sæpe: ego vero exemplum hujus rei memorabile invenio, apud Elegantissimum illum, qui sub nomine Ludovici Montaltii latet, Literarum provincialium Scriptorem. Exagitabantur in Academia Parisiensi Jansenii dogmata, atque inter alias duæ potissimum controversiæ, quarum altera erat: *An justi habeant potentiam proximam implendi Legem?* altera: *An omnes homines à DEO accipiant gratiam ad conversionem sufficientem?* Affirmare utrumque Jesuitæ, Jansenistæ pernegare.

Montaltius laudatus Epist. 1. & 2.

Contentio inter Jesuitas, novos Thomistas, & Jansenistas.

Hic vero & alii extiterunt, quos novos Thomistas appellabant, qui eodem modo quo Jesuitæ loquentes, idem prorsus, quod Jansenistæ, sentiebant. Dicebant cum Jesuitis, justos habere potentiam proximam implendi legem, ut contra eosdem cum Jansenistis statuebant, potentiam illam sine peculiari DEI gratia in actum deduci non posse, id quod Jansenistæ, potentiam proximam non habere, vocabant. Iidem Novi Thomistæ cum Jesuitis dicebant: omnes homines à DEO accipere gratiam ad conversionem sufficientem. At cum Jansenistis gratiam istam, nonnisi nova accedente gratia, efficacem reddi affirmabant: quam gratiam nova indigentem Jansenistæ, uti revera est, non sufficientem appellare maluerunt.

A quorum vero partibus novi hi Thomistæ steterunt? A partibus Jansenistarum dices; quid ni enim hoc fecissent, qui idem prorsus, quod isti, senserunt? At hi, vide quid verba possint, Jesuitarum partibus, cum quibus loquebantur, cum quibus in solo verborum sono convenerant, sese adjungere satius esse duxerunt; & ita adjungere, ut unitis viribus eos, quibuscum sentiebant, Jansenistas oppugnarent, atque persequerentur.

Ex his quanquam satis perspicuum sit; graviora odia nonnunquam Logomachias, quam solent de rebus maximi momenti controversiæ, parere: clarius tamen id patebit, si morbi hujus naturam & periculosa ejus συμπτώματα attentius

Gravitas morbi ex periculosis

Symptomatibus dignoscenda. S. Pauli sententia 1. Tim. 6. vſ. 4, 5.

tius conſiderabimus. Nemo melius ea intellexiſſe videtur, quam Paulus Apoſtolus, dum eum, qui hoc morbo correptus eſt, ita nobis deſcribit: *Is*, inquit, *inflatus eſt, nihil ſciens, ſed ægrotans circà quæſtiones & pugnas de verbis: ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ, perverſæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui privati ſunt veritate, & quæſtui habent pietatem: abſcede ab iis, qui hujusmodi ſunt.* Potuit ne vividioribus coloribus ægrotus noſter depingi? quare & nos Apoſtoli ductum, omnesque tanti artificis lineas ſequamur.

τετύφωται μηδὲν ἐπιστάμενος, quid ſit?

Nimirum, ut primum animum hominis contradicendi ſtudium occupavit, quod tum fit, ubi mens *à ſermonibus ſalutaris ſapientiæ avertitur*: jam non amplius pro veritate, ſed pro victoria aut qualicunque victoriæ umbra pugnari ſolet. Qui vincere ſibi videtur, qui ultimo loquitur, qui futili garrulitate alios ſuperat, hic, quanquam revera ſit imperitiſſimus, non aliter triumphum canere, quam ſi totas legiones cecidiſſet, provinciasque bello cepiſſet, ideoque inflari:

--- --- *plauſuque ſui gaudere theatri*:

adverſarium præ ſe tanquam multis partibus minorem contemnere. Et quia res ſemel belle homini ceſſiſſe viſa eſt; nemo eſt, quem non provocet, nihil tam certum, quod non in dubium vocet, nihil tam perſpicuum, quod non diſputando obſcurum reddat.

ἀλλὰ νοσῶν περὶ λογομαχίας. quid?

Hæcque adeo conſuetudo in morbum abit denique, ut nihil ipſi diſputationibus prius ſit, nullam niſi in contradicendo voluptatem, nullam niſi in altercando requiem inveniat; idemque fatum, quod Hecuba quondam, quam in canem mutatam eſſe Poëtæ fabulantur, ſortiatur: Noſter enim Diſputator hic vere canis naturam induit: obvium quemque allatrat, mordet; diſputat non modo cum adverſariis, ſed etiam cum amicis; non modo cum diſſentientibus, ſed etiam cum conſentientibus: diſputat non modo de rebus gravibus, ſed etiam de leviſſimis: imo non tantum de rebus, ſed etiam de verbis, & ſæpius quidem de verbis quam de rebus. Ubi adverſarium non invenit, facit; ubi repugnantia nulla eſt, fingit: tantum, ut nunquam triumpho materia deſit.

ἐξ ὧν γίνεται φθόνος.

Hic, ſi quando fit, ut quem offendat in eodem ludo doctum, qui dubiam ſibi palmam facere videatur: Si quando plures adverſario, quam ſibi, plaudentes videt, aut alios non tantum, quantum ipſe ſibi, plaudentes: Si timet ne alius ſe doctior, aut, quod ſummum doctrinæ apicem eſſe exiſtimat, diſputator melior videatur: tum vero invidia invadit hominem, æmulatio accenditur; nunc livor genas, nunc rubor frontem occupat, labia comprimuntur, dentes fremunt, nunc cathedra manu, pede nunc terra pulſatur. Non parem Pompe-

Pompeius noster, si Diis placet, ferre, non Cæsar superiorem. Quid? mene incepto desistere victum? Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me suscipiam? Ergo omnes vires colliguntur, omnes ingenii nervi intenduntur. Atque altero minime cedente, restituitur acies, renovatur pugna,

Pro se quisque viri summa nituntur opum vi;

ἔρις.

nullusque certaminis finis cernitur, lis litem trudit; quælibet vox, temere missa, novæ disputationi occasionem præbet. Imo non jam amplius sunt disputationes, sed clamores & rixæ: vix præ fervore, furorem pene dixeram, qua de re litigent, sciunt: id unum sciunt, se velle altercari, & tam diu loqui, tam diu scribere; adeo ne scribendi quidem mora ira defervescit, donec adversarius sileat.

Jamque ad convicia itur, & quicquid Satyræ habent acerbi, quicquid atrocis poëtarum diræ, quæcunque in comœdiis in servos, parasitos, meretrices, lenones jaciuntur maledicta, audiuntur. Omnia priscorum hæreticorum nomina ex orco cientur. Tu *Sadducæus* es: at tu *Pharisæus*. Tu *Pelagianus*: at tu *Manichæus*. Tu *Sabellianus*: at tu *Photinianus*. Tu *Nestorianus*: at tu *Eutychianus*. Tandem etiam, rixantium muliercularum ritu, ea, quæ prorsus ad rem non faciunt, alii aliis exprobrant. Agitur de dogmatibus, & alii aliorum insectantur mores. Agitur de doctrina, & alter alteri natales objicit obscuros. Agitur de quæstione Critica, & alter alteri *vervecum patriam crassumque aëra* occinit. Agitur de methodo philosophandi, & alter oggannit *spurios*. Agitur de problemate Theologico, & alter alteri probro dat *verberatam mulierem ejusque abortum*. Agitur de scriptis Origenis, & tanta disputantes ira accenduntur, ut hinc Epiphanius Chrysostomo dicat: Ἐλπίζω σε μὴ ἀποθανεῖν ἐπίσκοπον: *Spero te non moriturum Episcopum*; Illinc Epiphanio Chrysostomus, (at quanti hi, quam sancti viri!) respondeat: Ἐλπίζω σε μὴ ἐπιβῆναι τῆς αὐτοῦ πατρίδος.

βλασφημίαι.

Socrates libro sexto hist. Ecclesf.

Cum vero altercantium odia his & aliis tantopere sunt accensa, non amplius, ira impediente animum, veritas cerni potest; densissimæ mentem obruunt tenebræ: atque ut in tenebris plena metus, atque suspicionum sunt omnia; ita etiam hic omnia vanissimis suspicionibus referta videas. In qualibet pagina nescio quot hæreses, in qualibet locutione aspis, in quolibet verbo virus latet. Atque, in hac à pravis affectibus orta caligine, videntur homines meticulosi nunc hic nunc illic sibi in adversariis suis videre, è sepulchris excitata, priscorum hæreticorum spectra.

ὑπόνοιαι πονηραί quid?

Ostende, te, quanquam gratiæ DEI, quicquid in nobis boni est, attribuas, studium virtutis, ac pietatis, nihilo minus, quam qui maxime solent, urgere. Monstra, te alienum esse à poëtarum fato, quod eandem omnibus rebus necessitatem induxit. Dic, te horrere sententiam eorum, qui DEUM turpitudinis aucto-

auctorem faciunt. Clama, & tibi abſolutum illud decretum, quo DEUS, nullo ad peccatum habito reſpectu, homines innocentes, pro ſola poteſtate ſua abſoluta, ad æternum exitium deſtinaſſe dicatur; monſtrum horrendum, informe, ingens videri. Dic, te concluſiones omnes abſurdas & impias, quæ ex ſententia tua deducuntur, hæreſes, quæ tibi tribuuntur, non modo non videre, non agnoſcere, ſed deteſtari.

Hæc ad ravim uſque repete, explica, inculca, clama, conquerere de injuria, DEUM hominesque teſtare: nihil ages; augebunt hæc, non adiment ſuſpicionem. Satis ad hæc omnia reſpondiſſe ſibi videbuntur, qui cum Poëta illud, *ad populum phaleras*, identidem ingeminabunt. Remitte vocis contentionem, loquere blandius, porrige manum, pacem offer: tum vero in promptu erit illud, *Equo ne credite Teucri*; atque ut ruſticus ille apud Comicum Chremes, blanditiarum urbanarum ignarus, dicent, *ſibi inſidias fieri.*

Παραδιατριβαὶ quid? Διατριβὴ Græcis inter alia ſcholam ſignificat. *L. Vivis verba de Scholis rixoſis.* lib. 1. de cauſſ. corrupt. art. *Et Caſelii de diſputantibus.*

Tametſi vero hoc lolium ſponte ſua, ut ſunt homines natura ad rixas proni, ſatis creſceret: tamen ne quando perniciosa hæc herba deficiat, ſeminaria quoque litium conſtituuntur, ludique, quibus mature teneri animi hoc veneno imbuantur, aperiuntur: Diatribæ, quas verius, quam Diogenes quondam Cynicus Platonis διατριβὴν, κατατριβὴν dixeris: quales fuerunt quondam Scholaſticorum Philoſophorum ſcholæ, de quibus graviter Ludovicus Vives conqueritur: *Puer in ſcholam deductus primo confeſtim die jubetur diſputare, & docetur jam rixari, qui fari nondum poteſt.* Quo fit, ut Academiæ Scholæque, quæ ſcholæ pietatis, ſcholæ ſapientiæ eſſe debebant, totidem fiant Myrmillonum familiæ, in quibus diſcipuli à Magiſtro laniſta ad vana hæc certaminum ludicra præparentur. Et utinam tantum vana eſſent, utinam non perniciosa & peſtifera, veraque eſſent Caſelii verba, qui contentioſum, quod in hoc ludo formatur, genus hominum, *peſtem eſſe tetriorem dicit, quam vulgus hominum judicat.*

Quid ſit διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν.

Neque vero in tanta hominum perverſitate tales rixarum magiſtri unquam deerunt. Quemadmodum enim in morbis corporis guſtus quandoque ita depravari ſolet, ut ægrotus ſalubrem cibum faſtidiens non niſi noxium appetat: ita qui hoc morbo infecti ſunt, non veritatem modo, quæ, ut Publius Mimus ait apud Macrobium, *Nimium altercando amittitur*, ſed omnem penitus veritatis guſtum ita perdiderunt, ut nihil jam multis præter lucrum dulce ſit. Ideo enim ſolum contentioſum hoc, *non quietum*, ut quondam Cicero, vocavit, *diſputandi* genus ſequuntur, quia quæſtuoſum eſt; & erit ſemper, dum invenientur homines ſtolidi, quibus ſplendido pietatis zelique pro religione prætextu imponere potuerunt; qui Theologiam, *cognitionem veritatis ſecundum pietatem*, in altercando poſitam, & pugnaciſſimum quemque optimum Theologum eſſe, putabant. Audi hic iterum Vivem, docentem, quid ſuo tempore hos rixarum ludos pepererit: *Humilibus*, inquit, & *ſordidis ingeniis, quique dejecta*

dejecto capite hæc sola intuerentur levia & momentanea, parum est visum magnum pretium ab studiis probitas aut veri intelligentia, quæ duo illi, quod non satis acutè cernerent, nec quantæ essent æstimationis assequerentur, præsentem mercedem quæsiverunt pecuniæ vel auræ popularis.

De causs. corrup. art. l. 1.

Spiritus contradictionis & alii perniciosi fructus scholarum rixosarum.

Hæc omnia efficiunt, ut Logomachia non tantum sit morbus gravissimus, sed etiam morbus contagiosus: sic enim fit, ut adolescentes studiorum tyrocinio peracto, quos ex Academiis in Ecclesias pietatem & religionem afferre oportebat, in curias prudentiam, in forum æquitatem, in familias concordiam, ad parentes honorem, ad propinquos amorem, ad amicos fidem, ad cives humanitatem, ad inimicos ipsos patientiam & mansuetudinem; nihil aliud ex his scholis domum afferant, quam perpetuum dissentiendi, etiam ubi nullus dissensus est, pruritum, quem vulgo *spiritum contradictionis* vocare solent; artem ubique controversiam inveniendi, levissimumque errorem, & quodlibet verbum minus aptum in pestilentissimam hæresin mutandi; adversaria referta formulis calumniandi; animos in disputationibus irreconciliabiles; pectora plena odii, plena irarum; cerebrum plenum sinistrarum suspicionum; linguas aspidum; ora maledica; calamos non nisi ad lædendum acutos; frontem corrugatam; adducta supercilia; oculos minaces, vultus truces, & vel ipso aspectu iis, quibuscum disputant, terribiles.

Hæ rixarum scholæ fecerunt, ut tempore Scholasticorum Theologia, Philosophia, Artes omnes perpetua fuerint jurgia, & ceu totidem nocturna, ubi nemo quem aut quo modo feriat videt, certamina; futiles Logomachiæ, plane, ut tum temporis *totus pene;* liceat, mihi ad hoc aptare verba Hieronymi, *ingemuerit Orbis, & se Logomachum factum esse sit miratus.* Quid igitur mirum, si Apostolus, ne ab hujus morbi contagione corripiamur, fugere nos jubet? fugere tanquam pestiferos, qui hoc morbo sunt infecti: fugere scholas illas, ubi virus hoc maturè tenellis discentium animis instillatur: fugere tanquam veneficos, qui, neglecta sedata veritatis inquisitione, pietatis nomine abutentes, in corrumpendis atque imbuendis hoc morbo adolescentium animis aut gloriam aut lucrum quærunt. Hæc sunt lineamenta: hi colores, quos ad depingendam morbi nostri gravitatem ab Apostolo Paulo mutuati sumus; nunc si quæ alia perniciosa sunt Logomachiarum effecta, persequemur.

ἀφίςασο ἀπὸ τῶν τοιούτων

Alii perniciosi Logomachiarum effectus.

Enimvero si nihil aliud in Logomachiis vitii esset, quam quod Synodus quondam Alexandrina de illis pronuntiavit: Esse videlicet λογομαχεῖν εἰς οὐδὲν χρήσιμον, μηδὲ ταῖς τοιαύταις λέξεσι διαμάχεσθαι, ἀλλὰ τῷ φρονήματι τῆς εὐσεβείας συμφωνεῖν, hoc ipso, quod inutiles sunt, satis quoque noxiæ forent. Dum enim frivolis his controversiis tempus terimus, atque, ut eleganter eadem Synodus, ἐπὶ τοῖς λεξιδίοις φιλονεικοῦμεν, quot utiliora, imo quot necessaria prætermittimus? Monstrat nobis Theologia salutis viam. Proficiendum in cognitione DEI, in

Synodum hanc refert Calvis. ad A. C. 362.

in cognitione nostri, proficiendum non in eruditione modo ac sapientia, sed in fide, in spe, in charitate. Et nos, cum tantum pensum habeamus, quasi nihil esset, quod ageremus, puerorum instar literis & syllabis ludimus. Quin ingredimur denique veræ sapientiæ viam? omnis hic mora periculosa est; satis litibus est datum, satis disputationi: incipiatur aliquando actio; mors instat; quanto satius est, ut ab ea deprehendamur agentes, quam de verbis concertantes?

J. Camerarii Parabola in Logomachos.

Egregie huc quadrat parabola, quam in vita Philippi Melanchtonis, Joachimus Camerarius, in disputatorum nostrorum gratiam ingeniose confictam, narrat: *Quendam, ne in facinore deprehensus manifeste opprimeretur, jussum fuisse sibi prospicere, & fuga consulere, demonstratumque locum; quo evadere concederetur, ubi nimirum in area puteum vidisset. At iste cum ad locum venisset, & non reperisset puteum, sed ruinas quasdam veteris putei, recurrit & expostulat cum monitoribus, ac negat esse in eo loco, sed ruinas putei. Quid tua? inquiunt illi, non enim ut biberes, sed ut fugeres, suasimus. Reperistine autem demonstratam maceriam? Reperi, inquit ille; at vos non debuistis putei, sed ruinarum veteris putei facere mentionem, non enim iste jam puteus est, sed aliquando fuit. Tu vero, inquiunt illi, tibi prospice, & maceriæ ruinas quærito, non disputato de putei ruinis, si tibi tua salus curæ est. At vos, inquit ille, tamen male monstrastis. Non nos quidem, inquiunt hi, male monstravimus, sed tu male tibi consulis rixando alieno tempore. Dumque non desinit iste nugator altercari, adveniunt qui comprehendere eum volebant, & correptum inter litigandum ad supplicium trahunt.* Satis sapientibus dictum, at nostris disputatoribus parum fortasse.

Quod si vero nobis tantopere bella placent; nondum nobis hostes quibuscum pugnaremus deerant, ut jam

Secundum vota Persarum, sua
Urbs hæc periret dextera.

Certare poteramus cum Hoste generis humani, qui id agit, ut perpetua inter homines dissidia spargat, & ex quolibet verbo male intellecto Eridis pomum cudat: pugnare nobiscum ipsis, cum affectibus nostris, qui nos singulis pene momentis ab officio abducunt; tum vero à charitate transversos sæpe agunt, ut festuca in fratrum oculis trabs, quodlibet verbum mutatum hæresis esse videatur; pugnare cum opertis veritatis hostibus, cum apertis; cum iis, qui negant JESUM CHRISTUM in carnem venisse; cum iis, qui conscientiis vinculum injiciunt, qui ferro, flammisque fidem propagant, qui tot victoriis de nostris fratribus gloriantur. Tot hostes cum habeamus, tot pericula cum nobis undique impendeant, tot victoriarum occasio cum nobis suppetat;

Cumque superba foret Babylon spolianda trophæis;

No

Nos certamus in commune nefas, &, ne causa nos excuset, sæpissime propter voces certamus.

Jam si à Theologia ad alias Artes Disciplinasque transimus, quantum illis nocuerunt inutiles, & inanes, quæ tot volumina occuparunt, tantum temporis consumserunt, Logomachiæ? Audimus toties sapientissimorum hominum querelas, cùm tantum in scientiis & disciplinis singulis à doctis viris motum semper fuerit, tam parum tamen esse promotum. Sunt, qui conquerantur cum Hippocrate de artis longitudine, vitæque brevitate: Cum Theophrasto *accusent naturam, quod corvis & cornicibus vitam diuturnam: quorum id nihil interest: hominibus, quorum id maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis Artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.*

Logomachiarum nocumenta in aliis disciplinis. Cic. I. 3. Tuscul. quæst.

Nos potiori jure accusamus tot vanas hominum curas, interque has potissimum illud, quantumcunque est in Logomachiis & inutilibus disputationibus, inane. Audi hac de re *Senecam: Ideo*, inquit, *homines non discunt necessaria, quia supervacua didicerunt. Quatuor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit: Miser si tam multa supervacua legisset. In his libris de patria Homeri quæritur, in his de Æneæ matre vera: In his libidinosior Anacreon an ebriosior vixerit: in his an Sappho publica fuerit: & alia, quæ erant dediscenda, si scires. I nunc, & longam esse vitam nega. Adeo præceptum illud salutare excidit: Tempori parce. Non vis cogitare, quantum temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupationes, quantum somnus. Metire ætatem tuam: tam multa non capit. De liberalibus studiis loquor: Philosophi quantum habent supervacui, quantum ab usu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones, & conjunctionum & præpositionum proprietates, descenderunt, & invidere Grammaticis, invidere Geometris, quicquid in illorum Artibus supervacuum erat, transtulere in suam.*

Senecæ hac de re judicium, Epist. 88.

Quam vellem, Stoicus iste Scholasticorum tempore vixisset, quantum fuisset in frivolas eorum disputationes & ineptas circa verba curas invectus? Quid enim aliud toto illo tempore, quo hæc natio dominatum Artium & Scientiarum occupavit, philosophari fuit, quam disputare? quid disputare, quam λογομαχεῖν, & quidem illo plerunque pugnæ genere, quod nos Logomachiam cæcam appellamus? Didicerunt nimirum adolescentes in illis disputationibus, non tam quæ responsiones quibus argumentis, quam quæ verba, neque ab ipsis neque aliis satis intellecta, quibus verbis quadrarent.

Ad Scholasticorum cæcas Logomachias applicatum.

In hoc disputationum obscurissimarum luto cum hæserint fere omnes, quid mirum est, quod tam parum progressi fuerint? quod vix hoc seculo Philosophia ex tot spinosissimarum quæstionum laqueis extricata veritatem in eodem, quo Democritus olim, profundo quærere incipit; quod in Physicis v. gr. non omnia qualitatibus obscuris, fictisque earum octo gradibus transigantur:

Sed

Sed quod mechanicæ ubique rationes quærantur, eæque perpetuis experimentis confirmentur; in qua via si strenue perrexerimus, spes est fore, ut termini Philosophiæ naturalis tandem aliquousque proferantur. Sin frugibus inventis, glande vesci malumus; reseratis portis, in atrio semper hærere; dicet nobis fortasse aliquis in aurem, cum sapientissimo Bacone: *Non officimus, quin Philosophia ista receptas disputationes alat, sermones ornet, ad professoria munera & vitæ civilis compendia adhibeatur*; sed & hoc addet, *sapientiam istam, quam à Græcis hausimus, pueritiam quandam scientiæ videri, atque habere quod proprium est puerorum; ut ad garriendum prompta, ad generandum invalida, & immatura sit. Controversiarum enim ferax, operum effœta est. Adeo ut Fabula illa de Scylla in literarum statum, qualis habeatur, ad vivum quadrare videatur; quæ virginis os & vultum extulit, ad uterum vero monstra latrantia succingebantur & adhærebant. Ita habent & scientiæ, quibus insuevimus, generalia quædam blandientia & speciosa; sed cum ad particularia ventum est, velut ad partes generationis, ut fructum & opera ex se edant, tum contentiones & oblatrantes disputationes oriuntur; in quas desinunt, & quæ partus locum obtinent.*

Bac. Verulamii verba de iisdem Org. cient. in præf.

Theologi cujusdam eadem de re narratio.

Memini, Theologum quendam mihi narrare, se, cum adolescens Philosophiæ operam daret, atque dictata præceptoris, uti tum moris erat, domi diligenter describeret, supervenisse Patrem, atque arrepta charta, cum vidisset, prolegomena esse Logica, cum in aliis satis longa, tum præcipue in vero Logicæ genere assignando, sitne illud ars an scientia: Tum vero patrem indignatum, vanæque filii diligentiæ misertum dixisse, Apage has ambages; quin tu accingeris aliquando & discis Logicam tuam, parum sollicitus, sitne illa ars apellanda? an scientia? Idem pene cæteris omnibus dici potest, qui non adolescentiam modo, sed ætatem omnem in Logomachiis istis conterunt: quin vos discitis aliquando rerum naturalium causas, qui de naturæ definitione ejusque genere tantopere disputatis? discitis aliquando liberales esse, qui quærîtis sit ne Liberalitas tam in accipienda, quam in expendenda pecunia? & sic de aliis.

Ridicula olim inter Stoicos aliosque Philosophos controversia.

Fuit quondam inter Stoicos aliosque Philosophos controversia; cujus vix sine risu meminisse possumus, *an cum sapientia bonum sit, etiam sapere sit bonum*: Negabant Stoici sapere bonum esse, tametsi sapientia bonum sit: audi rationem, &, si potes capere, cape: quia *sapere*, dicebant, *incorporale est & accidens sapientiæ; itaque neque facit quicquam & prodest; quod autem bonum est, illud prodest; quod prodest, facit aliquid: quod facit, est corpus*: corporis nomine substantiam intellexerunt. Alii minus, quam Stoici, subtiles, tam acute distinguere non potuerunt: & sapere æque ac sapientiam bonum esse, tanquam unus aliquis de plebe, dixerunt: Quid enim, inquiunt, an beate vivere non minus bonum est, quam beata vita? Seneca ipse hac in parte à Stoicis suis recedit, & postquam pluribus contra illos disputavit, tandem ita vanos hos Logomachos reprehendit: *Obsecro vos, cur tam necessariam curam majo-*

Seneca de cisio Epist. 117.

majoribus, melioribusque debitam, in re nescio an ficta, certe inutili, terimus? quid mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? quid mihi profuturum est scire, illud bonum esse, hoc non esse? Temere me geram; subibo hujus voti aleam, tibi sapientia, mihi sapere contingat: pares erimus. Potius id age, ut mihi viam monstres, qua ad illud perveniam. Dic mihi quid vitare debeam, quid appetere. Hæc est sapientia, hoc est sapere, non disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Tot quæstiones tibi fortuna posuit, nondum illas solvisti, jam cavillaris. Quam stultum est, cum signum pugnæ acceperis, ventilare? Remove ista lusoria arma: decretoriis opus est.

Plura mala quæ ex Logomachiis proveniunt.

Sed & illud ex tot, quibus omnes pene Scientiæ & Disciplinæ undique & undique scatent, Logomachiis oritur malum; quod cum vident homines, pauca esse, de quibus non in utramque partem disputetur, veniunt tandem in eam cogitationem, ut existiment, omnia dubia atque incerta esse; aut, si quæ sit certitudo, in Arithmetica & Geometria, ubi nullus istiusmodi disputationibus relinquitur locus, tantummodo esse quærendam. Nam si quid in cæteris, inquiunt, certi est, cur non in eo genus humanum, aut certe ii, qui harum Artium periti dicuntur, conveniunt? Cur quod huic verum, alii falsum; quod huic evidens, alii obscurum videtur?

Nascitur inde apud multos Pyrrhonismus.

Hinc potissimum ortos esse credo Academicos, Pyrrhonios, eorumque ἐποχὴν, σκέψιν, ἀπορίαν, ἀκαταληψίαν, & fortasse idem hodiernis Libertinis, Deistis, atque Atheis originem dedit Certe Seneca Academicorum & Pyrrhoniorum dubitationem subtilibus & inutilibus disputationibus attribuit: *Audi*, inquit, *quantum mali faciat nimia subtilitas, & quam infesta veritati sit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex æquo: & de hac ipsa, an omnis res in utramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, Ex his, quæ videntur, nihil esse in universum. Zenon Eleates, omnia negotia dejecit, ait nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonii versantur & Megarici, & Eretrici, & Academici. qui novam induxerunt scientiam, nihil scire.*

Epist. 88.

Sed errant illi, qui ex tanta de omnibus pene rebus disputationum multitudine concludunt, nihil certi esse. Quod si enim propius plerasque illarum aspicerent, viderent non veras in illis disceptationibus dissensiones esse, sed quas verba aliter atque aliter intellecta præ se ferant: viderent nullam pene esse disputationem, ubi partes non in pluribus conveniant, quam discrepent: viderent causam, cur in Mathematicis disciplinis non tot, quot in aliis, sint dissensiones, non eam solam esse, quod aut Mathematicæ certiora sint principia, aut quod nullæ demonstrationes in aliis disciplinis locum habeant; sed hanc potissimum, quod Mathematici in significatione verborum quibus utuntur, utuntur autem plerisque horum soli, melius conveniant, & convenire possint, quam qui vocabulis ex communi plebis usu petitis utuntur; in quorum significatione plerumque neque omnes conveniunt, neque iidem sibi constant.

Morbus hic literatos literasque in contemptum adducit.

Illud vero minime hic prætereundum eſt, quod noſter hic morbus literatos literasque omnes, ſi quisquam alius, in contemtum adducit, imperitorumque dicteriis exponit. Inter hos enim morbos numerari poteſt, qui alios homines non ad commiſerationem, ſed, ut multi alii, ad riſum commovent. Non jam loquor de religione, cui nec ipſi ſæpe infidelium cachinni pepercerunt, cum frivolas noſtrorum hominum diſputationes audiverunt. * Quemadmodum Turcarum ille Imperator riſiſſe dicitur, cum à Græcis quibusdam Patribus audivit, quænam Græcæ Eccleſiæ cum Latina intercedat controverſia: dicendum ne ſit cum Latinis, *Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio*, an cum Græcis *à Patre per Filium*. Vix enim credibile barbaro Imperatori videbatur, homines ſanæ mentis ob unicam particulam, ita enim hos facere putabat, tantopere diſſidere poſſe.

Non toties riſit Romana olim plebs, cum genus illud gladiatorum, qui ex equis, galea frontem oculosque tecti pugnabant, *Andabatas* vocabant, ſpectare ſolebat; non tantum ſplenes ſpectatorum & pulmones exercuerunt, tot vani cæcorum equitum curſus, tot in aërem ictus, quantos ludos præbent non ſapientibus modo, ſed infimæ etiam plebi noſtri Logomachi. Hinc eſt, quod Satiræ, quod Comœdiæ hodiernæ in his hominibus ridendis ſibi temperare non poſſint.

Ex Boccalino relat. ex Parnaſſo, c. 21.

Quis non rideat, cum Satyricum Italum lepide, ut ſolet, bellum Grammaticale inter ludimagiſtros deſcribentem legit, ideo in Parnaſſo exortum, quia inter illos convenire non poterat, *an vox* conſumptum *cum* p, *an ſine* p *ſit ſcribenda*; ab altera parte ſtante Paulo Manutio, ab altera Dionyſio Lambino: cumque hac in pugna ad verbera & arma ventum fuiſſet, Manutium Lambino veterem lapidem, in quo *conſumptum* cum *p* ſcriptum fuerit, ruſticius monſtratum naſo impegiſſe, ejusque os confregiſſe. Fabula hæc eſt, ſed quo tendat nemini poteſt eſſe obſcurum.

Ex Molierio. Mariage Forcé Act. I. ſcen. 4.

Et quis riſum continere poteſt, qui Philoſophum illum apud Gallicæ Comœdiæ principem videt & audit? (nam qui minus liceret hic mihi Gallum laudare Poetam, quam Græcum aut Latinum) vah! quam iratus eſt Doctor iſte? quot convitiis adverſarium obruit? quantum inſcitiam exaggerat hominis, qui

* *Johannes* de *Secubia* Hiſpanus, Vir in Concilio Baſilienſi celebris, in præfatione libri, quem de partibus indeclinabilibus S. Scripturæ ſcripſit, dicit, *glorioſos in generatione ſua progenitores feciſſe libro*, (Concordantias) *Alphabetico ordine*, *ſed præcipue vocum declinabilium*, addens, qua occaſione collegerit ipſe partim *proprio Marte*, partim opera vicaria *ſui Capellani M. Waltheri Schonavv Scoti* reliquas voces non flexiles; quod fecerit in uſum Concilii Baſilienſis, ut hinc adverſus Græcos ſignificationes particularum EX & PER, illinc adverſus Huſſitas & Bohemos voculæ NISI omnes excuterentur: *Irriſiſſe enim*, addit, *Sultanum Turcicum Græcos, veniam eo proficiſcendi petentes, quod Chriſtiani ob tam exiles & contemtas dictiones, tantopere digladiarentur invicem; dum Orthodoxi Spiritum S. tam ex Patre quam Filio procedere, Græci vero ſaltem ex Patre per Filium contendebant.*

qui nunquam Philosophum pictum, quod dicitur, viderit? *quomodo ponit eum infra infimos*, liceat mihi hæc verba ex Latina comœdia mutuari, infra omnes *stultos, stolidos, fatuos, fungos, bardos, blennos, buccones?* quanto ardore fidem Quiritum implorat, & præ iracundia se alloquentem non audit? Quære ex æstuante isto Philosopho, quæ tantarum sit causa irarum? quænam tandem sit illa adversarii sui sententia, quæ tantum ipsi stomachum faciat, quam tantopere *aversetur, condemnet, horreat, execretur*; quodnam sit illud dogma suum, ad quod *pugnis & calcibus, unguibus & rostro* propugnandum sit paratus? Dicet id tibi: expecta modo, donec ira defervescat: sine, homo ad se redeat: audies tandem, audies, ô tempora, ô mores! agi de re omnium maxima, sit ne dicendum, *forma pilei an potius figura pilei:* quis neget, ut hæc controversia decidatur, magni Reip. interesse? Perge cum isto disputatore colloqui: videbis hominem omnis prorsus in vita civili consilii expertem, & nonnisi scholasticis tricis & Logomachiis cerebrum impeditum habentem: roga hunc aliquid, quod in vita utile esse possit; nunquam quicquam tibi respondebit aptum; imo te ne quidem audiet, putabit identidem ex se quæri; *sitne ens respectu substantiæ & accidentis genus univocum? sitne Logica ars an scientia? an objectum ejus sint tres operationes mentis, an tertia sola? decemne sint categoriæ, an una? an conclusio sit de syllogismi essentia? an essentia boni in appetibilitate, an potius in congruentia consistat? an finis & bonum reciprocentur? an finis moveat entitate sua reali an intentionali?* Quod si quid ultra hæc ex hoc homine cognoscere desideras, antequam tecum loquatur, nescio quid de orationis origine, natura, usu ordietur, ne scil. contra methodum à magistris præscriptam peccare videatur.

Hinc dicteria & commata imperitorum in literatos.

Ita hodie, ita in scena disputatores nostri depinguntur, & hi idem, ô dedecus! literati, eruditi, Philosophi, Doctores appellantur.. Hoc cum audiunt rudes literarum!, quantopere sibi in illa sua inscitia placent? quam abjecte de Liberalibus Artibus sentiunt? quantopere illud omne, quod eruditionis nomine comprehenditur, eruditosque omnes contemnunt? Eo tandem res rediit, ut ab ipsis doctus & fatuus pro eodem habeantur. Scholas isti non jam aspiciunt, ut bonæ mentis officinas, sed ut bonæ mentis impedimenta, ingeniorum corruptrices, in quibus sapientes stulti, stulti stultiores evadant.

Quod si quis hic negat, talium Satyricorum & Comicorum petulantem linguam ferendam esse; cum hoc ego nolim pugnare: age! his irascamur, indigne factum! clamemus, ulciscamur dicacitatem, invehamur in scurrilitatem eorum, mala iis multa ingeramus. At postquam animo satis morem gessimus, redeamus tandem ad nos ipsos, & de iis etiam (quid enim attinet ulcera nostra celare?) conqueramur, qui poëtis istiusmodi, disputationibus suis ineptis, amplissimam ludendi materiam præbent. Riserunt hæc non soli poëtæ, non soli in scena mimi, sed graves etiam Philosophi: *Hæc*, inquit Seneca,

Epist. 113.

inquit Seneca, *disputamus attractis superciliis, fronte rugosa. Non possum hoc loco dicere illud Cæcilianum : ô tristes ineptias ! ridicula sunt. Quin itaque potius aliquid utile nobis ac salutare tractamus, & quærimus, quomodo ad virtutes venire possimus, quæ nos ad illas via adducat. Doce me, non an fortitudo animal sit ; sed nullum animal felix esse sine fortitudine ; nisi contra fortuita convaluit, & omnes casus antequam exciperet, meditando prædomuit.*

Sunt etiam extra scholas Logomachiæ. in foro. in curia.

Videmus igitur, qua ratione ii sæpenumero, qui sapientiæ studium profitentur, vulgi fabula fiant. Interea vero, dum nos Scholastici Doctores & Discipuli ex hoc nostro morbo convalescamus, non est quod imperiti literarum nobis insultent, &, quasi ab hoc morbo prorsus alieni essent, omnes Logomachias in Scholarum & Academiarum parietes concludant. Egrediamur aliquantisper ex nostrarum scholarum umbra in lucem, & quid in Rebus publicis, quid in foro, quid in curia, quid in celebritate agatur, videamus.

Earum exempla. Demetrius R. Plutarchus in Apophtheg. Suidas. *Athenienses.*

Hic vero, quis crederet etiam Logomachiis aditum patere? Exemplo nobis sit non Græcula aliqua Resp. de verbis ad superstitionem usque sollicita. Non Demetrius ille Rex, qui cum Atheniensibus fame laborantibus frumentum dedisset, hancque liberalitatem suam ad populum retulisset, *barbarismi, qui imprudenti exciderat, indicium sexcentis medimnis se remunerare velle promisit.* Non doctæ Athenæ, quæ civitas, fame licet pressa, in summis angustiis beneficio peregrini opem & pecuniam pollicentis uti noluit: donec benefactor, qui verbo minus Græco δανειῶ opem tam necessariam promiserat, *correcto solæcismo* δανείσω dixisset.

Romani.

Exemplo nobis sit victor ille terrarum populus, minime ille quidem ineptus, & in verbis curiosus : exemplo Roma, *cui par est nihil nihilque secundum.* Exosos Tarquinii Regis superbia fecit, quid? reges? Tarquinium? imo potius *nomen Regum, nomen Tarquiniorum.* Hæc vocabula, hæ syllabæ, hæ literæ Romanis odio fuerunt.. Hæ Tarquinium Collatinum vindicem libertatis, Regum expulsorem, Consulatu motum in exilium pepulerunt. Hæ jusjurandum illud Romanis extorserunt, quo *neminem Romæ se passuros regnare* jurarunt. Quid tandem jurarunt Romani, se *neminem esse Regem* passuros, an potius *neminem Regem vocari?* Regnum quidem ipsum, dummodo nomen abesset, facile ferre potuerunt. Tulerunt consulare imperium, in hoc solo ab initio à regio diversum, quod annuum erat : *præterea enim nihil diminutum erat ex regia potestate. Omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere.* Tulerunt Dictaturam, quæ potestas non diuturna quidem, sed quamdiu fuit, regia plane fuit. Tulerunt, omnibus Magistratibus abrogatis, in tertium annum Decemviros, à quorum jussis ceu totidem regibus provocare non licebat. Tulerunt denique & Syllæ & postea Caii Cæsaris Dictaturam perpetuam, quod quid fuit nisi regnum? Tulerunt bis Triumviros, id est, tres sub hoc nomine reges, qui imperium Orbis inter se fuerunt partiti, *factamque,*

Liv. verba decad. 1. l. 2.

ut

ut Poëta canit; *tribus Dominis communem Romam.* Tulerunt monarchiam & plusquam regium imperium Octavii, dummodo cuncta non sub regis, sed *principis nomine sub imperium acciperet.* Tulerunt durissimam servitutem, dummodo libertatis vanum nomen relinqueretur. Tulerunt auctoritatem Senatus abolitam, dummodo superessent, qui Senatores vocarentur. Tulerunt potestatem summam, dummodo Tribunitia potestas, quæ plebis quondam libertatem propugnaverat, diceretur. Passi denique sunt non modo Reges, sed Tyrannos, sed monstra, dummodo ne reges, sed aut Principes aut Imperatores, isti appellarentur. Si non Caligula aliquis aut Nero, sed Augustus Titusve, optimi principes, *Reges* se vocassent, quantopere hoc nomine adversus se patres, equites, plebem concitassent? imò quantopere in se Orbem universum armassent? quantum in periculum non regni modo sed vitæ etiam amittendæ se conjecissent? quam infame etiamnum eorum nomen in annalibus foret, quam execrabile posteris? non minus certe, quam fuit nomen M. illius Manlii Capitolini, qui regni affectati damnatus, de saxo Tarpejo dejectus fuit; addito in ejus notam Senatusconsulto, *ne cui de gente Manlia* Marci *cognomen esset.* Ut vel hinc videas, quam infesta Romani cum nominibus bella gesserint.

Lucan. I. 1.

Tacit. Annal. I. 1.

Liv. decad. 1. l. 5.

Ne vero existimes, rudem tantum plebeculam acrius nonnunquam pro verbis quam pro re pugnasse: istud, quod dicam, nonnisi Patribus & Senatui attribui potest. Agitabatur inter Patres & Plebem controversia de consulatu cum plebe communicando. Vincere plebs videbatur: cum patres, qui rem sibi tenere non posse videbantur, tandem pro nomine saltem retinendo pugnarunt: non recusantes, quo minus ratio plebis haberetur in consulari potestate, dummodo ne plebeii isti homines Consules, sed tantum Tribuni militum consulari potestate dicerentur.

Liv. decad. 1. l. 4.

Ipsum quoque Sacerdotium morbus hic infecit. Solebant ante ejectos Tarquinios sacra quædam à Regibus peragi. Regibus igitur exactis nemo ad ea idoneus videbatur: Quodnam huic rei erat remedium? nempe inveniendus erat aliquis, cui *Regis nomen* imponeretur, quique *Rex sacrificulus* appellaretur: Ita remedium aptissimum huic malo, inventum esse videbatur. Sed extemplo alius extitit ex hoc nomine terror: nihil enim tum magis quam regis nomen metuebatur. Ne igitur hic *Rex*, non potestate sua, nullam enim habebat, sed nomine abuteretur; Pontifici erat subjiciendus, ut sic ejus auctoritas coërceretur, ne, ut ait Livius, additus nomini honos aliquid libertati officeret.

Liv. decad. 1. l. 2.

Ut jam taceam, quantopere Romani quondam pugnaverint, ut in sacris suis nonnisi bona verba audirentur; adeo ut vox inauspicata temere missa omnia sacra polluisse videretur: hinc illa: *Favete linguis*, *Bona verba*; hinc tibiarum in sacris usus; impedire nempe debebat earum strepitus, ne vel minimus vocis sonus exau-

Bartholin. de Tibiis c. 5. p. 187.

exaudiretur, quo ſacra profanari exiſtimabant. An non hoc erat pro verbis, pro literis & ſyllabis pugnare?

Et ſi de veris certaminibus loqui malumus, etiam cum hoſtibus pugnaturi Romani, non armis modo firmis & idoneis, ſed bono & auſpicato nomine quemlibet militem inſtructum eſſe voluerunt. Notum eſt ex Livio aliiſque, in delectu habendo, Conſules pro tribunali ſedentes, vel ſellis in foro poſitis, civium ſingulorum nomina citari juſſiſſe. Hic vero maxima religione obſervatum eſt, ut primus miles *bono fieret nomine*, & aut *Valerius*, aut *Salvius*, aut *Statorius* appellaretur. Thraſo apud Comicum ad Sangam, quem centurionem ſuum vocat:

Cicer. l. 1. de divinat.

Quid ignave? peniculone pugnare, qui iſtum huc portes, cum hoſte cogitas?

Eodem modo Romanis tum dicere licuit: quid vos ſuperſtitioſi, verbiſne nominibuſve, qui de his tantopere ſolliciti eſtis, cum hoſtibus veſtris pugnare cogitatis?

Et hodie dantur Logomachiæ extra ſcholas.

Neque vero hodie minus, quam olim, Logomachiarum etiam extra Scholas reperiri, credendum eſt. Quantopere enim & hic de vocibus ſæpe pugnari ſolet? Quoties accidit, ut, poſtquam aliquandiu homines inter ſe litigaverint, tandem utrique parti appareat, nullum fuiſſe inter ipſos diſſenſum? quoties accidit, ut, ſi quis à conſuetis loquendi formulis recedit, quanquam idem prorſus dixerit, aliud dixiſſe videatur.

Sunt qui, cum Orationem Dominicam vernacula lingua recitant, Latinorum Græcorumque exemplo, contra, Germanicæ Linguæ genium, pronomen in duobus primis vocabulis nomini poſtponant. Quid levius hoc eſt? Et tamen ſi in multis id locis mutare velles, graviſſime univerſus offenderetur populus, & tantum non novam religionem introduci quererentur.

Quoties fit in ſententiis dicendis, ut omnes adverſos, omnes diſſentientes habeas: muta, non ſententiam, ſed unum alterumve verbum, omnes protinus tibi aſſentientes habebis?

Nunquamne fuit populus, qui, ut Romani quondam, Regum pertæſus, Regem abſolutiſſimum, Protectoris nomine, ferre potuit? Nulline reperiuntur, qui libenter ſerviunt, dummodo liberi vocentur?

Multi lubentius, quicquid nomine ſignificatur, amittunt, quam nomen.

Sane dantur multi, qui lubentius, quicquid nomine ſignificatur, amittunt, quam nomen, & contra alii æquiore animo malum nomine ſignificatum, quamnomen ferre ſolent. Sunt qui paupertatem ſine querimonia patiuntur, dummodo ne pauperes dicantur. Sunt, qui ad viliſſima miniſteria ſe demittere non

non erubeſcunt: dummodo honeſtum iis nomen quæratur. Invenies, quibus, ut quondam Ovidio Poëtæ, mitius exilium videtur, ſi non exules, quod durius ipſis nomen videtur, ſed relegati, quod mollius ſonat, appellentur. Cave quoſdam, qui podagra laborant, podagra laborare dicas: aliud quidvis huic morbo nominis impone: non tam doloribus podagræ, quam hoc nomine irritantur.

Gloriæ cupido ſæpe Logomachia.

Honorum, gloriæ cupido, quid aliud ſæpe eſt, quam pugna pro verbis? Pugnant hi pro inanibus ſine re titulis, illi pro honorum gradibus, alii pro immunitatibus, & privilegiis, quæ ſæpius in ſolis verbis conſiſtunt. Pugnant non ut docti, ſapientes, prudentes, pii ſint, ſed ut ita nominentur. Pugnant pro eliſo dentibus aëre, pro illo ψιθυρισμῷ aquam ferentium, pro illo ſuſurro viliſſimæ muliérculæ dicentis, οὗτος ἐκεῖνος, *hic eſt ille*, quo ſe Demoſthenes tantopere delectatum eſſe fatebatur. Pugnant pro vana nominis immortalitate acrius, quam pro ſolida & beata immortalitate animæ; & ita pugnant quidam, ut Heroſtrati exemplo, parum curent, utrum nomen ſuum laudetur, an vituperetur, dummodo ne prorſus nomen, i. e. hæ ſyllabæ intereant.

Ælian. l. 9. c. 17.

Ut & Divitiarum cupido.

Ipſa illa, qua pluribus nihil ſolidius videtur, tam immoderata divitiarum cupido, quid aliud ſæpe eſt quam Logomachia? Ille avarus, qui tantopere contendit, ut opes opibus cumulet, non ut iis unquam utatur, ſed ut gazæ incubet,

Ut magnus Draco, quem canunt Poëtæ
Cuſtodem Scythici fuiſſe luci.

Martial. lib. 12.

pro qua re pugnat, quam ut nominetur dives? Quid enim præterea ad ipſum ex tot congeſtis auri argentique acervis lucri redeat, quam nomen divitis, equidem non video.

Bella ſæpe nonniſi Logomachiæ.

Et quis non mirabitur, ſi ipſa atrociſſima bella ſæpe Logomachias eſſe dixero. Ut jam de eo non dicam, vanos nonnunquam Principum titulos cauſſas maximorum bellorum eſſe: pro qua re utplurimum tot corporum ſtragibus, tot ſanguinis fluminibus, tot urbium incendiis, tot agrorum depopulationibus pugnare ſolent Reges, quam ut nomen Magni, Victorioſi, Audacis acquirant, ut nomen ſuum etiam poſt mortem in annalibus legatur, ut poſteri nomen ſuum, ut vocem hanc, (horreant, ament, nihil refert,) in ore habeant; tanti hæc eſſe videntur; tum vero ſe cum Poëta dicere poſſe putant:

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Quid tandem? multane pars tui? imo vero vox caſſa, nomen inane & ple-

plerisque odiosum, pictæ in charta syllabæ; &, si vis, literæ marmori insculptæ, nihilque præterea. Bene est, quod bella hæc pro vano nomine acquirendo magnis se auctoribus tuentur: auderemus alioquin dicere; ea, si caussam spectamus, sæpe numero non minus vana, non minus ridicula esse, quam ineptissimæ Magistrorum in scholis Logomachiæ; nunc non audemus.

Logomachia morbus curatu difficillimus, pluribus de causis.

Desinant igitur frivolas scholis disputationes exprobrare ii, quibus nihil est cum illis commercii. Habent & ipsi suas Logomachias: habent, quibus medicinam faciant, ægrotos; sed hos illi, quorum interest, curent; nos ad nostros, à quibus digressi sumus, curandos revertimus. Sed & hoc ad hujus, de quo loquimur, morbi gravitatem accedit, quod curatu difficillimus sit: accidit enim hic, quod in plerisque animi morbis, ut pars morbi sit ignorare morbum. Corporis plerumque morbos agnoscimus, fatemur: Animi non item: quid ita? inest omnibus aliquid aut turpitudinis aut stultitiæ? Hæc vero quis agnoscit? quis, si agnoscit, fatetur? Quæ vero spes salutis est, ubi nemo se ægrotare sentit? ubi Medicum nemo quærit, nemo audit.

*Orat. 39. in sancta lumina.
† in Topicis.
* Lib. 3. de fin.
† Ad Herenn.

Idem plane est hujus morbi nostri genius. Adi nostros Logomachos; inculca illis vulgatum illud: *ubi in sensu convenitur, de verbis non est litigandum:* comproba id Gregorii Nazianzeni * dicto: οὐδὲ περὶ τῶν ὀνομάτων λογομαχήσομεν, ἕως ἂν πρὸς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν αἱ συλλαβαὶ φέρωσι. Objice illis Aristotelem † suum dicentem: Εὐλαβητέον πρὸς τοὔνομα διαλέγεσθαι. Adde Ciceronis * illud: *Rebus intellectis in verborum usu faciles simus.* item alterum: † *Vitiosum est controversiam intendere propter nominum mutationem.* Laterem lavabis, nihil horum ad se pertinere existimabunt.

Accede propius; dic, quam potes, blandissime cum servo illo Terentiano:

Fortasse unum aliquod verbum hanc inter vos iram conciverit.

Hic vero, te non amplius ferent iracundi homines. Putabunt se insaniæ insimulari, saltem levitatis aut cæcitatis. Ergone, inquient, nos tibi homini acuto, & ad pacem faciendam de cœlo scilicet delapso, Logomachi videmur, vitilitigatores, cæci, quorum acumen ultra syllabas & literas non penetrat? Tales tibi quoque fuisse videntur Majores nostri, vah quam graves, quam sapientes, quam sancti viri! qui iisdem de controversiis, tanquam de rebus gravissimis, tanquam pro aris & focis, toties disputarunt. Vani igitur erunt, ridiculi, inepti, tot nostri, tot aliorum, tot Patrum & Præceptorum libri de his controversiis scripti. Vanæ tot de illis disputationes habitæ. Vana trophæa nostra ex his pugnis reportata. Vana tot eruditorum encomia. Tempus omne, quod his datum est, inutiliter consumptum. Frustra toties irati fuimus; Cum umbra pugnaverunt, quot-

quot

quot de his quæstionibus tanta huc usque gloria pugnaverunt : hoc erit ardoris, hoc virtutis præmium :

Hoc pretium studii vigilatorumque laborum,

ut nunc populo spectaculo sint, & tanquam de umbra Asini tam diu certaverint, cum larva pugnaverint, bella sine hoste gesserint, in circulis rideantur.

Hinc confestim nova exsurgit disputatio, an prior disputatio Logomachia fuerit: & cum nova disputatione nova animorum exacerbatio, novæ rixæ, nova convicia. Hic iram pars utraque plerumque in conciliatorem vertit, eumque qui Logomachiam disputationibus suis admixtam esse, dicere audet: Iste enim εἰρηνοποιὸς plerumque non aliam ab iis, quibus optime consultum vult, gratiam init, quam ut utrique parti odiosus sit, imo magis etiam odiosus, quam altera alteri fuit usque adhuc, præsertim in rebus ad Religionem pertinentibus, ubi Logomachi pro gloria DEI pugnare, si non ipsi sibi videntur, certe aliis videri volunt. Quemadmodum enim verissimum est illud Verulamii: *Pessima res est errorum ἀποθέωσις & pro peste Intellectus habenda est, si vanis accedat veneratio* : Ita sane non minus periculosa res est ἀποθέωσις & consecratio Logomachiarum, seu aliarum hujusmodi contentionum de rebus levis momenti : cum illæ totidem pro DEO & Patria pugnæ habentur. Ex quo præter alia innumerabilia mala, hoc necessario oritur, ut morbus noster prorsus fiat insanabilis.

Tum enim iis, qui acutius disputationum levitatem cernunt, & quod cernunt, ingenue profitentur, idem plerunque accidit, quod illis quondam inter Græcos Philosophis contigit, qui propius, quam rude vulgus, ad cognitionem unius Veri DEI accedentes, larvas illas Deorum eorumque infinitam multitudinem atque adeo totam plebeculæ superstitionem riserunt. Quemadmodum enim hi propterea ἄθεοι vocati sunt, atque in summo apud populum odio fuerunt : ita illi omnes perspicaciores & æquiores de cujuslibet controversiæ momento judices, utrique parti invisi, ab altera *callidi, versuti, impostores, fraudulenti* appellantur, *qui homines adolescentulos eductos libere in fraudem illiciant, sollicitando & pollicitando illorum animos lactent :* ab altera vocantur *tepidi* in religione, *frigidi*, *indifferentes*, *prævaricatores*, *proditores*, *transfugæ*, & sicubi ira crescit, *profani*, *impii* atque *Athei*.

Ita plerumque gratiæ aguntur omnibus illis, quicunque morbum hunc curare aggrediuntur : quis non, tali mercede proposita, Medicus esse velit? Contra illi soli sancti, illi religiosi, illi zelotæ, illi orthodoxiæ sunt columina, qui nihil quicquam remittunt adversariis, qui omnia eorum dicta in hæreses transformare, levissimas quasque dissensiones immane quantum exaggerare sciunt; qui omnem tolerantiam, omnem mansuetudinem, concordiam, tanquam

communionem Christi cum Belial, execrantur; qui identidem ex cathedra, ex suggestu cygneam Didonis Virgilianae repetunt cantionem:

— — stirpem & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite nostro
Munera, nullus amor populis nec fœdera sunto.

Hoc plebeculæ placet. Lubentius audiunt declamatores, qui in adversarios suos debacchantur: quam pios concionatores, qui chara sibi oppugnant vitia. Quid tu? audivistine hodie Nostrum. Hui quam strenue se gessit? quantopere invectus est in eos, qui fratres nostri esse vellent? Quanto ardore eos in orcum deturbavit? Hic vir, hic est! hic adversarios suos debellare novit! Hoc stat Orthodoxia! Quis non, tanta gloria proposita, libenter huic militiæ nomen det, quam nos Logomachiam appellamus?

Logomachia morbus periculosus, ob metum ne illum augeamus dum sanare volumus.

In hoc etiam morbus, cujus curationem suscepimus, periculosus admodum est, quod magnopere plerumque est verendum, ne, dum illum sanare volumus, augeatur, veraque paulatim ex apparenti controversia fiat. Quamprimum enim aliquem mones, videat, ne de verbis cum adversario certare dicatur; hoc tanquam gravissimo convicio offensus & exacerbatus, incipit dissensum verum inter se & eum quicum disputat quærere: neque quærere desinit, donec aliquod tandem dissidium, ubi nullum ante fuit, exsculpserit. Majores nostri non fuerunt Logomachi, non vitilitigatores, fieri igitur non potest, ut hæc aut illa fuerit eorum sententia; ita enim sentiebant, quibuscum disputabant, adversarii: aliud igitur senserint, necesse est. Ergo novam præceptoribus suis, de qua ne somniarunt quidem, discipulus affingit sententiam, eamque ipse amplectitur, tantum ut ne fateri cogatur, illos, quos tantopere admiratur, Logomachos fuisse; illos, quos tantopere aversatur, secum sensisse.

Epicurus in voluptate, bono sensu, summum bonum posuit.
Lib. 10.

Epicurus in voluptate summum bonum posuit, sensu non malo, ut videtur: ipsa enim hæc sunt Epicuri apud Laertium verba: *Constat igitur, quando voluptatem beatæ vitæ dicimus finem, non intelligere nos eas voluptates, quæ sunt virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiam, quatenus spectantur in ipsa actione fruendi, qua nimirum sensus jucunde dulciterque afficitur: veluti quidam ignorantes, aut à nobis dissentientes, aut alioquin adversum nos male affecti interpretantur: sed illud duntaxat intelligimus,* μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν, *non dolere corpore, neque animo perturbari. Si quidem non compotationes, commessationesque perpetuæ: non ipsa puerorum mulierumque consuetudo: non piscium deliciæ, aut quæcumque aliæ mensæ lautioris cupediæ, jucundam vitam pariunt, sed quæ cum sobrietate serenoque animo est ratio.*

Hæc

Hæc quanquam ſententia Epicuri fuerit, tamen non ferunt eam alii Philoſophi, imo propter ſolum hoc *voluptatis* nomen Epicurum Philoſophi nomine indignum exclamant. Hinc tot diſputationes ſapientiſſimorum hominum, non tam contra Epicuri ſententiam, quam contra hoc *vocabulum voluptatis*. Qui hos ſequuntur, non credere poſſunt, vanas fuiſſe omnes has diſputationes: quare intelligunt ita Epicuri ſententiam, ut eam ab adverſariis explicari audiunt. Credunt Epicurum, i. e. hominem, quem aliis in rebus ſapientem fuiſſe putant, ſummum bonum in vita, perpetuo luxu, comeſſationibus, compotationibus, aliisque obſcœnis corporis voluptatibus, diffluente poſuiſſe. Hanc ſententiam, ii quorum ingenio convenit, quorumque ſenſus titillat, non deſunt qui amplectantur, gaudent, quod ad hominem inter Philoſophos celebrem ſectæ ſuæ originem referre poſſint. Hinc illi, ut illos vocat Flaccus, *Epicuri de grege porci*: hinc illi *inſanientis ſapientiæ conſulti*; Hinc Piſo ille apud Ciceronem, quo nihil libidinoſius, nihil impurius, nihil intemperantius cogitari poteſt, *laudat Philoſophos, qui dicuntur præter cæteros eſſe auctores & laudatores voluptatis*. Hinc denique novum quoddam Epicureorum genus, qui jam non verbis, ſed revera & toto, quod ajunt, cœlo, à reliquis Philoſophis diſſentiunt, ſed non minus diſſentiunt ab Epicuro, quo nihil continentius nihilque temperantius fieri potuit.

Alii Philoſophi, non tam contra Epicuri ſententiam, quam contra vocabulum voluptatis *diſputant.*

Cic. orat. pro Sext.

Præterea quoties contigit, ut alicui in diſputationis æſtu locutio aut vox excidat, minus apta illa quidem, & quæ aliud plane, quam quod dicere volebamus, ſi accuratius loqui voluiſſemus, ſignificaret? Hæc minus apta vox protinus ab adverſario arripitur, in peſſimum ſenſum detorquetur, fiunt inde conſequentiæ; Alter quid faciat? pudet fateri, ſe melius loqui potuiſſe, hoc enim eſſet, concedere adverſario: defendendum igitur eſt quicquid ſibi excidit; hæc lex eſt diſputantium. Hinc naſcitur primum Logomachia, quæ ab initio benigna verbi minus apti interpretatione facile ſanari poſſet. Hæc vero incommoda vox toties ab una parte exagitatur, ab altera propugnatur, ut tandem, qui male locutus eſt, ne male locutus eſſe videatur, male ſentire incipiat: & defendat denique, quia adverſarius ita vult, ſententiam, de qua ante ne cogitavit quidem; tantum ne fateri cogatur, inepte, imperite, pueriliter, inſulſe, quod ad nauſeam ipſi ingeritur, aut ſe, aut præceptores eſſe locutos. Hinc iterum vera ex Logomachia naſcitur controverſia.

Vox temere elapſa, & defenſa pertinaciter, abit in Logomachiam, ſanatu difficilem.

Odium etiam inter Logomachos ejuſdem rei cauſſa eſſe poteſt: non enim propter diſſenſus levitatem odium quoque leve eſt:

Præſertim odio inter Logomachos accedente.

Non maximas, quæ maxumæ ſunt interdum iræ, injurias
Faciunt: nam ſæpe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt:
Cum eadem de cauſſa eſt iracundus factus inimiciſſimus.

Ter. Hec. a. 3. ſ. 1.

Hic vero pudet cum eo sentire, quem odio habes, quem aversaris. Unde fit, ut cum ab adversario ante non nisi verbis alienus fueris, verbis ad satietatem utrinque explicatis, cesset aliquando Logomachia, sed non cesset odium. Non vis idem, quod inimicus, sentire: vis dissentire ab eo, si non in eo, in quo te dissentire ab initio putasti, certe in alio; quod non desinis quaerere, donec aliquid in ejus sententia, quod oppugnare possis, invenias: Ac vereor, ne à tua ipsius etiam, ne à Majorum sententia recedas, simulatque eandem ab adversario credi videas; tantum ne hosti tam odioso assentiri videaris. Ita crescere solent lites: ita dissensus, qui ab initio exilis est, sensim augetur, aliis ex aliis, veris ex apparentibus, natis controversiis: ac nescio an pleraeque illae lites ex iis, quae eruditos hodie dividunt, exiguae ab initio fuerint, & quaedam earum merae Logomachiae; at, non secus ac tumores ulcerum à duris manibus tractati violentius, disputando creverint.

Euseb. de vita Constantin. lib. II. cap. 69. 70. & seq.

Sane, si ipsi *Constantino Magno* Imperatori credimus, etiam controversia illa funesta, inter *Arium* & *Alexandrum*, quae, sub Imperio suo exorta, tot mala Ecclesiae Christianae totique adeo Orbi per plurima secula attulit, levis ab initio fuit contentio de quaestione ex illarum numero, ὁπόσας μὴ νόμου τινὸς ἀνάγκη προστάττει, ἀλλ' ἀνωφελοῦς ἀργίας ἐρεσχελία προστίθησιν: *quas nulla legis necessitas praescribit, sed quas inutilis otii altercatio proponit*: non fuit φιλονεικία περὶ τοῦ κορυφαίου τῶν ἐν τῷ νόμῳ παραγγελμάτων, de praecipuo aliquo legis mandato, sed φιλονεικία ὀλίγη καὶ ματαία ῥημάτων, contentio ὑπὲρ μικρῶν καὶ μηδαμῶς ἀναγκαίων, διαφωνία ὑπὲρ ἐλαχίστων. Sed quantum eheu! quantum ex parva hac scintilla non bene sopita paulo post ortum est incendium: cum, ut ait, *Eusebius, contendentium rixae indies magis auctae fuerunt, & vis mali cunctas Orientis provincias pervasit?*

CAP. V.

De morbi hujus caussis, quae in linguis sunt.

Rei difficultas.

QUam late pateat *Logomachia*, quantaque sit hujus morbi gravitas, satis nos arbitror demonstrasse. Neque multi haec laboris res fuit, cum vel solus primi cujusque libri aspectus exemplorum, quibus ad id probandum opus erat, admonere nos potuerit: prorsus ut ludendum nobis saepius, quam serio disputandum fuerit. Nunc, si in caussas hujus morbi inquirimus, paulo asperior nobis atque ardua magis via incipit: philosophandum est; inspiciendi non solum libri, sed homines; excutiendi abditi animorum recessus. Quo magis veniam speramus, sicubi à nobis aliquid in difficilima inquisitione non erit animadversum.

Omne

Omnes mihi Logomachiarum caussæ ad duo potissimum genera referri posse videntur : culpa enim hujus rei vel *in linguas*, quibus disputantes utuntur, rejici potest, vel in *ipsos disputantes* : de illo prius, de altero deinceps dicam.

Logomachiarum causæ omnes ad duo genera reductæ.

Enimvero si quis est inter Spiritus à corpore sejunctos dissensus, hunc verum esse dissensum, nunquam apparentem tantum, probabile est, sententiarum non verborum : propterea, quod cogitata sua, non vocibus aut aliis hujusmodi signis in sensus incurrentibus; sed aut sola voluntate, aut alio quodam cogitandi modo nobis incognito alii aliis manifesta faciunt. At nullum inter nos, quamdiu corpori sumus affixi, immediatum est animorum commercium : corpore tanquam mediatore quodam atque internuncio mentes nostræ utuntur; ejusque motibus, ac præcipue oris vocibus, quid sentiant, significant: quæ signa cum sæpe ambigua & fallacia sint, fit, ut sæpissime inter nos litigemus, non quod revera diversa sentimus, sed quod alii alios non intelligimus.

Spirituum à corpore sejunctorum dissensus, qualis?

Fallacia atque ambigua hæc signa voco : nulla enim ut hinc incipiam, lingua est, quæ non plurima habeat vocabula πολύσημα diversa significantia: (quæ de vocabulis dico, eadem de locutionibus atque adeo de integra oratione intelligi semper velim) unde toties accidit, ut verba eorum, quibuscum disputamus, aliter atque ista ab iis intelliguntur, interpretemur. Dissentire est de eadem re diversa sentire: sed cum sæpe diversis rebus idem nomen impositum est, fit, ut interdum dissentire videantur de eadem re, qui non nisi de rebus diversis eodem nomine significatis diversa sentiunt.

Dissensus inter disputantes, à sermone disputantium provenit, verborum varia significatione, & vocum homonymia.

Saltationes sunt qui laudant, sunt qui execrantur. Quid? tanta ne inter homines ejusdem rationis participes sententiarum est distantia? Tanta quidem videtur, si in verbis hæremus: at si, remoto verborum involucro, rem ipsam putamus, videmus tantam judiciorum diversitatem non esse de eadem re, sed de rebus diversissimis. Hic fortasse saltationis voce nescio quam motuum mimicorum petulantiam ad lasciviam excitandam unice comparatam; ille honestam quandam corporis exercitationem ad ejus mobilitatem, venustatem, dignitatemque augendam institutam intelligit. Quid mirum igitur, si de oppositis opposita dicuntur?

Controversia de saltationibus.

Sed quanquam hæc omnibus nota sint, pauci tamen satis considerant, quæ sit hujus Logomachiarum fontis ubertas. Dici enim non potest, quanta sit vocum in omnibus linguis homonymia, quanta phrasium amphibolia. Hebræi uno verbo non tantum diversa sed contraria notant. Evolvat aliquis Lexica : percurrat indices auctorum; inspiciat Concordantias, quas vocant; videbit, omnes propemodum loquendi formas, omnia nomina, omnia verba, imo omnes orationis particulas in iisdem linguis diversa significare, non tan-

Logomachiarum fontis ubertas.

tantum apud diversos, sed sæpissime apud eosdem. Et tamen quantilla ambiguitatum pars in Lexicis & Concordantiis ejusmodi observatur, aut in tanta multitudine observari potest? Notantur ambiguitates obviæ, insignes, quæ ab unoquoque attendente facile distingui possunt; innumerabiles aliæ leviores, subtiliores, quæ nonnisi à perspicacibus discerni possunt, prætermittuntur. Ut non nimis audacter Chrysippus Stoicus, & cum eo alii plures, *nullum verbum* esse dixerint, *quod non sit ambiguum*: contra quem, si quis Diodorum Cronum, qui contra, *nullum verbum ambiguum esse*; statuit, disputantem apud Gellium audiet, exemplum ineptissimæ Logomachiæ videbit. Ac Chrysippum quidem sententiam suam, in libris, quorum Laërtius meminit, περὶ ἀμφιβολιῶν, περὶ τῶν τροπικῶν ἀμφιβολιῶν, περὶ συνημμένης τροπικῆς ἀμφιβολίας; aliisque hujus argumenti satis probasse arbitror.

Disputatio inter Chrysippum & Diodorum Cronum. Gell. noct. Att. l. 11. c. 12. Quintil. l. 7. c. 10. Diog. Laert. lib. 7. in Chrysippo.

Quæ ut nemini usque adeo paradoxa videatur, perpendendum, quanta ab una parte sit sive rerum, sive conceptuum multitudo, quam pauca ab altera parte, pro hac multitudine atque adeo infinitate rerum, in lingua vel copiosissima sint vocabula; quam multa vocabula sint, quæ idem significent. Cogitandum erit in primis, ut vox aliqua idem semper apud eosdem, idem in ore diversorum significare dicatur, non sufficere, ut significationes in quibusdam, in multis, in plerisque conveniant; necesseesse, ut in omnibus, in minutissimis accuratissime concordent. Si vel levissimum significationi additur demiturve, jam alia res est, aliud proinde de ea judicium ferendum. Arboris v. gr. vocabulo significo aliquid per se existens, extensum, vivens, sive nutrimento suscepto crescens, constans radice, trunco, ramis, foliis, floribus. Qui hæc omnia mecum eodem vocabulo significat, tantum adjicit his in mente fructus, aut demit flores; non obstat iste in reliquis omnibus consensus, quo minus aliud atque ego hoc nomine intelligere videatur.

Considerandum porro erit, vocabula, res quas significant, non natura significare, sed libera quadam hominum conventione; quæ tacita magis, quam aperta, casu potius, quam consilio facta fuerit; ac præterea inter voces & res significatas nullam plerumque esse similitudinem. Jam quis credat, omnes eadem lingua utentes, ita in significatione horum signorum arbitrariorum consentire potuisse, aut posse etiamnunc, ut etiam in minutissimis conveniant, tantundemque accuratissime alter, quantum alter, subjecta eidem vocabulo notione, comprehendat, nihil ille imprudens demat, quod hic addiderit; nihil addat, quod ille prætermiserit? Quin potius mirum id cuilibet videbitur, si paucos quosdam, si quando unum & alterum in paucorum vocabulorum significatione tam accurate convenire contingat: præsertim cum consensum hic suum non aliter testari possint, quam vocabulis, quæ & ipsa ambigua sunt.

Huc

Huc quoque illud accedit incommodum, quod ſæpiſſime longe melius, quid ipſi vocabulis intelligamus, cognoſcamus, quam verbis id explicare poſſumus. Quod vel eloquentiſſimis aliquando contingit, & neceſſe eſt ut contingat in iis vocabulis & locutionibus, quæ cogitationes noſtras earumque varietates ſignificant, atque in univerſum omnia ea, quæ non tam *ideâ*, ut loquitur Malebrancius, quam *ſenſu* quodam atque *conſcientia* inter ſe diſcernimus.

Sæpe longe melius quid ipſi vocabulis intelligamus, cognoſcimus; quam verbis explicare poſſumus.

Scio, quid ſit clare rem percipere; quod in mente lumen oriatur, cum rem ita percipio, ſentio: ſed quibus verbis id alteri explicem, vix reperio. Scio, quid mens mea agat, cum id agit, quod ego velle voco: ſi alteri, quid hoc velle ſit, explicandum eſſet, hærerem. Novi aliter me affici cum dulce, aliter cum amarum guſto: ſentio diſcrimen, nunquam hæc confundere ſoleo: ſi, diſcrimen hoc quid ſit, ex me quæreretur, quod dicerem, non haberem. Ita multi de pulchritudine faciei, de ædificiorum ſymmetria, de geſtuum venuſtate, de eo, quod in actionibus dictisque decet, de picturarum artificio, de ſcripturarum variarumque rerum antiquitate, de ſonorum diverſitate, de vocis & concentus ſuavitate, de chordarum harmonia, de ſtili varietate judicant, & eodem modo conſtanter judicant, alteri judicii ſui rationem reddere non poſſent. Cauſſa in promptu eſt, quia non tam judicant ex regulis quibuſdam & principiis, quam ex ſuo de his rebus ſenſu. Aliter eorum animus afficitur cum faciem pulchram, aliter cum deformem; aliter cum geſtus venuſtos, aliter cum inconditos vident: aliter cum chordas conſonantes, aliter cum diſſonantes audiunt: aliter cum Epiſtolam Ciceronis, aliter cum Planci epiſtolam legunt.

Recherche de la verité Tom. 3. p.m. 167.

Exemplis hoc variis declaratur.

Ita ſæpe audivi, Antiquarios, quos vocant, numiſmata vere antiqua à ſuppoſititiis atque adulterinis accuratiſſime quidem diſtinguere: ſententiæ vero ſuæ rationem reddere non ſemper poſſe. Quod mihi nuper confirmavit, Vir harum rerum peritiſſimus, cujus ego quoties video cimeliarchium,

> *Auſonias non miror opes Grajaſque; ſed illum*
> *Qui tot opes capſis, majores pectore ſervat.*

Ex hoc quæſivi aliquando, unde deducantur illa gnorismata, quibus Antiquitatis periti, numismata antiqua, à recentioribus, aut ſuſpectæ antiquitatis, tam acute diſcernere queant. Hic ille: Vix poſſunt, inquit, hæc regulis comprehendi. Præcipuum hic eſt illud neſcio quid, quod Galli harum elegantiarum ſtudioſi guſtum antiquitatis appellant, quem ii, qui hæc aſſidue tractant, acquirere ſolent. Qui quidem guſtus in nulla alia mihi re conſiſtere videtur, quam quod aliter Antiquarii viſo antiquo nummo, aliter viſo recentiori ad ejus ſimilitudinem efficto, conſtanter afficiantur, tametſi hujus ſenſus diſcrimen eloqui non poſſint.

Ex

Offic. l. 2.

Ex eadem causa fit, ut priscorum Rhetorum scripta legentes, non semper quid sibi velint, intelligamus. Distinguit Cicero dictionem *vehementem* Demosthenis à *dulci* Theophrasti & Demetrii Phalerei. Loquitur alicubi de actione Oratoris *admirabili*, *plena spiritus*, *plena veritatis*, *plena doloris*: qui hæc nunquam eodem prope modo, quo Cicero, sensit, verba ejus audit, nihil, aut aliud quam Cicero, intelligit. Qui libros Rhetoricorum ad Herennium scripsit, distinguit, orationem in *magnificam*, *mediocrem*, *tenuem*. Quod si quis exemplis ab eodem additis non eo ferme modo, atque iste Rhetor, afficitur, hæc ejus verba non capit. Idem nobis accidit, cum Longinum de sublimi, Hermogenem de ideis suis, disputantem audimus.

Herenn. l. 4.

Omnia vocabula, quæ nostros de rebus sensus significant, aliquid ambiguitatis habent.

Hinc factum est, ut omnia vocabula, quæ nostros de rebus sensus significant, ut in quorum significatione *accurate* convenire non potuimus, aliquid ambiguitatis habeant. Negat hic, dulce esse suave: affirmat alter. Vera controversia est, si idem utrinque suavis dulcisque nomine intelligitur. Fac, in hoc esse consensum, quod uterque nomine dulcis id intelligit, quod sentit, cum mel gustat. At quis scit, an idem sentiant? Idem objectum aliter hujus, aliter illius sensum potest afficere. In vocabulo *suavis* manifesta est homonymia: quilibet hac voce intelligit, quod gustui suo gratum est. Jam exigat aliquis ad oppositionis leges has duas enunciationes: Quod sentit Petrus, cum mel gustat, gustui Petri est gratum. Quod sentit Paulus cum mel gustat, Pauli gustui est ingratum: idemne de eodem affirmant & negant? Et tamen hujusmodi disputationes innumerabiles sunt, ubi non major, quam hic, est sententiarum oppositio.

Diximus, eloquentissimis accidere, ut suos de rebus sensus verbis explicare non possint: id vero non in solis vocibus sensus significantibus, sed in omnibus fere vocabulis plebejis hominibus contingeret, si ex illis quæreretur, quid his verbis intelligere velint. Nemo hominum est, qui globum à cylindro atque alia quacunque figura non distinguat. Quære ex rustico quid sit globus? hærebit: hoc explicare non poterit. Nullum videlicet aliud inter globum & cylindrum discrimen novit, quam quod sentit, visum suum aliter à globo, aliter à cylindro affici solere: hunc vero sensum exprimere verbis non potest. Jam si quis considerat, linguas plerasque, non à sapientibus, sed à vulgo, non certo consilio, sed ut occasio se obtulit, inventas esse; facile judicare poterit, quam accurate in significatione vocabulorum convenerint ii, quorum nullus alteri, quid vocabulo aliquo significet, saltem clare atque distincte, dicere potuisset.

Dantur vocabula quæ in unius ore, idque simul, res diversissimas denotant.

At præter vocabula ambigua, quæ aliud in hujus, aliud in illius ore, vel in ore unius nunc hoc, nunc illud significant; dantur alia, quæ pariter πολύσημα appellari possunt; intelligo vocabula quæ in unius ore, idq; simul, res diversissimas denotant. Cum enim vulgus hominum multa confundat, quæ distinguenda erant, factum

factum est, ut notionibus distinctis, atque adeo oppositis, quæ in unam quodammodo propter obscuros & confusos vulgi conceptus coaluerunt, perinde quasi res diversissimæ una prorsus res essent, unum quoque nomen impositum sit. Quorum, cum sit insignis multitudo, speciminis loco pauca adducam. Quoties vulgus hominum sensus vocabulo utitur, notione huic nomini subjecta conjungit, quæ toto, ut aiunt, inter se genere dissident; quorum alia ad corpus & ejus partes pertinent, harumque motus quosdam significant; alia ad mentem, rem toto cœlo diversam, certasque ejus cogitationes denotant. Hæc tamen ita confunduntur, ut ad discrimen eorum, nemo fere, cum hoc sensus vocabulo utitur, attendat: sed quilibet una voce unam quoque rem se intelligere existimet?

Exempla varia in vocibus: Sensus.

Idem de illis vocabulis dicendum, quæ sensus species, quæ affectus & eorum species, qualitates item sensibiles sive patibiles, ut vocant, significant. Hæc omnia eo, quem diximus, modo sunt πολύσημα; & quæ illis vulgo respondent notiones, non sunt distinctæ, sed confusæ, & ex rebus oppositis corporalibus & spiritualibus conflatæ. Ipsa nomina spiritus, animæ, in hunc censum referenda sunt: Hæc cum proprie ventum, halitum significent, translata sunt ad res cogitantes significandas; sine dubio ideo, quod qui primum illis ad has significandas usi sunt, majorem cum re cogitante convenientiam vento corporique subtili, quam crassiori materiæ intercedere arbitrabantur. Hinc factum est, ut hæc nomina translata nescio quid ex propria sua significatione retinuerint & perpetuo retineant; ita, ut, quamvis plerique nunc homines spiritus animæque voce res cogitantes intelligant, tamen cum hac rei cogitantis notione, notionem venti, flatus, halitus, tenuis cujusdam aëris aut ignis usque & usque conjungant, Neque ipsi Philosophi hunc vocum abusum emendarunt, saltem ii qui animæ nomine, nescio quid æquabiliter per corpus fusum, quod simul intelligat & velit, simul etiam cibos concoquat, excrementa ab alimentis separet, sanguinem præparet & per corpus diffundat, cor calefaciat, pulmones agitet, arteriarum pulsum excitet, membra moveat, (& quid non?) intellexerunt.

Spiritus anima.

De plerisque vocabulis tropicis dici potest, illa aliquam in mente confusionem parere & aliquid ex propria sua significatione retinere, unde fit, ut vix unquam his tropicis vocabulis disputatores utantur, quin in Logomachias, si non puras, mixtas saltem incidant. Si quis brutis animantibus sensum deneget; non deerit, qui brutis non modo cogitationem negari putet, sed omnes motus & affectiones corporis, ejusque partium, omnia denique, quæ ipse una cum cogitatione hoc sensus vocabulo comprehendit. Hic si pugnabit, cum umbra pugnabit.

Memini, me ipsum aliquando in ejusmodi Logomachiam incidisse. Statuebam, finem corporis nil aliud esse, quam negationem, non existentiam ulterioris exten-

Finis.

extensionis ad corpus aliquod pertinentis. Diversum hic à me sentiebant celebres quidam Philosophi. Ego, ut fit, non cedendum, sed sententiam meam propugnandam putabam: hujus enim veritatem tam clare percipere mihi videbar, quam quæ clarissime unquam percepi. Postea vero, cum cessante ardore, sedatiori mente rem perpendere cœpi, animadverti, omnem nostram disputationem puram putam Logomachiam fuisse. *Finis* nomen & vocabulum est: cujus significatu plus dissentientes, ego minus comprehendebam: quod quidem utrique parti licuit. Ego solam partium extremitatem finis nomine intelligebam. Qui mihi adversabantur præter extremitatem partium ipsas quoque partes extremas, aut saltem superficiem extremam intelligebant: quidam etiam figuram, quam certus partium extremarum situs constituit, in conceptu suo addiderant. Quare, quod illi finem vocabant, plus esse, quam negationem, uti nunc facile concedo: ita illi finem meo sensu, meram esse negationem facile vicissim largientur.

Verulamii observatio de verbis. De augment. Scientiar. lib. V. cap. 4.

Huc facit, quod Verulamius de verbis observat: *Verba*, inquit, *plerunque ex captu vulgi induntur; atque per differentias, quarum vulgus capax est, res secant. Cum autem intellectus accuratior, aut observatio diligentior, res melius distinguere volet, verba obstrepunt. Quod vero hujus remedium est (definitiones scilicet,) in plurimis huic malo mederi nequit, quoniam & ipsæ definitiones ex verbis constant, & verba gignunt verba. Etsi autem putemus, verbis nostris nos imperare, & illud facile dictu sit, loquendum esse, ut vulgus, sentiendum ut sapientes; attamen hæc omnia non sufficiunt, quo minus verborum præstigiæ & incantationes plurimis modis seducant, & vim quandam intellectui faciant, & impetum suum (more Tartarorum sagittationis, retro in Intellectum unde profecta sunt) retorqueant.*

Synonymia etiam sæpe causa Logomachiarum. Synonymorum copia unde?

Neque vero sola homonymia vocabulorum Logomachiarum causa est, sed etiam Synonymia. Hinc enim accidit, ut diversa sæpe sentire videantur, iis præsertim, qui in verbis hærent, qui aliis verbis synonymis atque ejusdem significationis idem dicunt. Hic nemini mirum videri debet, si linguas, quas magna vocum penuria laborare audivimus, nihilominus pariter synonymorum copia laborare dicimus.

Fit hoc, tum quod homines ante in familias aut urbes aut populos minores divisi, cum in unum aliquem magnum populum coalescunt, singuli vocabula, quibus ante usi sunt, & in quibus, quamdiu seorsim habitabant, convenire non poterant, in unam linguam, velut in commune, conferant: tum ex migrationibus gentium: tum ex commerciis: tum denique casu quodam, aut ex amore novitatis, atque eadem sæpe repetendi tædio. Quin & artifices singuli, cum de sua quisque arte loquuntur, aliter fere res, circa quas versantur, atque artis rudes, vocare solent. Quod non semper ex necessitate factum est, sed more nostrorum venatorum, ut hoc quoque modo se ab artis imperitis distinguerent. Imo nulla pene est urbs, nullum oppidum, nullus

lus vicus, nulla familia, quæ non verba & loquendi modos habeat proprios. Si cui forte verbum usitatum non incidit, aliud arripit, quo eandem rem significet: alii protinus id imitantur: hoc item alii. Id si in angusta aliqua familia fit, verbum fit familiæ; si in aula Regis aut Principis, ad cujus consuetudinem omnes componi volunt, omnes ita loqui cupiunt. In hoc demum ponitur urbana dictionis elegantia: usitatiora provinciis relinquuntur. Sic

Horat. de art. Poët.

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ jam sunt in honore vocabula: si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.

Ingens in qualibet lingua Synonymorum copia, quam augent Oratores & Poëtæ.

Ex his oritur ingens in qualibet lingua synonymorum copia: quam auxerunt Oratores, quibus necessarium videbatur, ad evitandum Auditorum fastidium, eadem varie dicere. Unde Rhetorum de commutanda & varianda oratione præcepta, libri de copia verborum conscripti, thesauri synonymorum, Sylvæ vocabulorum. Quibus magnum à Poëtica, quæ de numeris suis implendis sollicita fuit, incrementum accessit.

Multa his Synonyma sunt, quæ ab aliis significatione distinguuntur.

Præterea multa his synonyma sunt, quæ ab aliis significatione distinguuntur. Distinguunt veteres, si Lipsio credimus, cassidem à galea, quod illa de lamina, hæc de corio facta fuerit. Distinguunt clypeum à scuto, quod ille rotundus fuerit, hoc oblongum. Quoties vero à priscis & recentioribus hæc nomina confunduntur, qui tamen res ipsas minime confunderent? Distinguunt Logici nostri inter scientiam, opinionem, & fidem, quæ nomina plerumque in ore vulgi idem significant. Distinguit Gellius prædam à manubiis, *ut sit præda corporum ipsarum rerum, quæ capiuntur; manubiæ pecuniæ ex præda redactæ.* Hæc nomina aliter Nonius, aliter *Asconius Pædianus*, quidam plane non distinguunt. Hinc idem Gellius: *Est tamen nonnusquam invenire, ita scripsisse quosdam non ignobiles scriptores, ut aut temere aut incuriose prædam pro manubiis & manubias pro præda posuerint.*

Lips. de milit. Rom l. 3. dial. 1. Ibid. dial. 2.

Gell. noct Att. l. 13. c. 24.

Iisdem hominibus nonnunquam vocabula idem significant quæ alias distinguere solent.

Iisdem hominibus interdum vocabula idem significant, quæ alias probe distinguere solent. Quis credat Ciceronem, qui tam accurate omnes Stoicæ & Peripateticæ Dialecticæ argutias perdidicit, nescivisse distinguere inter Definitionem & Divisionem? Cœlius tamen Calcagninus hujus rei ignorantiam illi objicit, quod in Officiis, promissa officiorum definitione, ejus loco divisionem tradat. At nimirum Ciceroni in hoc loco nil aliud propositum fuit, quam, præmissa divisione quæstionum, quæ de officiis fieri possunt, dicere, quam in hoc libro sit pertractaturus: id quod tum minimè cogitans, quo sensu Aristoteles aut Chrysippus hoc verbo utantur, definire vocat. Calumnia igitur hæc est Calcagnini i. e. perversa dictorum Ciceronis interpretatio, & ex calumnia orta Logomachia.

Cicero notatus à C. Calcagnino.

Disquisit. 2. in l. 1. Offic. Ciceron.

 In

In universum de omnibus vocabulis vicinæ admodum significationis, sive quæ res, inter quas tenue valde discrimen est, significant, dici potest: ea sæpissime esse synonyma, non tantum in ore vulgi eorumque, qui accurate non loquuntur, quique prorsus, distingui eorum significationes, nesciunt; sed sæpe etiam in ore peritissimorum, qui ad levissimam significationum differentiam, sibi alias non ignotam, non semper attendunt. Ex quo rursus patet, quam dives & hæc vocabulorum Synonymia sit Logomachiarum scaturigo.

Philosophi qui defectus linguarum emendare sunt conati, magnam linguis mutationem attulerunt.

Philosophi, quorum nomine Theologos, Jurisconsultos & Medicos hic quoque comprehendimus, qui defectus Linguarum in iis præsertim, quæ ad has scientias pertinent, emendare sunt conati, magnam præterea linguis mutationem attulerunt. Cum enim ad plurima in rebus, circa quas versabantur, attenderent, ad quæ vulgus hominum non attendit, multaque inter se distinguerent, de quibus distinguendis illiterati, quibus fere Linguas debemus, non sunt solliciti, factum est, ut cogerentur multa nova vocabula invenire: eorum, quæ jam in usu fuerunt, significationem aliquantulum mutare; quædam latioris, quædam angustioris significationis reddere: atque ita quorundam significationi aliquid addere, aliorum aliquid demere: vocabula vulgo synonyma, ut rerum multitudini nomina responderent, inter se distinguere. Sicque paulatim nova eruditorum lingua nata fuit, à lingna plebis in plurimis diversa, id quod innumeris Logomachiis originem dedit.

Idque pluribus Logomachiis originem dedit.

Quoties enim reprehenduntur, tanquam contra artis principia peccantes, quorum unicum hoc peccatum est; quod solenni artis lingua non loquantur? Quoties illud auditur: quis Philosophorum ita loquitur? Cum potius quærendum fuisset, an quis Sapientum ita sentiat? Quoties plebs Philosophis, Philosophi plebi desipere videntur: cum tamen idem sentientes, pariter aut sapiant aut desipiant? Accedit, quod nulla Philosophorum secta cum altera in hac, quæ necessaria cuique visa fuit, linguarum mutatione convenire potuerit, cum quælibet, non expectato alterius consensu, hac in re arbitrio suo usa fuerit, de quo alteri constare non potuit. Neque, qui ejusdem fuerunt sectæ, hic accurate consenserunt; non enim certo consilio omnia vocabula, quibus alio, ac vulgus, sensu utendum putabant, definiebant, ut Mathematici solent: & si id facere voluissent, fortasse verba ad id idonea non semper invenissent; sed talia, quorum singula nova definitione indiguissent. Imo neque iidem Philosophi in sensu vocabulorum sibi usque constare potuerunt, saltem eorum, quæ cum vulgo ipsis fuere communia; unde factum, ut hæc nunc Philosophorum, nunc vulgi sensu; huc enim sæpe à multitudine trahebantur; acciperent. Hinc perpetuæ Logomachiæ inter vulgum & Philosophos: Logomachiæ inter Philosophos diversarum sectarum: Logomachiæ inter ejusdem sectæ Philosophos: quocunque denique aspicias, Logomachiæ.

Quam

Quam in disputationibus confusionem attulerint, quotque Logomachiis occasionem dederint, voces illæ Philosophicæ aut Theologicæ, quos terminos artium vocare solent, egregie, ut multa, docet Georg. Calixtus in judicio de controversiis inter Lutheranos & Reformatos: *Facile est*, inquit, *hosce hodie terminos diversimode intelligi, rebusque ipsis aptari; quum aliquandiu Philosophia & disciplinæ diversimode fuerint traditæ, & nova illa atque prava Ramæa institutio veteres terminos partim aboleverit, partim aliter, ac olim accepti fuerunt, intelligere docuerit. Hinc itaque fit, ut à nonnullis termini, quos diximus, vel omnino non intelligantur, vel aliter, quam eorum fert, sive indoles, sive hactenus apud alios receptus usus, accipiantur.* Cum quo plane consentit judicium Stephani Gausseni: *Aristoteles*, inquit, *dividit caussas, in materiam, formam efficientem & finem. Efficientem porro dividunt in procatarcticam, proegumenam & instrumentum. Bene hactenus*; illud vero ridiculum, quod Theologi quidam *divisiones has suas ad omnia Theologiæ adhibent capita, & ineptire aliquando malunt, quam suum illum numerum caussarum non invenire: quo suo labore nil aliud consequuntur, quam ut pro una controversia, quæ* Christianorum *animos distinebat, sex septem pullulascant, quarum, absque illis divisionibus esset, nihil unquam cuique venisset in mentem; atque ita velitandi, altercandi, contradicendi, & per eandem lineam serram reciprocandi, finis nullus est.*

Differt. de natura Theologiæ.

CAP. VI.

De iis, qui sententiam suam non recte proponentes, Logomachiarum caussæ sunt.

QUinam *in linguis* Logomachiarum fomites lateant, vidimus; jam qui sint *in ipsis disputantibus*, dispiciendum. Hic vero culpa est à duarum partium alterutra, vel utraque. Cum ab una parte ii, contra quos disputatur, sententiam suam non recte proponunt: ab altera vero parte ii, qui contra alios disputant, sententiam alterius, satis bene expositam, sua culpa non recte intelligunt. Priori modo, nam de isto ante omnia in præsenti hoc capite dicemus. peccatur primo *obscuritate verborum*; quæ nonnunquam *involuntaria* est, nonnunquam *voluntaria* & *affectata. Involuntariam obscuritatem* appello, cum homines clarius loqui non possunt: *affectatam*, cum dedita opera perspicue loqui nolunt.

Disputantes variis modis caussam præbent Logomachiis. Obscuritas verborum vel involuntaria est, vel affectata. Illa summis quandoque ingeniis adhæret, & cur? Quintilianus laudatur.

Ac prius quidem vitium summis quandoque ingeniis adhæret; cum enim ipsi facile obscurissime ab aliis dicta intelligant, fit, ut, alios suo pede metientes, sua quoque obscure dicta semper intelligi existiment; imo nunquam videntur sibi obscure loqui, cum sibi nihil fere in aliis obscurum videatur. Quibus quidem observandum esset saluberrimum Quintiliani præceptum, qui Oratori suo

l. 8. c. 2.

suo non tam curandum esse vult, *ut auditor ipsum intelligere possit*, *quam ne omnino possit non intelligere.*

Recensentur causæ aliquot obscuritatis.

Sunt qui existimant, cum ipsi, quid sibi velint, sciant, alios pariter id scire; itaque orationi necessaria quædam verba, sine quibus cætera intelligi omnino non possunt, subtrahunt, non animadvertentes, sibi hunc defectum facile esse in mente supplere, non item aliis, qui non omnes divini sunt. Sunt qui sperant, alios tantam allaturos attentionem ad scriptorum suorum lectionem, quantam ipsi ad compositionem eorum attulerunt: in quo illos decipit cæcus sui & suorum amor; id enim tum demum fieret, si alii tanti nostra facerent, quanti illa à nobis ipsis fieri solent. Obscuritatem quoque pariunt verba male cohærentia, atque impeditus eorum ordo: quemadmodum enim ordo perspicuitatis, ita confusio obscuritatis mater est. Quod malum nonnunquam inde provenit, quod in aliis cogitationibus defixi, aut subinde ad alias inter loquendum delabentes, ad ea, quæ dicimus, non satis attendimus: nonnunquam ex præcipitantia quadam, quod loqui incipimus, antequam totum, quod dicere volebamus, animo concepimus, & quid ex illo primum, quid deinde dicendum, probe consideravimus. Quod in publicis disputationibus potissimum contingit: ubi affectus mentem perturbant, atque, ut sereno animo de dictorum nostrorum ordine cogitemus, non permittunt.

De Methodo. p. m. 4. *Cartesius correctus.*

Plerumque vero confusio in verbis confusionem in mente sequitur: eoque ordine res proferimus, quo illas concepimus: ut non omnino male Cartesius dixisse videatur, eos, *qui ratione plurimum valent, quique ea quæ cogitant, quam facilimo ordine disponunt, ut clare & distincte intelligantur, aptissime ad persuadendum dicere posse.* Malim tamen, *aptissime ad docendum* dixisset: nam ad movendum, in quo potissimum Oratoris facultas cernitur, plura, quam iste Philosophus vult, requiruntur: plane ut quandoque impedita & male cohærens oratio, affectum dicentis exprimens, ad movendum ac propterea ad persuadendum aptior sit. Qualis est illa Nisi Virgiliani:

Me me: adsum, qui feci: in me convertite ferrum.

Alia obscuritatis causa, quando ipsi quæ dicere volumus, non clare percipimus.

Plerunque vero obscuritas sermonis ex eo oritur, quod ipsi, quæ dicere volumus, non satis clare percipimus: ut sæpe tenebræ orationis tenebras mentis prodant. Nonnunquam, cum mira & mire dicere volumus, cogitationes nostræ tam alte volant, ut ipsi eas non amplius conspiciamus. Conquerimur aliquando, verba nobis, quibus mentem explicemus, non suppetere, ubi merito nobis diceret Flaccus, de re prius probe intelligenda cogita,

Horat. de art. Poët.

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Imo

Imo fit sæpissime ut loqui velimus, licet nihil prorsus, eorum quæ dicimus, intelligamus, ac, quid dicere velimus, omnino nesciamus: ubi non potest non obscura esse oratio.

Obscuritates sæpe in conflictibus disputationum, unde?

Id accidit sæpe in conflictibus disputationum: ubi turpe videtur adversario cedere. Respondenti defendenda est thesis. At est falsa: defendenda tamen. At non habet, quod respondeat: hoc nihil ad rem, respondendum tamen. At nescit, quid loquatur: quid tum? loquendum nihilominus, & tamdiu loquendum; donec tandem Opponens sileat. Si mens Respondentem deserit; sentiat tamen adversarius, linguam nondum ipsum deseruisse. Similiter licet Opponens satisfactum sibi putet, non ideo statim acquiescendum: turpe est primo ictu prosterni: turpe tam cito terga vertere. Urgendum est argumentum: instandum: Sed jam solutum est: nil refert. Loquendum, etsi nihil, quod dicas, habeas: Ut imperitis doctus videaris & bonus disputator, necesse est, ut loquaris; non semper necesse est, ut aliquid dicas.

Eruditi sæpe & extra conflictum obscuri.

Sed & extra conflictum eruditi sæpe verba profundunt nihil significantia. Accidit id non raro iis qui docent: cum videri volunt discipulis suis intelligere, quæ non intelligunt. Durior in Oratorem suum Crassus est apud Ciceronem: quem si audis; *oratio, si res non subest ab oratore percepta & cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione digna: Quid est enim*, ait, *tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia?*

De Oratore l. 1.

Philosophis hoc maxime accidere videtur. Hobbes de Homine c. 10. § 3. *Id ostenditur exemplo virtutis magneticæ.*

Philosophi majore semper libertate gavisi sunt: quibus licuit, semperque licebit *ad ignorantiam tegendam*, ut loquitur Hobbesius, *verba invenire, ex quibus nulla sententia exprimi possit.* Licet aliis hæc verba ab his accepta repetere, quod *dum faciunt, putant plerumque se dicere aliquid, cum tamen nihil dicant.* Si quis ex Philosopho quærit, quænam sit caussa, quod magnes ferrum ad se trahat: quam turpe, quam rusticum foret, hic statim ignorantiam suam profiteri? Quis ferret in Philosopho plebeium illud: Nescio? Quanto doctius videtur, dicere: caussam hujus rei esse *formam substantialem* magnetis, quæ, quoniam, magno Philosophiæ naturalis damno, una cum reliquis omnibus substantialibus formis, *ignota* sit, nisi quod illas ἐντελεχείας quasdam esse cognoscamus, ex *qualitatibus* intelligi debeat. *Qualitatem* autem hanc magnetis, qua ferrum attrahit, non esse *qualitatem primam;* cum non ex *forma elementari immediate emanet*, sed *qualitatem* tantum *secundam*, quippe quæ *emanet ex forma mixti.* Cum vero *qualitates secundæ* sint vel *manifestæ* vel *occultæ*, quarum hæ in *sympathias* & *antipathias* dividuntur: qualitatem secundam magnetis ad occultas, atque inter has ad sympathias esse referendam; cum hujus species sit, *qualitas attractrix*, qualem in magnete cernimus. Quis non crederet, in his verbis graviter & vultu magistrali ex cathedra pronunciatis magna latere mysteria? At qui attentius hæc considerabit,

rabit, cum Æsopica vulpe exclamabit : ὦ οἵα κεφαλὴ, καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει! O quantus verborum ambitus sensum non habet! Talia sunt plura.

Spiritus aliter in loco esse ac corpora quis nescit, qui tantum aliquo modo scit, quid sint spiritus, quid sint corpora? de modo quo spiritus sint in loco, si Scholasticos interrogas; in promptu est responsio : Hanc, inquient, esse inter corpora & spiritus differentiam, quod corpora sint in loco *circumscriptive*, spiritus autem *definitive*. Si postquam hæc vocabula non sine magna difficultate memoriæ impressisti, quæris, quid igitur hæ tam longæ voces significent? nihil ex illis exsculpi posse videbis, quod quidem intelligas, quam spiritus non ita in loco esse ut corpora, id quod ante tibi non erat incognitum. Erit etiam aliquis, qui omnino negabit spiritus esse in loco : imperitiam esse ita loqui; in *ubi* esse, non in loco : si quæris, quomodo igitur locus & *ubi* inter se distinguantur; ridebit ignorantiam tuam, & an igitur nescis, inquiet, hoc esse discrimen; quod locus tantum corporibus, τὸ *ubi* vero etiam spiritus à Philosophis tribuatur.

De vocibus mente cassis Malebrancii verba. Recherche de la verité Tom. 3. p. 179. & seq.

De his vocibus mente cassis ita sapientissimus Philosophus : *Vocibus homines* (liceat mihi meo potius more auctoris verba Gallica convertere, quam Latinum interpretem sequi,) *& sibi & aliis satisfacere consueverunt. Dummodo verba aures ne offendant, tametsi sensum non habeant, satis est, ut ab hominibus recipiantur. Nimirum hæc est, quæ in orbe valet, moneta. Exclusa est ex commercio hominum veritas, usque eo, ut neque loquentes neque audientes ullam ejus rationem habeant. Scire loqui, summum naturæ donum videtur. Quam fœcunda imaginatio parit loquendi facilitatem, certissima plurimis placendi via est; semperque, ut rumpantur Cartesiani, memoriæ vocabulis incomprehensibilibus refertæ suus inter homines honor constabit.* Ad voces has laudatus Scriptor refert *vagas*, ut vocat, & *generales*. Intelligit tales, quæ aliquid quidem in genere & confuse significant, sed non id in specie & distincte, quod significare debent. Quo pertinere ait, cum vulgo dicitur, corpora tendere ad *centrum* suum : decidere propter *gravitatem* : ascendere propter *levitatem* : moveri per *naturam*, mutare identidem *formas*, agere per *virtutem*, *qualitatem*, *facultatem*. Omnia denique vocabula, quæ non *distincte aut rem*, aut *rei modum* significant. Quibus qui utuntur, iis applicat verba Syracidis : *Scientia insensati inenarrabilia verba.* Idem affirmare non dubitat *esse*, *qui multa conscripserint volumina, in quibus locus ab ipsis Scriptoribus clare & distincte intellectus rarior avis sit, quam quisquam existimet.*

Syrac. 21. 22.

Logomachiæ oriuntur ex obscuritate orationis affectata.

Percurrimus ita præcipuas orationis obscuræ, quæ quidem nobis invitis talis est, & species & caussas : jam quomodo ex hac dictionis obscuritate Logomachiæ oriantur, demonstratu non est difficile. Quoties enim cum eo disputamus, cujus verba non clare intelligimus; pugna non est inter nostram & illius sententiam, quam ignoramus : sed inter nostra & illius, quæ non intelligentes legimus vel audimus, verba : ac propterea quisquis non ita loquitur,

quitur, ut facile intelligi possit, necessario aliis hac verborum obscuritate Logomachiæ occasionem præbet. Quod si vero quis neque ipse, sive id fiat in disputationis æstu, sive extra disputationem, quid dicat, scit: aut scit, se nihil dicere: tum vero oritur ineptissimum illud certaminis genus, quod nos in tertio capite *Logomachiam Cæcam* appellavimus.

Idem quoque malum oritur ex obscuritate orationis affectata. Quæ tanto magis est reprehendenda, quo major hic in loquente culpa est. *Neque hoc vitium*, ait Quintilianus, *novum est, cum jam apud Titum Livium inveniam, fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obscurare, quæ dicerent, juberet.* Id quod ex inepta persuasione profectum esse dicit, qua multi ducuntur, *ut id jam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit.* Ut Erasmus, *quosdam tum demum sibi ingeniose dicere videri*, ait, *si ad eos intelligendos opus sit ingenio.* De Oratoribus loquitur Fabius: quod si enim de Philosophis sermo illi fuisset, exempla longe antiquiora attulisset.

Probatur testimoniis Quintiliani: Inst. Orat. lib. 8. c. 2.

Erasmi De cop. verbor.

Heraclitus init quorum dux prælia primus
Clarus ob obscuram linguam.

Lucret. l. 1.

Notus Armeniorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Magorum apud Persas, Brachmanum apud Indos, Æthiopum, Hetruscorum, sapientiam non divinam modo sed humanam occultandi mos: quem à Noacho omnes hos populos accepisse, sunt qui putant; cui fabulæ liber, qui sub Berosi nomine circumfertur, originem dedit. Ab Hetruscis hic mos ad Romanos, ab Ægyptiis per Orpheum & Pythagoram præcipue ad Græcos transiisse videtur.

& exemplis variis.

Berof. antiq. l. 3.

Notæ sunt fabulæ Græcorum, quibus universam Philosophiam comprehendi aiunt. Noti Pythagoræ numeri, & qui hos à Pythagora accepit, Platonis, quorum obscuritas in proverbium abiit, ut obscurissimum quodque *numeris Platonicis obscurius diceretur*. In universum Pythagoreos & Platonem *fabulis* orationem obscurare, cum de aëris potestatibus, vel de cæteris Diis loquuntur: cum vero de *summo DEO* ac *mente; ad similitudines & exempla confugere*, Macrobius * auctor est. Obscuritatem in Timæo Platonis agnoscit, qui in Platonis scriptis fuit versatissimus, Cicero †; & qui superiori seculo Platonicam Philosophiam renovavit, Marcilius Ficinus docet, *ea, quæ Plato scripsit de anima & ejus circuitu aliter, ac verba sonant, intelligi debere.*

Fabulæ Græcorum. Numeri Pythagorici.

Cic. ad Att. l. 7. ep. 13.

* In somn. Scip. l. 1. c. 2.

Plato.

† Lib. 2. de fin.

Plat. Theol. l. 7. c. 4.

Nota sunt Stoicorum mirabilia: nota aliorum Philosophorum, ἀπόῤῥητα. Nota in primis Aristotelis *Acroamatica, Esoterica & Epoptica* scripta. Nota ejus, quam, ut loquitur Simplicius, ἀντὶ παραπετάσματος, *loco velamenti* elegit, ἀσάφεια: quæ tanta fuit, ut Themistius sectator & interpres Aristotelis, affirmare non dubitet, *eum ita scriptis suis obscuritatem inspersisse, ut sepia cum sese piscatoribus*

Aristoteles.

A. Gell. noct. At. l. 20. c. 5.

occultare vult, atramentum aspergit. Ipse Aristoteles Alexandrum ægre ferentem, quod ea, quæ ab ipso didicisset, emissis libris acroamaticis vulgaverit: bono animo esse jubet: ξυνετοὶ γάρ εἰσι, inquit, μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασι. Forte ne his quidem: si modo verum est quod Themistius ait, *stultitiam esse, omnia Aristotelis dicta intelligere velle.* Id quod, si nihil aliud, tot Aristotelis interpretes, quorum numerum jam suo tempore *ad duodecim millia pervenisse* Franciscus Patritius ait, abunde demonstrant.

Discuss. Peripat. Tom. 1. l. 10. p. 145.

Platonici. In argumento Timæi. *Aristotelici.*

Ut Platonis ænigmaticam obscuritatem Sectatores ejus sunt imitati, quos in Platone interpretando *mirum in modum mysteriorum pruritu titillari, & non tolerandas alioqui tenebras novis tenebris cumulare* conqueritur Platonis interpres Joh. Serranus: ita Aristotelici, qui fortasse in aliis præceptorem assequi non potuerunt, in obscuritate non modo assecuti sunt, sed superarunt, prorsus, ut post tot interpretes Græcos, Latinos, Arabes, non modo nihilo planior, sed in quibusdam obscurior sit. Quod beneficium præcipue Scholasticis debet, qui Aristotelem non genuinum, sed qualem ex Arabico conversum acceperunt, interpretandum sibi sumserunt.

Scholastici.

Posteaquam enim hæc barbara colluvies Philosophiam inundavit; DEUS bone! quod chaos ortum est? quanta vastitas? quam omnia sepibus & spinis obsita? quæ tenebræ, quæ obscurissima vocabula, quæ distinctionum portenta, introducta sunt in Philosophiam? quis numerus *abstractionum, præcisionum, quæ entia rationis objective, subjective, & effective sic dicta? quæ distinctiones distinctionis in realem & rationis, ac rationis distinctionum in distinctiones rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ? quæ realitates majores & minores? quæ entitates modales? quæ formalitates? qui actus substantiales, accidentales: primi, secundi: compositi, divisi: signati, exerciti? qui status, quæ ampliationes? quæ principia individuationis, quæ suppositalitates, quæ materiæ signatæ, quæ hacceitates, ecceitates, petreitates, quidditates, identitates? qui appetitus formarum? qui appetitus centri? quis vacui horror? quæ qualitatum plaustra?* Et quis enumerare posset omnes *Albertistarum, Occamistarum, Thomistarum, Scotistarum, Realium, Nominalium*, elegantias? Quod tamen aliquo modo ferendum esset, si hæ tenebræ Philosophiam Scholarum solam, non omnes artes & disciplinas, non ipsam quoque Theologiam ita occupassent, ut Theologiam in Theologia vix videre licuerit; ac vix hodie tenebræ huic disciplinæ immissæ quodammodo discuti possint.

Caussæ obscuritatis.

In his omnibus si caussam obscuritatis quæris; varia afferuntur. Philosophos, ajunt, hac ratione cavisse, ne sapientia nimis vulgata vilesceret. Nimirum Regina Philosophia hac in re similis fuit Persarum Regibus, de quibus *traditur, eos specie majestatis occuli consuevisse.* Dicunt, hanc semper fuisse inter Sophistas & Philosophos differentiam, quod illi ostentant, quicquid sciunt, hi occultant. Addunt, *inimicam esse naturæ apertam nudamque expositionem sui: quæ*

Justin. l. 1.

Macrob. in somn.

qua sicut vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtraxit: ita à prudentibus arcana sua voluit per fabulosa tractari: adjiciunt, ipsam religionem occultari, *ut figura defendant à vilitate secretum.* Verentur denique, ne Philosophia, si prorsus nuda vulgi oculis exponatur, vile tandem fiat plebis prostibulum. De Aristotele speciatim Simplicius ait, *eum in Acroamaticis data opera obscurum esse voluisse, ut segniores ab hujusmodi studio repellat.*

Scip.l.1.c.9

Ibid.

Honesta horum omnium oratio est, At nisi me vehementer antiquitatis moveret veneratio: dicerem, hos omnes affectatæ obscuritatis meros esse prætextus. Sacra Deorum Gentilium vulgare, piaculum habebatur: si rationem quæris, eandem tibi dabit Julus Firmicus: *ne publicata divina scientia ad profanorum hominum notitiam perveniret.* At si quis vel solum *adversus gentes* Arnobium legerit: longe aliam sacrorum occultatorum caussam fuisse, videbit: occultata videlicet illa fuisse, ne impietas eorum, impuritas, & stultitia proderetur.

lib. 4. Matth. c. 16.

Simile nonnunqam aliquid in priscis Philosophis suspicor: ideo scilicet illos obscurasse dicta sua, ne forte, si clarius locuti fuissent, pateret omnibus, quam imperfecta, imo quam frivola sit notitia sua, quam infirmis fundamentis superstructa, quam multa in scriptis suis sint dubia & incerta, quam male cohæreant partes, quam elumbes sint pleræque eorum conclusiones: quæ omnia sapientissimis Viris, suique amore minime excæcatis, ignota esse non potuerunt. Tegenda igitur hæc erant quodam obscuritatis operimento: in tenebris hæ merces erant vendendæ, ne vitium emtores animadverterent: faciendum, quod Histriones hodie faciunt, qui noctu plerumque suas agunt fabulas, ut tanto minus fucus in facie suarum personarum, aurum, & gemmæ adulterinæ in vestibus dignosci possint. Videbant perspicacissimi homines, se hac sua obscuritate multis admirationi futuros:

> *Omnia enim stolidi magis admirantur amantque,*
> *Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt.*

Lucret l. 1.

Jamque animo prospiciebant, alios jactantes intelligentiam obscure à se dictorum, quæ tamen ne ipsi quidem intellexerunt; alios nutu illa approbantes, ut imperitis ea capere videantur: alios nescio quæ in iis mysteria quærentes; alios, si nihil intelligant, tarditatem suam deplorantes; alios vocabula non intellecta addiscentes suamque iis memoriam onerantes in spem venturæ aliquando intelligentiæ. Prævidebant denique, Sectatores futuros tantam in oraculis suis explicandis ingenii & industriæ exercendæ materiam inventuros, ut vix post bis mille annos de nova Philosophia sint cogitaturi.

Hæc mihi invito nonnunquam super hac priscorum Philosophorum obscuritate in mentem veniunt, quæ, nisi me valde terrerent tanta nomina, pene

Verulam. de augm. ſcientiar. l. 6. c. 2.

vera eſſe dicerem. Sed quod de his non audeo, de Scholaſticis poſt Baconem dicere haud vereor: eos obſcuritatem affectaſſe, *ut hoc ambiguo & fallaci lumine merces ſuas adulterinas extruderent*: de quorum Philoſophia jure dici poteſt, quod de Græcorum Philoſophia dixit olim Triſmegiſtus, quod ſit λόγων ψόφος. Hi enim Philoſophaſtri ex interpretibus naturæ facti ſunt interpretes vocabulorum, in eum finem, ut haberent quod interpretarentur, à ſe confictorum; ut minime mirum ſit, quod Franc. Patritius ait, *Philoſophiam quadringentis jam annis nihil aliud fuiſſe eſſeque adhuc in ſcholis, quam litem & verboſam contentionem.*

Tom. III. l. 4. p. 233.

(a) A. 1611. (b) A. 1624. c. 1. 1629. Vid. Rapin. collat. Ariſtotelis & Platonis p. 412. Launoius de var. fort. Ariſtotelis, c. 6. & 7. Rapin. ibid.

In Eccleſia tamen Romana hæc Philoſophia Scholaſtica, quam Ariſtotelicam vocant, hodieque magno in pretio eſt. Nempe quoniam & hic vident Viri Prudentes hoc obſcuritatis velo maculas ſuas aptiſſime tegi poſſe. Quem in finem ejus auctoritas olim (a) ab Univerſitate Pariſienſi ſtabilita, (b) poſtque libellum ſupplicem à Facultate Theologica oblatum, à Summo Pariſienſium Senatu decreto eſt confirmata; (c) quod decretum repetitum poſtea eſt in hunc ſenſum; *non poſſe principia Philoſophiæ Ariſtotelicæ labefactari, niſi Theologia Scholaſtica, in Eccleſia Romana recepta, labefactetur.*

Noſtra quoque ætate idem ex occaſione ortæ Philoſophiæ Carteſianæ factum eſſe accepimus. Nimirum vident acutiſſimi homines, non è re ſua eſſe, ut claræ illæ diſtinctæque perceptiones, quas Carteſiani novatores tantopere extollunt, in ſcholas ſuas introducantur. Utiliorem, ubi quid tegendum eſt, Ariſtotelem ſuum ſunt experti, Philoſophum, quem Doctiſſimus Jeſuita eo potiſſimum nomine commendat: *quod Eccleſiæ Adverſarii, Lutherus, Melanchton, Bucerus, Calvinus, Poſtellus, Paulus Sarpius, in eum acerrime ſcripſerint, quas Invectivas ſummo Ariſtotelicæ doctrinæ honori eſſe gloriatur.*

Ambiguitatis affectatio etiam parit Logomachias. Ejus ſtudium frequens. Diſputantes.

Vidimus unde manarit, quæ tot inter eruditos Logomachias peperit, obſcuritatis affectatio: quo & ambiguitatis affectatio referri debebat, quæ non minus frequens eſt. Id quod nonnunquam joco fit, ut errore male verba noſtra interpretantium delectemur: ſerio vero ſæpiſſime. *Qui theſes*, quas vocant, *ad diſputandum proponunt*, ſub hac ambiguitate libenter latent, ut quicquid contra proponas, effugio ſit locus: ac ſi una eos via aggrederis, per alteram elabi poſſint. *Qui regulas & Axiomata varia Philoſophica tradiderunt*, hæc arte uſi ſunt: hæc enim, cum perpetuum Scholaſticarum diſputationum ſint argumentum, (quanquam de axiomatibus diſputare ridiculum videatur,) iis erant verbis concipienda, ut inveniret Opponens, quod objiceret, Reſpondens vero haberet aliquam, in quam tecto latere poſſet confugere, diſtinctionis arcem.

Chymici.

In hanc partem peccant omnes, qui ſine cauſſa mutant vocum ſignificationes: ut *Chymici*, qui non minus ænigmatice, quam Apollo quondam ex tripo-

tripode, loquuntur. Item ii, *qui novarum sententiarum auctores videri volunt*, & cum has excogitare non possunt, ad nova verba confugiunt, novam methodum & modum antiqua tradendi. Ita Ramus Aristotelem nova veste induit, quemadmodum prius Aristoteles fecerat Platoni.

Ramus.

His adde eos, quos puderet cum vulgo hominum loqui: qui usque crepant mirabilia, rara, paradoxa: qui, cum supra plebem non sint sapiendo, supra eundem esse volunt loquendo. Ubi à Stoicis peccatum esse jam in superioribus ex Cicerone diximus. Unde perpetua inter ipsos & alios Logomachia. Extat Plutarchi Synopsis, ὅτι παραδοξότερα οἱ Στωικοὶ τῶν ποιητῶν λέγουσιν. Item Dialogus ejus περὶ κοινῶν ἐννοιῶν, ubi probare conatur: *Stoicos prorsus omnes communes, quæ vocantur, hominum notiones evertere.* Ita facere videbantur, quia communissimas inter homines loquendi rationes mutarunt.

Stoici.

Tom. III. τῶν διαφόρων συγγραμμάτων, quæ vulgo moralia vocant.

In idem incidunt vitium, qui sine gravi caussa verbis & loquendi rationibus utuntur, bono sensu, quæ probe sciunt, à pluribus in deteriorem partem accipi; facileque prævidere possunt, hæc multorum aures offensura; παρερμηνείας atque inde rixas paritura. Ita Epicuro ignotum esse non potuit, quam male apud plerosque audiat voluptatis nomen. Et Cartesius fortasse sperare non debuit, nullos fore aut minus acutos aut malignos, qui verba quædam sua perverse sint intellecturi; quorum ratio ut haberetur, ipsi forte non operæ pretium visum est: at si habuisset, multis acerrimis Logomachiis Resp. Literaria caruisset.

Epicurus.

Cartesius.

Denique si Logomachias quæsiverunt, qui *terminos*, quos vocant, *scholasticos*, in Theologiam invexerunt, ut videlicet ita de *materia & forma Sacramentorum* disputarent, qui de his ipsis perspicue dictis disputare non possent: ii quoque, quanquam forsan præter suam culpam, his rixis occasionem præbuerunt; qui *Locutionibus Scripturæ S.* aliter ac vulgo intellectis horum loco utuntur; Hi enim ab iis, qui locutiones has aliter accipere sunt assueti, nunquam recte intelliguntur. Is autem omnes artes, ipsam quoque Theologiam, optime docere mihi videtur, qui, si fieri potest, ab omnibus, sin minus à plurimis, quam facillime intelligitur.

CAP. VII.

De iis, qui verba eorum, quibuscum disputant, perperam intelligunt.

Locuti sumus de iis, qui sententiam suam non recte proponentes, Logomachiis occasionem dant. Sed negari non potest, maximam plerunque

Eorum, qui sententiam illorum

quibuscum disputant, perperam intelligunt,

eorum culpam esse, *qui sententiam eorum, quibuscum disputant, perperam intelligunt.* Qui duplici mihi nomine ridendi videntur, & quod ea se capere putant atque adeo gloriantur, quæ non capiunt: & quod inepta hac persuasione ducti statim ad arma provocant, iis non absimiles, qui cum de bello somniant, hostem ad portas esse rati, noctu surgentes, amicum quemlibet obvium, pro hoste invadunt. Horum *alii bona fide agentes*, eam, quam oppugnant, sententiam revera adversarii sui sententiam esse existimant: In *aliis affectatus est error*; ideo enim ita vociferantur, quia nolunt adversarium intelligere: aut quoniam videri volunt id non capere, quod tamen probe capiunt.

alii bona fide agunt, in aliis affectatus est error.

Ad priores referuntur ingenia volatica & desultoria.

Ad illos, de quibus prius dicendum est, refero primum *Ingenia volatica ac desultoria*; qui sapientiam, cujus studium profitentur, non aliter hauriunt, quam canis aquam è Nilo. Hi nusquam consistunt; semper hinc inde discurrunt; attentionis paulo longioris prorsus impatientes. Ad alia, ad alia usque & usque festinant. Unde est, quod vix quicquam eorum quæ legunt & audiunt, recte intelligunt: & tamen de omnibus audacter pronunciant: quicquid displicet, reprehendunt. Horum judicio si stare nolis, paratæ lites. Primum caput, aut primam paginam meditationum Cartesii legunt; idque sine attentione; sufficit hoc ad condemnationem. Atheus est, Scepticus: *blasphemavit: quid opus est amplius testibus?* At probat existentiam DEI. At Vaninus idem fecit. Quid? quæris. Lata sententia est; nullus provocationi locus.

Levitas in his Naturæ nonnunquam est vitium. Sæpe provenit ex ambitione: Terent. Phorm. act. 4. sc. 2.

Hæc levitas mentis naturæ nonnunquam vitium est: dantur enim homines, qui natura attentionis omnis incapaces sunt. Nonnunquam vero hoc provenit ex ambitione quadam, quod isti homines videri velint omnia celeriter percipere: quique adeo aucupantur illud Phormionis elogium apud Comicum, de quo ita servus Geta:

> *Ego hominem callidiorem vidi neminem:*
> *Vixdum dimidium dixeram, intellexerat.*

tum ex superbo quodam aliorum contemtu: quandoque ex multa sciendi cupidine.

Nonnunquam hoc oritur ex superbo quodam aliorum contemtu: sunt enim plurimi, qui non operæ pretium esse existimant, ut multum temporis in addiscendis aliorum sententiis conterant, quæcunque alii dicunt, putant esse ex eorum numero, quorum falsitas & stultitia vel obiter legentibus pateat. Quandoque hujus rei caussa est omnia sciendi cupido. Fit enim plerumque, ut, qui nimis multa comprehendere volunt, nihil comprehendant. Iis præsertim hoc contingit, qui Viri multæ lectionis audire volunt; rarissimum enim est, ut quicquam debita attentione legant: ac propterea, ut quicquam paulo difficilius recte intelligant. Ex quo oritur ut fingant inter ea, quæ legerunt, similitudines, ubi nullæ sunt. Simulac verba quædam in priscis vident, quæ in quibusdam recentioribus reperiunt; statim eadem prisco-

priscorum & recentiorum sententia est. Democritici his sunt, omnes quicunque de corpusculis loquuntur; Stoici, qui de fato; Epicurei, qui de voluptate. Hæretici denique sunt omnes; quotquot in verbis quibusdam cum priscis Hæreticis convenire, in locis suis communibus inveniunt.

Ingenia superficiaria vocantur illi, qui verba non intellecta oppugnant; quomodo ab ingeniis desultoriis differant.

Aliorum verba non intellecta sæpissime oppugnant illa quoque ingenia, quæ, quoniam in exteriori rerum superficie perpetuo hærentes ad interiora non penetrant, *superficiaria* vulgo appellari solent: à desultoriis hactenus diversa, quod hæc aliorum dicta perperam intelligunt ob defectum attentionis, illa propter defectum acuminis. Neque solos hic stupidos noto, quos, ut scientiarum vocabula memoriæ infigant, clamore & jurgiis tandem adiges, ut res ipsas vocabulis subjectas recte percipiant, nunquam efficies: sed illos etiam hic intelligo, qui ingenio non prorsus destituti, externa & quasi corticem rerum, eaque, quæ primo intuitu se nobis offerre solent, celeriter percipiunt, probeque inter se discernunt: at hæc ipsa externa, in quibus dijudicandis tam prompti, tam acuti videntur, ita totam eorum mentem occupant; levia hæc & parum ad solidam rei ipsius cognitionem facientia, tam vehementer sensum eorum atque phantasiam afficiunt, ut omnes in his cogitationes tanquam in luto hærentes, ad interiora atque ea, quæ in rebus ipsis præcipua sunt, progredi nunquam possint.

Malebrancius laudatus.

Rech. de la verité Tom. I. part. 2. cap. I. §. I. & cap. 9. §. I.

De hoc ingeniorum defectu, ac *naturalibus ejus caussis* multa, ut solet, acute sæpe à nobis laudatus *Malebrancius*: ad quem lectores remittimus. Istud observasse ad institutum nostrum vehementer pertinet, aciem horum ingeniorum, perinde atque eorum, quæ stupida prorsus sunt, in addiscendis disciplinis, percipiendis aliorum sententiis, dijudicandis eruditorum controversiis, parum ultra verba, formulas loquendi, modumque tradendi procedere: quo fit, ut quæcunque in his conveniunt, prorsus istis hominibus similia; quæ in iisdem differunt, diversa illis appareant. Cum vero sæpissime verbis magnopere discrepare videantur, qui tamen idem prorsus sentiunt: accidit, ut, cum hi disputant, uti nullum genus hominum magis est ad ejusmodi certamina proclive, plerumque de verbis disputent. Et quanquam verissimum sit illud Cartesii: *cogitationes omnium hominum circa verba magis, quam circa res versari;* in hoc tamen magnum est inter homines discrimen, quod alii in verbis subsistunt, alii in verbis res ipsas quærunt.

Cart. Princ. parsit. I. §. 74.

Inter literatos multi quorum omnis eruditio est in verbis.

Hic vero nemini istud audacter nimis dictum videri velim, quod sane certissimum est; inter eos, qui literati atque eruditi audiunt, multos reperiri, quorum omnis in verbis eruditio est: idque non solum in Grammaticis, ubi de vocabulis agitur, sed in iis etiam scientiis, quæ circa res ipsas versantur. Has intelligere, sæpe nihil aliud est quam vocabula, quæ *terminos artis* vulgo appellant, memoria complecti, iisque, sicubi scientia ostentanda est, rudium aures obtundere: plane, ut nobis liceat, quod olim, alio licet sensu, factum

est;

est; non tantum Philosophos, sed omnes eruditos vulgo dictos in *Reales* & *Nominales* distinguere.

Hinc omnes eruditi in nominales & reales distingui possunt. Gaussenus laudatus. Differt. de utilit. Philos. ad Theolog. De natura Theologiæ.

Quod hic dicimus, ingenue de se confitetur jam sæpe à nobis laudatus Gaussenus: *Nos*, inquit, *qui per totos quatuor annos Dialecticam & Metaphysicam publice prælegimus, si quando mos, imperiosa res, jubeat, ut quæ ratio contexuit ratione dissolvamus, toties rubore toti suffundimur, qui hoc tacito conscientiæ sensu intelligimus, nos supra hominum vulgus, extra voces technicas, nihil sapere; parum autem liberale esse facinus, voces, hoc est, fumum tanto cum apparatu è cathedra venditare.* Idem alibi: *Præter voces*, inquit, *technicas, si verum dicere amamus, nihil fere habent Theologi, quo à viris quibusdam literatis discernantur: quos tamen, eo quod fictitias nostras nomenclaturas non didicerint, Theologos nemo vocaverit.*

Hobbesius à Cartesio correctus. Object. 3. ad Meditat. Cartes. p. 96.

Reprehenditur, ac merito, Hobbesius à Cartesio, quod *judicium fortasse* nihil aliud esse dixerit, *quam compositionem duorum nominum per verbum est*; qui verius compositionem duarum notionum nominibus subjectarum per illud, quod verbo *est* significatur, judicium esse dixisset. Verissime tamen dici potest, multorum hominum judicia plerunque nihil aliud esse, quam duorum nominum & merorum quidem nominum per verbum *est* compositiones: unde fit ut ratiocinationes quoque istorum nihil fere sint aliud, quam talium compositionum compositiones per conjunctionem *Ergo*. A talibus hominibus quoties verbis recedis, hoc satis est, jam his aliud sentis. Iis enim omnibus, quorum scientia in verbis consistit, *dissentire* nihil aliud est, quam aliter loqui. Verborum discrimen vident, sententiarum convenientiam non perspiciunt. Pro veritate pugnare videntur, cum pro formulis loquendi pugnant. Cum talibus denique hominibus nulla pacis spes affulget, nisi quis sententiam suam totidem, quot ipsi solent, verbis, atque iis eodem ordine dispositis, proponat. Hoc tantum si quis fecerit, etsi hic aliud longe quam ipsi sentiat, imo etsi nullus sit verborum suorum sensus, confecta res est:

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes solemque reducit.

Vitio institutionis & educationis assuescimus verba non intellecta pronunciare.

Hujus vitii caussas naturales exponit, uti diximus, Malebrancius. Multa tamen huc confert præter naturam institutio atque educatio. A prima enim pueritia ubique fere assuescimus verba non intellecta pronunciare: Quot vocabula, quot formulas loquendi, formulas salutandi, gratulandi, gratias agendi, formulas etiam precum à præceptoribus in pueritia discimus? Quot dicta S. Literarum, Oratorum, Poëtarum, Philosophorum, Patrum? Quam longas sæpe Christianæ religionis institutiones? Quot modos loquendi à Parentibus, domesticis, vicinis auditos imitamur? In quibus tamen omnibus præter verba parum percipimus.

Cum

Cum ad artes disciplinasque admittimur, quantam præceptorum, definitionum, divisionum, quæstionum, responsionum, axiomatum, theorematum, distinctionum, terminorum, ut vocant, copiam memoriæ impressam, sicubi à nobis consuetis interrogationibus requiritur, prompte reddimus? Sed adeo non intelligimus, ut si vel verbulum in interrogatione mutetur, quod respondeamus, non habeamus. Nonne in proverbium abiit, ut, si quis aliquid memoriter dicat eo modo; qui indicat, ad id quod dicitur non attendi, aut id prorsus non intelligi, hoc sicut discipulus lectionem recitare dicatur? Longæ quin etiam habentur orationes, dialogi, comœdiæ, ubi loquentes vix quicquam intelligunt. Et, quo nihil absurdius fingi potest, ipsæ illæ regulæ, quarum ope Latina lingua addiscenda est, Latine à rudibus hujus linguæ memoriæ mandantur. In quibus quid præter vocabula non intellecta disci possit, non video.

Qui sicut discipuli lectionem recitare dicantur?

Hæc ad unum omnia nolim equidem nunc improbare. Exercenda est memoria, quandiu viget; recondendæ in ejus penu non res tantum, sed multa etiam verba, formulæ, dicta pia, elegantia, emphatica, ita denique utilia, ut non res ipsas modo, sed locutiones etiam & verba per omnem vitam memoria tenere atque in promptu habere prosit. Horum multa addiscenda concedam, antequam intelligi possint, si periculum est, memoriam cum ætate decrescentem, tum, cum intelligi poterunt, tot verbis necessariis retinendis non amplius suffecturam. Hic tamen modus tenendus est. Nisi necessitas aut magna utilitas id suadeat, satius est nulla quam non intellecta verba discere. Neque diu pueri in bruta hac discendi ratione sunt detinendi. Sola in his memoria excolenda est, quamdiu sola in iis memoria conspicua est. Quamprimum judicii atque rationis scintillæ se exserunt; exserunt autem se plerumque citius, quam putatur; hæ excipiendæ, excitandæ, fovendæ. Exerceatur memoria; at sit illa non bruta, sed rationalis. Dedignetur ea discere, ea retinere, quæ intellectus non prius percepit. Cogitandum, Præceptoribus non picas, non psittacos instituendos esse, sed homines. Qui ut picæ instituuntur, aliquid picarum per omne reliquum vitæ tempus retinent; corvo illi, apud Macrobium *, similes, qui post Actiacam victoriam Augustum his vocibus salutavit: *Ave Cæsar victor imperator*: atque & illi alteri, qui, eadem salutatione dicta, cum à Cæsare fastidiretur, & illa addidit verba: *Opera & impensa periit*: i. e. apposite nonnunquam ad rem præsentem loqui videntur, sed si propius rem considerabis, videbis, illos nil nisi picas esse, & nihil eorum, quæ dicunt, intelligere.

Memoria quidem exercenda.

At quis modus sit tenendus, indicatur. Bruta discendi ratio vitanda.

* Saturn. Sermon. l. 2. c. 5.

Audi de his Ingeniorum Scrutatorem ex Aristotele: *Reperiuntur homines, qui instar brutorum animalium solo ex instinctu naturæ agunt, ex eodemque loquuntur: Quin & melius loquuntur, quam sciunt & intelligunt.* Quod sane vitium ex perversa illa, de qua conquerimur, institutione magna ex parte oritur.

Huarti Scrutin. Ingen. c. 2. p. 68.

Prava discendi ratio, quæ sit?

Hoc modo enim assuescunt homines mature inanes sonos, voces sine sensu edere; assuescunt sine attentione loqui; assuescunt sapientes eruditique sibi videri, si memoriam verbis nihil significantibus fartam habent; assuescunt alios mirari, qui expedite, qui cum contentione, cum auctoritate & confidentia loquuntur, tametsi hi nihil eorum, quæ dicunt, clare intelligant. Verba quærunt ubique, nihil præterea: de sensu eorum soliciti non sunt. Certa verba si sæpe audiverunt, si hæc valde sunt ipsis familiaria, si inde ab adolescentia ipsis fuerunt inculcata: etsi, quid illa significent, nesciant; hoc solo nomine quod illa sæpe audiverunt, verba ipsis clara, perspicua; sententiæ his subjectæ certæ & evidentes videntur. Ab his loquendi modis quamprimum recedis, statim lites tibi intenduntur, tanto graviores & diuturniores, quoniam istæ lites nulla verborum interpretatione, ut quæ ab isto hominum genere non capitur, componi queunt.

Multi quidem cum verbis, sententias quoque percipiunt, neque tamen sententiarum nexum mente complectuntur. Qui dissipatas & solutas aliorum sententias memoria tenent, nil nisi nuda verba retinent; Ibid. *nec ferunt, ut disciplinarum vocabula mutentur. Quibus sint similes?*

Præter eos, qui in scientiis nihil unquam, nisi verba, didicerunt, dantur alii bene multi, qui, cum præceptores docentes audiunt, aut libros legunt, una cum verbis, sententias quoque verbis significatas, celeriter percipiunt. Neque tamen, veritatem dictorum aut lectorum unquam examinantes, & quasi digerentes, sententiarum verum inter se nexum mente sunt complexi. Hos Seneca diceret *meminisse*, non *scire*. Nullæ hic ingenii, nullæ judicii partes sunt. Dissipatas tantum & solutas aliorum sententias tenent memoria: quæ cum firmius verba, quam res, custodire soleat; accidit, ut sæpe, qui hoc modo scientias didicerunt, paulatim sensus verborum obliti, nuda verba memoria retineant.

De his Huartus mihi loqui videtur: *Video enim*, inquit, *hos tales concipere doctrinam ac memoria retinere firmiter: quin & collocant hi finguntque figuram suo loco cum debita partium harmonia: loquuntur atque operantur bene, quoties opus est: sed quum ratio ab ipsis ac caussa exigitur ejus, quod sciunt atque intelligunt: tum vero manifesto indicio produnt, eruditionem suam non nisi apprehensionem esse terminorum ac sententiarum, quibus disciplina quæque nititur, nec caussam artis ac modum se cognovisse.*

Horum scientia, cum tractu temporis, ad solam verborum scientiam redigatur: fit ut pessimam ille ab iis gratiam ineat, qui disciplinarum vocabula mutare conatur. Quemadmodum enim pauperem, cui panniculos sordidos adimis, non minus offendis, quam si diviti magnam eripis auri vim: quoniam ille præter panniculos quibus nuditatem tegat, nihil habet: ita si huic verba adimis, cujus omnes in verbis quibusdam, ex Schola retentis, facultates consistunt, in quibus unice se oblectavit, in quibus suaviter acquievit, quibus ignorantiam suam utcunque tegere potuit: non aliter vociferatur, quam Plautinus ille Euclio amissa aula sua, aut Hecuba apud Euripidem:

Ευπαις

Ἔυπαις ποτ' ἦσα, νῦν δὲ γραῦς, ἄπαις ἅμα.

Alii verba & sententias ita colligarunt, ut has ab illis abstrahere non possint,

Huc refer eos quoque, qui verba & verborum sensum à magistris probe perceperunt, utrumque firmiter memoria tenent, nunquam verbis utuntur sine sensu : sed verba & sententias, diuturna atque identidem iterata de his simul cogitandi consuetudine, ita inter se colligarunt, ut has ab illis abstrahere non amplius possint. Hinc fit, ut veritatem & falsitatem cum certis loquendi formulis tam arcto nexu cohærere putent, ut ab his si recedis, quibus veram sententiam affixerunt, à vero te recedere; si illis uteris, quibus falsum agglutinarunt, falsum dicere videaris. Frustra his explicas sententiam tuam, frustra clamas, non hunc, quem volunt, esse verborum tuorum sensum : nihil agis : nisi mutaveris vestigia & conformationem cerebrì talium hominum, sensum, quem certis verbis significare assueti sunt, ab illis separare non poterunt.

Tales sunt plerique illorum, qui, quod sciunt, aut non ipsi invenerunt, aut saltem non assueti sunt in addiscendis disciplinis ita ingenio suo, uti, ut veritatem proprio acumine ex primis principiis eruere laborent. Hi, cum à magistris aut ex libris omnem suam eruditionem hauserint, una cum sententiis certa quoque verba didicerunt : nihil enim nisi oratione magistra discere potuerunt : hæcque certa verba, una cum certis sententiis simul memoriæ impressa, ita conjunxerunt, ut de altero sine altero amplius cogitare non possint. Unde fit, ut hi longe quidem cæteris expeditius loquantur, quamdiu de iis, quæ è magistris didicerunt, loquuntur : vix enim de rebus cogitant, verba adsunt : celerius quoque percipiunt, quid verba aliorum, qui iisdem magistris usi sunt, significent : vix enim verba hæc audiuntur, tum vero sensus præsto est. At quamprimum oratio mutatur : si aut aliis, quam ipsi, verbis, aut iisdem, sed alio sensu, uteris; homines, hoc modo docti, sententiam tuam prorsus non capiunt, aut perperam intelligunt.

Hi longe cæteris expeditius loquuntur.

Eorum qui ingenio suo uti consueverunt, contraria ratio.

Eorum vero, qui in veritate scrutanda suo ingenio uti consueverunt, contraria prorsus ratio est; Cum enim hi de rebus cogitent sine verbis, fit, ut, cum sententiam suam exponere volunt, verba illis non statim adsint : cum aliorum aut scripta legunt aut dicta audiunt, sensum non statim assequantur. At cum semel hunc assequuti sunt, longe melius atque alii eum intelligunt; quippe qui sejunctis vocibus & remoto cortice, nihil aliud nisi res ipsas, sententias nudas, earumque principia, connexiones, atque consequentias attentissime animo contemplantur.

Verba non natura significant id quod significant.

Tale eruditorum genus in Logomachias raro incidunt. Vocibus enim parum moventur, de rebus solis soliciti. Norunt illas signa esse, signa arbitraria, signa nullam habentia cum re significata similitudinem, signa mutabilia; signa

ſigna ambigua. Illi contra, qui hæc ſigna cum rebus ſignificatis tam arcte colligarunt, horum omnium obliti, neſcio quæ in iis myſteria, neſcio quam cum rebus convenientiam quærunt. Hæc jam non θέσει ſed φύσει ſignificant hoc, quod ſignificant, atque idcirco, niſi naturæ rerum mutentur, mutari non poſſunt. Quæ ipſius Platonis ſententia fuiſſe videtur: & ineptiſſimo argumento probatur apud Gellium à P. Nigidio. Et, quanquam hæc opinio tanquam ridicula hodie à cunctis explodatur: ii tamen omnes, qui, quamprimum, eadem licet manente ſententia, verba quædam immutantur; non aliter pro ſuis loquendi formulis digladiantur, ac ſi naturalis inter veritatem & voces nexus eſſet; id, quod verbis rejiciunt, facto ipſo approbare videntur.

Sententia Platonis videtur in hujus Cratylo. A. Gell. noct. At. l. 10. c. 4.

Verborum odium & amor.

Ex arcta hac verborum & rerum connexione, oritur verborum quorundam odium, atque averſatio, aliorum amor atque veneratio. Odio enim habemus non res modo & ſententias, ſed verba quoque & loquutiones, quæ res & ſententias odioſas ſignificant; quemadmodum contra amor à rebus redundat in ea, quibus res amabiles, ſententias gratas ſignificamus, verba. Quæ ſi quis nobis ex ore evellere conatur, non aliter iraſcimur, quam canis, cui inania licet oſſa eripiuntur.

Verborum amor ſæpe in ſuperſtitionem abit. Robert. Reuchen. in prolegom. notarum ad Serenum Samonicum.

Hic vero verborum amor ſæpe in ſuperſtitionem abit. Neſcio quæ majeſtas, ſanctitas, neſcio quæ occulta virtus in verbis eſt. Non ſufficit verba Homeri elegantia vocare, ſignificantia, ſuaviter compoſita, dulce ſonantia, magnifica, & ſi quæ alia in verbis laudari poſſunt. Eo uſque excreſcit horum verborum amor, ut vis morbos curandi in illis quæratur. Alia ſtrenuis potoribus remedio ſunt adverſus ebrietatem. Alia arboribus appenſa fructus in iis, ne decidant, continent. Alia dolores arthriticos, alia faucium mala levant: nec deſunt, quæ podagram, quæ alias immedicabilis habetur, pellant.

Non minus eſt verborum odium Huarti narratio. Scrutin. Ingen. cap. 16. p. m. 501.

Non minus eſt verborum odium. *In generali Hiſpaniæ hiſtoria legimus,* verba ſunt Huarti, *quum duo in ea legati Gallici appellerent, rogatum Alfonſum nonum regem, ut regi Philippo in matrimonium collocaret alterutram filiarum ſuarum, quarum major inſigni forma ac ſpecie præſtabat & Urraca dicebatur, minor haud æque bella pulchraque Blanca audiebat: poſitis ambabus in conſpectu legatorum, communem fuiſſe omnium opinionem, legatos in Urracam propenſiores futuros, quippe quæ & primigenia eſſet, & ſororem egregia forma atque excellenti corporis habitudine nimis quantum anteiret. Verum cum nomen ii utriuſque intellexiſſent, adeo voce illa Urraca offendebantur, ut Blancam ſeligerent, dictantes, hoc nominis in Gallia priori multo acceptius gratiusque futurum eſſe.*

Memorabilis de Paulo II.

Quis neſcit, nomen Henrici hodie in Gallia infelix haberi, ob Reges hujus nominis infelices? Memorabile eſt, quod de Paulo II. Pontifice, Veneto,

to, ex Barborum familia, traditur. Is, cum excelso corporis habitu, eximiaque oris venustate omnibus admirationi esset, Pontificatum adeptus Formosi II. nomen sibi imponere voluit. Sed, Cardinalibus admonentibus, Formosi I. cadaver post mortem tumulo extractum digitisque truncatum in Tyberim projectum fuisse; nomen alias formæ suæ tantopere conveniens, respuit, *ne*, ut ait Historicus, *Pontificia majestas tam fœdi casus memoria sordesceret.*

Pontifice historia. Justinian. Hist. Ven. l. 8. p. m. 208.

Nomen Tyranni, quam execrabile hodie est, ex quo homines odiosi illud sibi imposuerunt? Nomen Regis & Regni, quam invidiosum fuerit apud Romanos, supra vidimus. At non minus apud Græcos. Unde apud Comicum *, Græcorum mores exprimentem, ad invidiam conflandam, illa adhibentur verba: *An tu hic regnum Æschine possides? Quandoquidem tu solus regnas.* Sed & nostro hoc seculo in Anglia, Cromvvellio rerum potiente, hoc Regni vocabulum adeo odiosum fuisse, refert Puffendorfius *, ut orationem Dominicam recitantes, nollent amplius dicere: *adveniat Regnum tuum*; sed potius visum fuerit: *adveniat respublica tua.* Idem vocabulum *Principis absoluti* præter meritum adeo detestabile ab iis, qui in liberis civitatibus vivunt, haberi conqueritur. De Belgis suis Carolum V. dixisse ferunt, † nullos esse populos, qui *servitutis nomen* magis execrentur, *ipsam servitutem* patientius ferant.

* Terent Adelph. Act. 2. sc. 1. Phorm. Act. 2. sc. 3.

Regni nomen Anglis tempore Cromvvellii adeo invisum, ut etiam ex Oratione dominica ejiceretur.

* Differt. select. appendice p. 585.

† Differt. de gest. Philip. p. 99. Strada Decad. 1. lib. 6. p. m. 231.

Cum nuper inter varios sermones mentio *Comœdiarum*, quæ à Studiosis Adolescentibus in Scholis aguntur, injiceretur, atque ego illud institutum vehementer probarem, suaserunt quidam amici, ut, si quid hujusmodi nostræ quoque juventuti exercitandæ aliquando utile fore ducerem, à nomine tantum inauspicato abstinerem, hæcque exercitia minime *comœdias*, sed *Studiosorum colloquia* appellarem: tum vero neminem porsus rem utilissimam reprehensurum. Quis credat, esse inter homines, quos Ratio à brutis animantibus distinguit, quibus nulla odiosior vox sit, voce *Rationis*. Dic, te valida habere ad hoc illudve probandum argumenta; quænam illa sint scire avebunt: dic, te perspicuas habere *rationes*: te nonnisi, *rationibus* instructum non audient. Dic, conscientiam tibi hoc dictare: recte, dicent, te hujus dictamen sequi. Dic, tibi hoc *à ratione* dictari: quanquam prorsus idem dicas, nimium te corruptæ tuæ rationi tribuere, clamabunt. Quam male audiat apud multos *rationis* nomen, quotque propterea Logomachiarum sæpe caussa sit, vidimus nostra ætate ex tot libris de Rationis usu in Belgio editis: inprimis ex acerrimis illis de hac materia concertationibus inter viros clarissimos *Alexandrum Roëlium* & *Ulricum Huberum*, quæ publica tandem auctoritate finiendæ fuerunt.

Comœdiarum nomen exosum,

Exempla talium odiosorum vocabulorum & loquendi modorum sunt innumerabilia. Sic alius ferre non potest in Theologia nomen *Absoluti Decreti*: alius abhorret à vocabulo *Fati*: alius nomen *Fortunæ*, tanquam profanum respuit,

Alia hujusmodi odiosa nomina recensita.

respuit, alii *voluptatis* vox nauseam movet, alium offendit *atomi* vocabulum, alium *dubitationis* vox ad iram concitat; alii vox *ideæ* nescio quid peregrini sapere videtur; alius duo hæc adverbia *clare* & *distincte* Cartesianismum sapere dicit; alius periculose Deum *à se positive* dici clamat; alius facile patietur, ut brutis anima cogitans adimatur, dummodo ne *machinæ* dicantur; alius refugit vocem *novitatis*, alius horret nomen *libertatis philosophandi*. Omitto odiosiora rebus ipsis Sectarum & Hæresium nomina.

Ut paucis rem complectar, plerisque omnia verba, quibus sententiam odiosam aliquando exponi audiverunt, omnia, quibus auctores odiosi crebro utuntur, quocunque demum sensu proferantur, odiosa sunt: illosque impediunt, quo minus optimum aliquando in odiosis istis verbis latentem sensum perspicere possint. Qua quidem in re idem sæpe talibus disputatoribus contingit, quod Plebi quondam Romanæ, quæ ad vindicandam Cæsaris cædem, (quia *Cornelius Cinna* Prætor Cæsarianæ necis socius fuerat, graviterque pridie in Cæsarem fuerat concionatus,) odio nominis excæcata, *Helvium Cinnam* Tribunum pleb. obtruncavit, caputque ejus præfixum hastæ circumtulit, non animadvertens, sub hoc nomine unum ex iis latere, qui maxime Cæsarem diligebant. Ita enim & nostri disputatores vocum quarundam odio cæci, illos sæpe adoriuntur, qui partium suarum sunt; amicamque sententiam oppugnant, quoniam hæc exosis nominibus obtegitur.

Dio lib. 44. Sueton. in Jul. Cæs. c. 85.

Præjudicia efficiunt, ut sententias aliorum male intellectas oppugnemus.

Nihil vero magis efficit, ut sententias aliorum perperam intellectas oppugnemus, quam anticipatæ illæ opiniones, quas *præjudicia* vocare solemus: quæ nihil aliud sunt, quam judicia, quæ à nobis feruntur, caussa nondum cognita, sive, ut Cicero illud definit, *cum cognita pro cognitis habemus hisque, temere assentimur*: aut, ut alibi loquitur, *cum temere falsæ rei vel non satis cognitæ assentimur.* Id quod ex duabus mihi caussis potissimum oriri videtur, quod ab una parte multa scire cupimus, ab altera vero eam attentionem ac diligentiam non adhibemus, quam finis iste requirit.

lib. 1. de offic. lib 1. de divin.

Præjudicia unde potissimum oriantur? Quænam maxime noxia?

Inter omnia autem *præjudicia* nulla sunt pestilentiora, quam sinistra de aliis hominibus, eorumque sententiis, judicia, nullo solido fundamento innixa. Hæc enim ab innata omnibus hominibus philautia, quæ lætatur, quoties aliquid invenit, propter quod se aliis anteponere possit, ita foventur, ut cæteris præjudiciis abjectis, hæc tamen deponi vix queant: tum maxime, cum Philautia hæc larva religionis, justi zeli, φιλαληθείας ita tegitur, ut nos ipsi isto habitu hostem intestinum non agnoscamus. Incertis rumoribus credimus, si quid sinistri de aliis afferunt. Quare tandem? confirmat illos philautia nostra, gravissimus auctor, & testis omni exceptione major.

Varia præjudicia libros legentium.

Quanto minus minari decet: si præceptoribus, si parentibus, si iis, quorum auctoritatem magni facimus, fidem habemus, cum auctorem aliquem

quem dicunt periculoſa dogmata fovere ; perniciosum virus abſcondere ; hæreſin diſſeminare ; ſophiſtam agere ; falſum docere ; paralogiſmis ſcatere ; impium, profanum, ridiculum, ineptum eſſe. Hæc vero ſi de auctore aliquo credimus : ut ad hæc credenda proni omnes ſumus : ilicet, actum eſt ; nihil amplius eorum, quæ auctor iſte dicit, recte intelligimus. Hunc ſi legimus, ſemper nobis videmur calcare ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Senſum ex auctore non quærimus, ſed auctori inferimus.

Si campanarum ſonitum audimus, articulatas nonnunquam voces hæ nobis edere videntur : cum quas voces ludens phantaſia effingit, campanis tribuit. Cum nubes ſuſpicimus, videmur in illis ſæpe variarum videre rerum figuras : unde oritur magna pars illorum, quæ in nubibus cernimus, prodigiorum, quæ in ſola ſæpe imaginatione ſubſiſtunt. Ita qui præjudiciis corrupti aliorum dicta audiunt, aut ſcripta legunt ; vident opiniones, quas ipſi illis attribuerunt ; vident, quæ ipſi ante in animo efformarunt, ſententiarum portenta ; digna ſcilicet, quorum cauſſa *libri Sibyllini inſpiciantur*, *novendiale ſacrum inſtituatur*, *quæque majoribus hoſtiis procurentur.*

Sane, qui libros legunt, ut nugas, ineptias, errores, paralogiſmos, fallacias, hæreſes, blaſphemias, quas ante lectionem libris ineſſe credunt, inveniant ; ſemper, quod quærunt, inveniunt, quia, quod quærunt, ſecum afferunt. *Nihil eſt*, ait ſervus apud Comicum, *quin male narrando poſſit depravarier :* Liceat nobis addere, male legendo. Peſſime autem legunt, qui judicant, antequam legunt. Liber rejiciendus eſt : quid ita ? talem eſſe audivi à viris probis & ſapientibus. Titulus me offendit : præfatio eſt inepta : dictio eſt vitioſa. Malus eſt liber : quare tandem ? Auctor diſplicet. Cur ille autem ? Novatorem eſſe audivi. Ab hoc Præceptores, ut mihi caveam, ſerio monuerunt. Virus in verbis abſcondere dicitur. Ab hujus fidei, hujus ſectæ, hujus ordinis, hujus ſocietatis, harum partium hominibus nihil boni proficiſci ſolet. Neque ab hominibus hujus regionis. *Quid boni ex Nazareth?* Diſſentit hic in religione, ergo nec in Philoſophia audiendus. In limine labitur, ergo nihil bonæ frugis in toto libro. Errat in uno, ergo in omnibus. Non magni faciendus eſt liber : cur ? Obſcurum eſt auctoris nomen : Nunquam audivi, qui ejus eruditionem deprædicarent. Novi hominem : nihil in eo eſt non vulgare. Merito mireris unde huic fabri-filio tam ſubita ſapientia. Non magni fit à civibus ſuis. Dici non poteſt, quam pauca promittat ejus vultus, vox, geſtus, veſtitus, colloquium, inceſſus :

Terent. Phorm. act. 4. ſc. 4.

Iracundior eſt paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum : rideri poſſit, eo quod
Ruſticius tonſo toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret.

Horat. l. 1. Sat. 3.

Quis crederet, hæc & innumerabilia hujus generis alia eſſe, quæ judicio

magnæ

magnæ hominum partis de libris sententiisque dirigant, & ita dirigant, ut ab his solis fata eorum esse suspensa, jure affirmari possit?

Senec. nat. quæst. l. 1. c. 6. Epist. 71.

His præjudiciis imbuti, cum ad libros legendos, aut alios disserentes audiendos accedimus, quid mirum est, quod tam multa perperam intelligimus? *Omnia*, inquit Seneca, *per aquam videntibus longe sunt majora: quicquid videtur per humorem, longe amplius vero est.* Et alibi, *rectissima*, inquit, *cum in aquam demissa sunt, speciem curvi præfractique videntibus reddunt.* Ita sane præjudicia omnium rerum speciem mutant, & modo levissimos errores in majus extollunt, modo prorsus verum, ut falsum, rectum, ut curvum appareat, efficiunt. Si quis, pueris præsentibus, de spectris loquitur, quamprimum hi in tenebris soli sunt, spectra sibi videre videntur. Ita si quis in libris falsarum opinionum phasmata esse audivit, ubique se illa videre putat. At hic vere contingit, quod aniculæ nostræ inter alias nugas fabulantur, periculosum esse spectra verberare, armisve impetere: eos enim, qui hoc faciunt, se ipsos ferire. Revera enim se ipsos feriunt, & commenta cerebri sui; qui cum iis pugnant, quos, cum secum sentiant, diversum à se sentire, eaque, de quibus nunquam cogitarunt, docere arbitrantur.

Affectus ad præjudicia accedentes majus hoc malum reddunt: præcipue invidia & odium,

Majus vero hoc malum est, cum præjudiciis accedunt fideles ubique comites, vehementes animorum commotiones, quas vulgo affectus vocamus; interque eos præcipue invidia, ira atque odium adversus auctores eorumque libros & sententias. Hæc cum in omnibus judicia nostra pervertant, tum vel maxime in dijudicandis aliorum sententiis.

> ——— ——— *male verum judicat omnis*
> *Corruptus Judex.*

Hoc morbo regio qui laborant, iis purissima & candidissima quæque luteo colore infecta, dulcissima amara esse videntur.

Neque hic quisquam ex me quærat: an etiam ii, qui eruditi, qui Philosophi, qui sapientes vocantur, huic sint morbo obnoxii. Quis enim nescit odia quæ sunt inter diversas religiones sectasque, odia inter diversos ordines & societates, odia inter Academias, odia inter diversorum studiorum homines, odia & æmulationes collegarum, condiscipulorum; odia inter eos, quibus vetera, eosque quibus recentiora placent: odia erga omnes, quos nostram eruditionem deprimere aut obfuscare arbitramur: odia eorum, qui sententias nostras non amplectuntur, non venerantur, qui audent à nobis dissentire aut dissentire videntur? Et quis omnia unquam enumeraverit?

1. Cor. 1. Prov. 13. 10.

Fateamur & ingenue fateamur, nos omnes, qui sapientiæ studium profitemur, longissime abesse non modo à Stoicorum ἀπαθείᾳ, sed etiam à Peripateti-

ripateticorum μετριοπαθεια, & futuros semper, dum sapientiam quæremus non illam, quæ nos in cognitionem nostri deducit, sed, quæ nos à nobis ipsis abducit; sapientiam speciosam, non utilem; quam pauci capiunt, non quæ multis prosit; sapientiam quæ superbos nos, non bonos, nihil minus denique quam sapientes, reddere potest. Hæc est illa *scientia, quæ inflat*, uti Paulus ait. At Salomo *perpetuas inter superbos contentiones esse dicit.* Fiat ex his duobus dictis conclusio, & apparebit, quodnam hominum genus iræ & odio & inde nascentibus contentionibus maxime sit obnoxium, figuline & fabri? Me quidem concludere pudet.

1. Cor. I.
Prov. 13. 10.

Cum vero hæc odia nomen mutuantur sancti pro Deo, pro religione, pro veritate Zeli: tum vero penitus conclamatum est: tum nihil amplius neque videtur, neque intelligitur: tum in aliis horrendas hæreses, tametsi nusquam sint, non videre, impietas; innocentes non condemnare atque orco addicere, tepor in religione; omnia in pessimum sensum non detorquere, proditio; non clamare, non vociferari, non Cœlum terramque miscere, αθεοτης habetur. *In hominibus imbecilli ingenio*, ait Malebrancius, *sicubi ad odium, quo flagrant, ad metum quo percelluntur, adulterinus iste zelus accedit: quæ tum in mente judicia oriuntur, quam iniqua, quam maligna, quam acerba, quæ vis innocentiæ affertur? Horret animus meminisse. Non minore ad sanandos horum animos miraculo opus est, atque illud fuit, quo Paulum Apostolum conversum accepimus. Dicerem desperatam prorsus horum salutem esse: si ulli divinæ & potentiæ & misericordiæ limites poni possent.*

Odia aliquando zeli nomine teguntur.

Malebrancius allegatus. Recherche de la verité Tom. 2. l. 5. c. 12.

Denique inter eos, qui cum aliorum verbis non intellectis bella gerunt, & illos referre licet, qui variis negotiis districti, debitum tempus & diligentiam ad discendas eorum, quibuscum disputant, sententias non impendere possunt: nolunt tamen harum rudes prorsus videri. Ii quoque in hoc vitium incidunt, qui in colloquiis familiaribus, in disputationibus eruditorum, corpore licet præsentes, animo absentes sunt: aut si præsentes sunt, potius cogitant, quid ipsi dicere velint, quam quid alii dicant. Qui respondere volunt, nec tamen satis sciunt, quid objectum fuerit: volunt opponere, volunt instare: necdum sciunt, quid fuerit responsum. Hinc fit, ut neuter disputantium alterum intelligat. Alter si de cepis quærit, de alliis alter respondet. Diceres surdorum esse disputationem, alterum non audire alterum: aut hos disputatores auditorium exhilarare velle nescio quo ludi genere, apud nos usitatissimo, ubi de industria quæritur, ut responsio male quadrans interrogationi, audientium risus excitet.

Verborum non intellectorum aliæ caussæ recensentur.

Hæc de iis, qui aliorum sententiam perperam intelligunt, dicta sunto. Sed non minus Logomachias fovent, qui aliorum sententias intelligere nolunt. Hi præcipue sunt illi, *qui contentionibus delectantur*, in quibus perpetuum est contradicendi studium, qui si ais, negant; si negas, ajunt.

Logomachias fovent etiam qui aliorum sen-

sententias intelligere nolunt: ex perpetuo contradicendi studio.
Tacit. hist. l. 1. c. 26.

Omnium sententiarum osores quarum non sunt auctores: quemadmodum Laco ille apud Tacitum dicitur *consilii quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus.* Tum sibi placent, cum quicquid alii dixerint, displicet. Hi nolunt alios intelligere, quia si intelligerent, non esset, quod contradicerent. In disputationibus publicis *Respondens* non vult intelligere Opponentem: quia si illum intelligeret, cedendum esset adversario, agnoscenda theseos falsitas, confitendum, aquam sibi hærere, se nodum solvere non posse: quod agnoscere à moribus disputatorum vehementer abhorret. Sed & *Opponens* non vult intelligere thesin: quia si hanc intelligeret, quod opponeret, non inveniret: non vult intelligere responsionem, quia simulatque intelligeret, illa acquiescendum foret, nullusque instantiæ locus relinqueretur.

tum & qui aliis invident,

Qui aliis invident, nolunt eos intelligere, ne cogantur agnoscere veritatem ab iis inventam aut hactenus defensam esse, ne cogantur eos laudare & fateri, se iis aliquid debere: malunt illorum verba maligne interpretari, ut habeant, quod reprehendere possint.

aut invidiam conflare volunt;

Qui aliis invidiam conflare eosque odiosos multisque, si possent, execrandos reddere *volunt*, pessimum aliorum dictis sensum affingunt; quare etsi explicetur sententia, etsi ostendatur, nihil in ea mali latere, nolunt tamen eam intelligere, ne fateri necesse habeant, se illis, in quos tantopere debacchati sunt, injuriam fecisse, vanos clamores, iniqua omnia fuisse, quæ in illos conjecerunt, convicia.

Et alii multi nolunt alios intelligere.

Qui temere alios condemnarunt, nolunt illos intelligere, ne temeritatem judicii agnoscere cogantur. *Schismatici* nolunt eos, à quibus secesserunt, intelligere, ne sine caussa secessisse videantur. *Adversarios Præceptorum Majorumque* nolunt multi intelligere, quia alias fatendum esset, Præceptores & Majores suos errare potuisse. *Antiquitatis cultores* novarum sententiarum inventores nolunt intelligere: quia si eos intelligerent, reperirent forsan in eorum scriptis aliquid boni priscis incognitum. *Novitatis amatores* nolunt priscos intelligere: quia alias appareret, nihil se novi invenisse. *Qui aliorum sententias rident*, nolunt eas intelligere, ne ob intempestivum risum ipsi ridiculi videantur. *Qui libros de controversiis religionis scribunt*, nolunt adversarios suos intelligere, ut controversiis multiplicatis libros triumphosque suos multiplicare possint. *Qui lucrum quærunt, qui auram popularem captant, in refutandis aliorum sententiis*, nolunt eas intelligere, ne, si intelligant, quod confutent, non reperiant. *Qui aliorum dicta semel male intellexerunt*, nolunt ea post intelligere, quia nolunt agnoscere, se male ea intellexisse. *Logomachi* denique nostri nolunt eos, quibuscum disputant, intelligere: quia si intelligerent, fatendum sibi esset, se Logomachos, vitilitigatores fuisse; quod quenquam adhuc confessum esse, neque legimus, neque in hunc usque diem audivimus.

CAP.

CAP. VIII.

De Signis hujus morbi.

Signa Logomachiarum cognoscere, est utile.

QUamquam Logomachia non ex eorum sit morborum numero, in quibus malum intus latens non aliter, nisi ex signis quibusdam externis, conjicitur: utile tamen est, indicia quædam Logomachiarum in pugnis Eruditorum observare, quæ tam pugnantes, quam spectantes excitent, atque admoneant, ut attentius, qua de re disceptetur, considerantes, removeant verborum involucrum, latentemque sub eo Logomachiam detegant; non secus ac gladiatores, sanguine in vestibus conspecto, accepti vulneris admonentur, idque detecta veste vident, quod ante in æstu pugnæ non senserant. Quare cum modum dissertationi nostræ ordinemque præscripsimus, quædam quoque signa Logomachiarum nos indicaturos, recepimus: nunc fidem liberamus. Itaque signum Logomachiæ hoc esto:

Signum I.

Si quis in cæteris mentis compos, ea oppugnare videtur, in quibus totum genus humanum convenit, verisimilius est, hunc verbis quam sententia ab iis, quibuscum disputat, dissidere. Sententia enim totius generis humani est sententia hominis, quem exuere necesse est, quisquis ab ea recedere vult. Id quod de homine, sanæ mentis in aliis rebus, credendum nunquam est. Quare si Stoici negant, exquisitissimum dolorem esse malum; negant sapientem in tauro Phalaridis esse infelicem: si Stilpo ille Megarensis in disputatione dialectica *negat*, *esse hominem*: si Philosophi quidam recentiores negant, ignem esse calidum, aerem in hyeme esse frigidum, nivem esse albam: Si quis recte philosophaturo suadet ut dubitet, an habeat corpus, an habeat manus, pedes; hi omnes dissentire videntur à toto genere humano. Quis credat, eos revera dissentire? Imo vero omnes isti, quotquot sunt, non recedunt à sententia communi aliorum hominum, sed, quod Cicero Stoicis objicit, tantum *verba versant.*

Diog. Laert. in Stilpone.

lib. 4. de fin.

Signum II.

Si quis negare videtur rem cognitu facilimam, quæ tibi adeo perspicue vera videtur, ut perspicuitas assensum tibi extorqueat, ita ut, tametsi velis, non possis eam in dubium vocare: hunc existimato à te non revera dissentire. Est enim eadem omnium hominum ratio, fierique non potest, ut, quod uni evidens videtur, alteri, si modo id intelligat, incertum, nedum falsum videatur. Falsissimum est illud Academicorum: *Omne visum, quod sit à vero, tale esse, quale etiam à falso esse possit.* Imo potius nihil evidentius est, quam, multa esse evidentia: plane, ut facilius sit cum Pyrrhone ore dicere, omnia esse incerta, quam id in animo revera credere: recteque ille judicet, qui hanc sectam Pyrrhoniorum *mendacium sectam vocat.* Et, si Augustino credimus, Academici non

Cicer. l. 4. Acad. quæst.

Secta Pyrrhoniorum, secta mendacium.

Ars cogit. discurs. 1. Augustin. contra Academ. l. 3, c. 17.

non minus, ac cæteri Philosophi, dogmatici fuerunt, Platonisque dogmata pro decretis agnoverunt: tantum ut Stoicos exagitarent, nihil sciri dixerunt, ut eorum fastum retunderent, & nihil eos scire probarent. Certum igitur est, esse aliquam in veris ἐνάργειαν, quam Cicero *evidentiam*, *perspicuitatem* reddit. Certum illud quoque est, sciri, aliquid evidens esse: nec minus certum est, hoc evidens nemini falsum videri posse, qui modo rem, de qua agitur, intelligat. Quod si quis itaque à nobis dissentit revera, in eo quod evidens nobis videtur, efficitur, eum aut nostram sententiam aut rem non intelligere.

Multa sunt de quibus dissensus nullus esse potest.

Sunt autem inter evidentia quædam ita cognitu facilia, ita obvia, ut credibile non sit, ea à quoquam ignorari: quare si quando in his etiam dissensus esse videtur; dissensus plerumque apparens est, non verus; in verbis, non in re. Cum igitur de omnibus in utramque partem disputetur, innumera autem sint, in quibus homines, eadem ratione utentes, revera dissentire non possint; vel ex hoc uno patet, innumeras inter disputationes Logomachias esse.

Ut de axiomatibus.

Ita de axiomatibus, nullus unquam verus dissensus esse potest, quippe de quorum veritate & certitudine ex sola cognitione & collatione subjecti & prædicati constat, prorsus ut, intellecta vocabulorum significatione, à nemine possint in dubium vocari. Neget v. g. aliquis, bis duo esse quatuor, totum esse majus sua parte; hæc neget, quamdiu volet, nunquam adduci potero, ut credam, hæc negantem diversum à me sentire. Aliter loqui poterit, atque ego loqui soleo, aliter sentire non poterit. Multæ tales veritates sunt, quæ tam claræ, tam faciles cognitu sunt atque istæ: & tamen de istiusmodi axiomatibus sæpe disputari solet. De plerisque Metaphysicis dogmatibus ex sola consideratione subjecti & prædicati, quæ simplicissimæ sunt notiones, eædemque apud omnes homines, judicari potest. Nunquam fere operosa argumentatione opus est. Unde igitur tot dissidia? unde, nisi quod in vocibus non convenitur?

De enunciatis quæ immediate ex axiomatibus deducuntur.

Verus dissensus est in probabilibus.

Et in rebus certis est dissensus, sed in difficilioribus cognitu.

Quod de axiomatibus dico, id de iis quoque enunciatis plerunque verum est, quæ immediate ex axiomatibus deducuntur: paucissimi enim homines adeo stupidi sunt, ut quod tam facile ex primis principiis eruitur, non videant. Quis enim non ex hoc, quod idem simul esse & non esse nequeat, concludere potest, circulum quadratum esse non posse; dummodo hæc verba intelligat? Verus igitur dissensus plerumque est in probabilibus: in iis, quorum veritas experientia sensuum non minus quam ratione nititur; ubi memoriæ aut nostræ aut alienæ, ubi aliorum testimonio est credendum: etiam tum, cum potius audimus, quid phantasia, quid affectus, quam, quid ratio dictet; magis quid utile, quid jucundum creditu sit, quam quid verum; in his & similibus obtinet illud Comicum: *Quot capita, tot sententiæ.*

Quid igitur? ais, an in rebus certis & evidentibus nullus est inter homines

nes dissensus? Est sine dubio: sed plerunque in difficilioribus cognitu, quarumque cognitio longa rationum serie comparatur. Id quod inde oritur, quia non omnes requisitis ad eas cognoscendas scientiis sunt imbuti, non omnium æquale est mentis acumen, non omnium eadem capacitas ingenii, non omnes æque attenti, atque in attentione diu conservanda non omnes æque constantes: inde est, quod in rebus difficilioribus alii veritatem evidentissime perspiciant, alii cæcutiant, alii prorsus à veritate aberrent. In his ipsis tamen, ne incaute in Logomachiam incidas, hanc quoque velim à te observari regulam: *Si quis non minus atque tu ingenio pollens, nec minus artis, de qua agitur, peritus, oppugnat sententiam, quæ tibi evidens videtur, quamque, ut Cartesius loqui solet, clare & distincte percipis: hunc à te revera dissentire, nisi controversia sæpius sedato pariter atque attento animo examinata, haud credito.*

Signum III.

Si, quamprimum vir sapiens in disputatione sententiam manifeste absurdam & ridiculam propugnare videtur, tu protinus conjicis, Logomachiam disputationi subesse, non vana plerumque tua erit conjectura. Qui sensum SS. literarum scrutantur, hanc inter alias observant regulam, ut si verba proprie accepta sensum pariant absurdum, ad tropicum figuratumque confugiant. Nihil enim absurdi illi, qui est ipsa sapientia, tribuendum existimant.

De methodo.

Alia quidem, fateor, hominum ratio est: hic enim & sapientissimi falli possunt. Sed hoc saltem iis, qui sapientes habentur, debemus, ut illos non prorsus delirare credamus. Si cui enim paradoxon illud Cartesii non placet: *nihil æquabilius inter homines distributum esse, quam bonam mentem:* hoc saltem concedet, rationem & bonam mentem non sibi soli tributam esse, sed alios quoque portionem & quasi demensum suum accepisse. Non temere igitur unquam credamus, eos qui, multorum sanorum judicio, sapientes, imo multis aliis sapientiores sunt, prorsus insanire. Et si Cicero clamat: *nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum;* credendum oratoriam hanc esse hyperbolen: deque iis, qui absurdissima dicere videntur, verum plerumque est, eos absurdius loqui, quam sentire.

lib. 2. de divinat.

Critici hic imitandi:

Imitemur itaque Criticos nostros, qui, sicubi verba scriptoris, quem castigant, obscuriora aut frigidiora sibi videntur, tametsi lectio cum vetustissimis membranis concordet: tamen adduci non possunt, ut auctorem ita scripsisse credant: mendum subest, sanandus est locus, vera lectio acuta quadam conjectura restituenda. Imitemur eos, quibus ænigmata solvenda proponuntur. Omnia enim verba excutiunt, videntque nullane in iis ambiguitas sit. Si quis dicat: lapides in Helvetia non crescere: cave cum hoc disputes, ridendum te præberes: ænigma est; qui ita loquitur, illud tantum crescere vocat, *cum in absumtæ partis locum ex alimento apponitur quantitati quaquaversum secundum omnes dimensiones,* Quæ non hac ratione majora fiunt, illa augeri in Schola dicuntur, non crescere. Talia ænigmata multa proponuntur in Philosophia. Plato *omnium rerum ideas æternas esse* dicit. Qui

& ii quibus ænigmata solvenda proponuntur.

Multæ sententiæ Philosophorum veterum & recentiorum

aequius interpretandae. Platonis. Rapin. coll. Aristo. & Platon. *Socratis.* Plato in Alcibiad. August. de Civit. Dei l. 19. cap. 3.

Qui non intelligunt ænigma, ita adversus Platonem disputant, ac si ideas hasce, non modo à rebus ipsis, sed ab intellectu etiam divino separatas, ab æterno extitisse credidisset. Hic quis non exclamet cum elegantissimo scriptore: *hæ ideæ separatæ tam sunt absurdæ, ut non credibile sit, opinionem hanc Platoni, tanto Philosopho in mentem venire potuisse?* Apud eundem Platonem Socrates probat Alcibiadi suo, *solum animum hominem esse, corpus ab homine distinguit tanquam instrumentum, quo, ut coriarius cultro, utitur.* In hanc sententiam quærit apud Augustinum Varro, *utrum anima sola sit homo, ut ei corpus adjunctum sit tanquam equus equiti.* Quod si quis ita Platonem delirasse putaret, ut non arctiorem inter animum hominis ejusdemque corpus nexum agnoverit, quam inter coriarium & ejus cultrum, equitem, eumque, quo eques vehitur, equum: quam ineptam homini, totius Græciæ judicio, sapientissimo sententiam affingeret? quam ineptus ipse esset, si hanc, tanquam sententiam Divi Platonis, sententiam refellere vellet? Ne proba adversus Peripateticos: *naturæ* nullum *horrorem*; *materiæ*, *elementis* nullum *appetitum* convenire. Cum enim id dicunt, non proprie loquuntur. Malim ego credere, hos Philosophos nihil prorsus dicere, quam eos id dicere, quod proprie verba eorum significant.

Peripateticorum.

Cartesii.

Sed eadem etiam erga Cartesium utere æquitate. Cum Deum *positive à se* dici posse, ait; ne crede, hominem sanæ mentis, nedum Philosophum Christianum, usque eo furere, ut Deum statuerit se ipso fuisse priorem, se ipsum produxisse, ac non existentem fecisse ut existat. Neque hic mihi quisquam Sapientum Ethnicorum in religione deliria objiciat. Hic enim, fateor, valent illa Apostoli: ἐμωράνθησαν, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς. Sed hoc ex peculiari Dei judicio factum est. Quamquam si crassa Ethnicorum deliria sapientibus, quales fuerunt Socrates, Plato, Aristoteles, Zeno, tribuas, vehementer fallaris. Errarunt & hi, sed subtilius errarunt. Tales plerumque eorum invenies sententias, quales ab hominibus summi ingenii, sed lumine SS. literarum destitutis, expectare potuisti. Ægyptiorum etiam sapientes à plebis suæ superstitione procul abfuisse minime dubitandum est. Non intellexit videlicet plebs Symbolicam illam Theologiam, literasque hieroglyphicas: ad superstitionem traxit, quod mysticum sensum habuit. Nisi forte iis, quorum sapientia in ipsis SS. literis celebratur, creditum esse existimas, quod Octavius apud Minucium Ægyptiis objicit: *eos non Serapidem magis, quam strepitus per pudenda corporis expressos extremiscere.*

Locus Pauli explicatus. Rom. 1. v. 21. 22.

Signum IV.

Si quis adversario, cætera perspicacis ingenii, tribuit sententiam, eamque oppugnat, quæ verbis quidem ejus convenire videtur, sed aliis certis & constantibus ejusdem adversarii opinionibus manifeste repugnat: eum λογομαχεῖν valde veri est simile. Nihil quidem frequentius aut in libris legitur, aut in disputationibus auditur, atque ista; tecum pugnas, tibique ipse contradicis.

Sed

Ubi & quando nobis contradicimus.

Sed accusationes istæ maximam partem sunt injustæ: præsertim si hominibus perspicacibus intenduntur. Verba horum sæpe inter se pugnare videntur, cum sententiæ non pugnant. Loquor de iis, quæ, ex principiis rationis ope deducta, cognoscimus: non de iis, ubi aliorum auctoritate stamus, aut quorum cognitionem solius memoriæ beneficio debemus, ubi sæpe ex oblivione nobis contradicimus. In artibus & scientiis, ubi cohærent opiniones, non item: in his tametsi erramus, in errore tamen plerumque satis nobis constamus. Ergo, nisi velimus de verbis concertare, nunquam temere tribuemus homini perspicaci sententiam, quæ hypothesibus ejus aperte repugnat.

Plato defensus contra Ciceronem. lib. I. de natura Deor. lib. I. de, placitis Philos.

Plato, ut ait Cicero, *in Timæo dicit & in Legibus, & mundum Deum esse, & cœlum & astra & terram & animos, & eos quos Majorum instituto accepimus.* Cave tamen hanc Platoni sententiam tribuas; quæ primo intuitu his verbis significari videtur. Quis enim nescit sanius longe Platonem de Deo sensisse? Hicne tam absurde de Deo loquitur, qui alibi tam præclare? Νοῦς, ait apud Plutarchum, ὁ θεός, χωριστὸν εἶδος, τουτέστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδενὶ παθητῷ συμπεπλεγμένον. Idem Cicero in eodem loco de Platone dicit: *Sine corpore ullo Deum vult esse, ut Græci loquuntur,* ἀσώματον: quæ illi sententia constanter tribuitur. Quare Plato, cum ea dicere videtur, quæ Cicero supra ipsi tribuere videtur, aut ex aliorum sententia loquitur, aut à Cicerone non intelligitur.

Ita video quoque, multos graviter offendi, cum in Politicorum libris legunt, *Principem supra leges esse; legibus esse solutum.* Ergo, ajunt, Princeps jam peccare non potest: quod libet, licet. Sed quid si in iisdem libris vident, Principi præ cæteris commendari religionem, justitiam, clementiam, virtutes omnes? Si deflectenti ab his pœnæ divinæ denuntiantur: tanto graviores, quo minus Princeps humanis pœnis subest? Nunquid vident homines in sententiis condemnandis nimis præcipites, frustra se verbis male intellectis fuisse offensos?

Signum V.

Si quis in disputatione adversario suo tribuit sententiam absurdam, aut turpem, verbis quidem ejus sic satis convenientem, sed à qua vita & praxis abhorret, rarissime à Logomachia immunis est. Ita supra diximus, Logomachiæ id indicium videri, si Medici, postquam de morbo aliquo ægroti ejusque natura diu inter se disceptarunt; cum ad eum sanandum accedunt, in remediis prorsus consentiunt.

exemplum Pyrrhonis. Laert. in Pyrrhone.

Idem de multis Philosophorum disputationibus judicandum: atque optimus sæpe verborum interpres est praxis. Pyrrhonis sententiam fuisse Laërtius dicit, ὅτι οὐδὲν οὔτε αἰσχρὸν οὔτε καλόν, οὔτε δίκαιον οὔτε ἄδικον. Quicquid in his discriminis est, id minime à natura, sed *à sola consuetudine* pendere, affirmavit. Impia opinio, quæque prorsus omnem honestatem tollit! Dubitas, an hæc Philosopho excidere potuerint: recte hic assensionem aliquandiu sustines. Sed dubium hoc idem adimet Diogenes, cum subjicit, ἀκόλουθος δ' ἦν καὶ τῷ βίῳ. Fuisse igitur hanc ejus opinionem vita probat opinioni consentiens.

Quid

& Epicuri. Quid Epicurus? Idemne de eo sentiendum? Statuit hic finem bonorum voluptatem esse. Cum hoc vero cœnare vellent Pisones nostri: hæc Philosophia ad palatum esset multorum. Nimirum existimant, se in hortis Epicuri inventuros Smindiridem quendam aut Apicium; mensam stratam loco cathedræ, extructas dapes loco librorum, lagenas, calices, vinum; loco atramentarii, calami & atramenti. Sed audite, quomodo cœnet infamis ille Epicurus: *panis*, inquit, *cibarius cum aqua mihi sufficit*. Ita pasci hoc tempore apud nos pœna est: at hic est quotidianus victus Magistri voluptatis. Sed quid diebus festis, hic sine dubio lautius vivit? Ne promittite vobis Vitelliana convivia: ne expectate *duo lectissimorum piscium, septem avium millia; nullus apponetur Clypeus Minervæ, nulla scarorum jocinora, phasianorum & pavonum cerebella: nullæ linguæ phœnicopterum aut murænarum lactes*. Quid igitur? *Mitte*, ita scribit amico, *ad me casei Cytheridii aliquantulum, ut, cum paulo splendidius epulari voluero, possim.* Vix creditis Epicuro, hæc de se affirmanti: at credetis Stoico: *Cum quis*, inquit Seneca, *adierit hos hortulos & inscriptum hortulis: Hospes hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est; paratus erit hujus domicilii custos, hospitalis, humanus; & te polenta excipiet, & aquam quoque large administrabit, & dicet, Ecquid bene acceptus es?* Multi id negarent, qui tamen in Epicurum & Epicureos quotidie declamitant. Si quis summum bonum in divitiis ponere diceretur, qui in summa paupertate summa esset abstinentia, simulque αὐταρκέστατος: ejus ego sententiam non recte intelligi, existimarem. Quis dubitat igitur, perperam intelligi sententiam Epicuri? Id sentire, quod sentire dicitur, & ita vivere, ut vixit,

Laert. l. 10.

Sueton in Vitellio.

Laër. ibid.

Epist. 21.

Non bene conveniunt & in una sede morantur.

Utinam Theologi hanc, quam præscribimus, regulam observarent, & ex praxi adversariorum suorum de eorundem doctrina sæpius judicarent, ex praxi, inquam, quæ ab ipsis laudatur & probatur; non toties alii aliis injuriam facerent, non tot perniciosis Reipubl. Christianæ Logomachiis implicarentur!

Signum VI. *Si, duobus inter se disceptantibus, affirmans iisdem ad sententiam suam probandam utitur argumentis, quibus utitur negans, raro verus inter disputantes dissensus esse videtur.* In disputationibus ad objectiones sæpe responderi solet κατὰ τὸ βίαιον, *per argumenti retorsionem*, uti loquuntur; cum quis adversarii argumento utitur, ad suam sententiam probandam. Hoc si evenit, præsertim inter Viros eruditos, qui consequentiarum leges didicerunt, disputationem eorum Logomachiam esse, valde probabile est. Viri enim sapientes, qui in argumentis consentiunt, in iis quoque plerunque consentire censendi sunt, quæ ex argumentis legitime deducuntur, præsertim si consequentia facilis & perspicua est. Duo autem opposita ex eodem argumento legitime deduci non

possunt

possunt. Quare illa, quæ ex uno eodemque argumento concludunt, tametsi opposita videantur, sæpissime opposita non sunt. Exemplo celebri, quod dico, perspicuum reddam.

Salmasii & Heinsii disputatio de lingua Hellenistica.

Claudius Salmasius ac Daniel Heinsius, summa seculi nostri ornamenta, magna contentione inter se disputarunt *de lingua Hellenistica; an hac peculiari, sive lingua, sive dialecto, scripta sint & versio Græca Veteris Testamenti, LXX. Interpretum, & Novum Testamentum.* Negat ille, hic affirmat. In partes ivit quicquid tum doctorum erat: non pauci pro utraque sententia libri conscripti sunt: neque acerbitas, ut suos quoque maximi viri patiuntur manes, abfuit. En quomodo concludat Salmasius librum, qui *funus linguæ Hellenisticæ* inscribitur: introducit *Heinsiolum*, ita enim vocat adversarium, *Phœniculum seculi sui, Eruditorum Regaliolum, Eloquentium Lusciniolam flebilibus modulis inconsolabiliter gementem, non Hylæ fata, non Hermegardis suæ, sed amissam caram filiolam, gratam illam & amabilem puellulam, deliciolum suum, Hellenisticulam nomine, ereptam sibi grandi facinore Salmasii, magni viri, sed Heinsiolo minoris.* Si tamen resecemus, quæ huic controversiæ admiscentur, varia ad historiam antiquitatesque Judæorum, Græcorum, Romanorum pertinentia, explicationes aliquot locorum S. Scripturæ, aliorumque scriptorum, in quibus aliquando dissensum inter eruditissimos Viros agnoscimus; præcipuam, quæ relinquitur, quæstionem Logomachiam esse, multi perspexerunt. Qui linguam LXX. Interpretum ac scriptorum N. T. linguam Hellenisticam vocant, intelligunt hoc nomine linguam, quæ non pure Græca sit, sed Hebraismis, Syriasmis, Chaldæismis plena. Talem esse LXX. Interpretum, talem scriptorum N. T. linguam, haud difficulter probant. Quid ad hæc Salmasius, & qui cum eo sentiunt? Dicunt, linguam hanc commentum esse. Quare tandem? Hoc ipso inter alia argumento utuntur, quo Adversarii. Probant, hanc linguam innumeris Hebraismis scatere; magisque ἑβραΐζειν quam ἑλληνίζειν; tantum igitur abesse, ut Hellenistica sit, ut potius sit Hebraistica, exhellenistica, aphellenistica. Agnoscis uno eodemque argumento suam quemque sententiam confirmare: id quod nos Logomachiæ indicium esse diximus.

Signum VII.

Pleræque disputationes de definitionibus & divisionibus Logomachiæ sunt. Præterquam enim, quod ejusmodi disputationes solam plerunque methodum, modumque disciplinas tradendi spectant, quas Logomachiarum species esse observavimus: ut de *definitionibus* primum loquamur: *definitiones* aliæ *nominis* dicuntur, aliæ *rei*. In *definitionibus rei* sæpissime non tam reprehenditur falsitas, quam quod perfectæ definitionis legibus non conformes sunt; quæ tamen leges non omnes ejusdem sunt necessitatis. Hæc paullo obscurior est: Si verbum hoc additum fuisset, clarior esset. Sed ita definitio non esset brevis: hic genus omittitur: illic genus paulo propius inveniri potuisset: vocabulum hoc est ambiguum: clarius definitur Logica, *ars bene cogitandi*: sed illud *bene* jam latet in artis vocabulo. Grammatica est *ars*

Definitiones rei.

bene loquendi: alii addunt, *& scribendi*: quam imperite, quam invenustum est illud *Et* in definitione, quæ *sine copulatione & distinctione partium proponi* debet?

Definitiones nominum Causæ.

De *definitionibus nominum* disputare in Philosophia est aperte λογομαχεῖν. Sed innumeræ sunt definitiones, quæ videntur esse definitiones rei, cum tamen meræ sint definitiones nominum. Caussam ego definio, *principium ab eo, cujus principium est, reapse distinctum.* Tu fortasse aliter, nec repugno. Sed ita, ais, nec materia nec forma caussæ erunt corporis. Illa enim à corpore tantum distinguitur considerandi modo: hæc *modaliter*, ut recentiores Philosophi loquuntur. At quid hic mali est? Si materiæ & formæ caussæ nomen adimimus, numquid iis decedet? Nisi forte veremur, ne utraque in jus nos vocet propter titulum, quo jamdiu gavisæ sunt, ademtum. Sed, inquis, neque partes corporis erunt materia & forma, si vera tua est *partis* definitio: quod *res sit ab alia re ejusdem totius realiter distincta.* Fateor & hoc *partis* nudabuntur nomine: sed nihilo propterea ignobiliora erunt corporum principia.

Motus.

Pessima, ais, tua *motus* est definitio, quia soli *motui locali* convenit. Sed quid si solum motum localem definire volui? quid si ego solum hunc motum voco? At ita *generatio*, *corruptio*, *augmentatio*, *diminutio*, *alteratio*, motus non erunt. At tu jube istos motus vulgo dictos bono animo esse, alius iis quæretur titulus in ejus locum, quem olim ab Aristotele acceperunt.

Divisiones rerum.

Non majoris sunt momenti disputationes, *de divisionibus* rerum. Rectiusne *Ens in decem categorias, an in duas, an in tres dividatur. Satiusne sit dividere magnitudinem, in lineam & lineatum, lineatum vero, in superficiem & corpus: an continuo magnitudo dividenda sit in lineam, superficiem, & corpus.* Sintne *quinque* tantum *sensus externi*, an *sex*, ut Scaliger voluit, an *plures*, ut illi, qui statuunt tactum non esse sensum unicum, sed tot species sensus, quot species sunt tactilium qualitatum. *Duone* tantum sint plantarum genera *arbores* & *herbæ*, ut Moses quondam plantas divisit: an *tres*, *arbores*, *frutices*, & *herbæ*: an *quatuor*, *arbores*, *frutices*, *herbæ*, & *olera*: an etiam *quintum* genus sit addendum, quo *fungi*, *tubera* & id genus alia comprehendantur. Logomachiæ, quæ scrutatorem veritatis remorantur! An esurientes in convivio ferrent Scissores ferculorum, diu inter se disceptantes, in quot frusta acipenser appositus sit discerpendus, aut, ut est apud Satyricum,

Exerc. adv. Cardanum 286.

Quo gestu lepores & quo gallina secetur?

Juvenal. L. 1. Sat. 5.

Ita sane neque avidi veritatis ferre possunt moram, quæ jam non dico divisionibus, sed disputationibus de divisionibus impenditur. Dummodo nullum in scissione verum frustum nobis pereat: dummodo nulla in dividendo

dendo pars prætermittatur, quæ consideratione digna est: satis in cæteris arbitrariæ pleræque sunt divisiones.

Si quis nimium tenax vocabulorum valde generalium, quæ aut nihil distincti significant, aut nescio quot significationes admittunt, jussus illa explicare, hæret, clariora non invenit, contentus, verba sua tanquam clarissima identidem inculcare: cum eo si disputetur, disputatio plerunque Logomachia est. Non desunt, qui, cum utuntur vocabulo aliquo communi usu trito, cui tamen in mente nulla distincta notio, sed vaga tantum, uti loquuntur, confusa & generalis respondet; ; nihilominus, quia usitato vocabulo utuntur, clarissime sibi loqui videntur. Hi, cum ipsi, quid velint, clare & distincte non intelligant, qua ratione eos intelligere poterunt ii, qui adversus eos disputant? At isti statim se produnt, si jussi verba sua declarare, id facere non possunt: quin etiam irascuntur, quod alii se, tam perspicue scilicet loquentes, intelligere nolint. Aut si jussi à verbis, quæ disputationis caussa esse videntur, abstinere; nolunt, mordicus sua illa verba tenent, prorsus

Signum VIII.

Ut canis à corio nunquam absterrebitur uncto.

Pro libertate hi decertant: libertas iis semper in ore est: quicquid agunt superiores, contra libertatem est: quicquid agunt ipsi, id vero libertas licitum reddit. Si dicis, hoc nomen valde generale & ambiguum esse, rogas, explicent clarius, quid hoc vocabulo intelligant: indignantur, hoc quenquam quærere. Sed tamen, pergis, an libertatem intelligitis totius civitatis, an singulorum civium: & si hanc, an immunitatem ab omni subjectione hac voce significatis, an à certis quibusdam oneribus? Hic tandem irati, libertas, dicent, libertas est: quis nescit, quid sit libertas? Alii privilegiorum restitutionem flagitant. Frustra ex his quæris, quæ tandem illa privilegia sint: nihil habent, quod dicant: & tamen privilegia sua identidem crepare pergent. Nimirum in hoc nomine confuse nescio quid latere putant, cujus si compotes essent, felicissimi forent mortalium.

Hic tamen probe observari velim: hoc me Logomachiæ signum dicere: si quis abstinere non vult à voce obscuræ & ambiguæ significationis. Quod si enim vox valde clara & perspicua est, ut vix significantiorem invenias: ille tenebras quærere videtur, qui vocem claram ferre non potest, sed huic aliam substitui vult. Ita nullum est dubium, Arianos olim vocem ὁμοουσίου respuisse, non propter vocis ambiguitatem, sed propter nimiam perspicuitatem: quæ non permisit, ut sententiam suam tegerent; maluissent sub obscurioribus vocibus diutius delitescere: quare non vocabulum, sed rem rejecisse sunt censendi.

Si duos inter se disputantes audis, de re, qua captum tuum non superat, de

Signum IX.

deque arte, cujus non minus, atque disputantes, peritus es; neutrum tamen disputantium intelligis: non leve hoc Logomachiæ indicium est. Quod si enim tu, cujus attentio in eo solo est occupata, ut nunc hujus, nunc illius mentem intelligas, nihil tamen eorum, quæ ultro citroque dicuntur, capis: an is, qui in disputationis æstu versatur: cujus attentio plerunque in id potius fertur, quod ipse dicere vult, quam quod adversarius dicit; cujus animo perpetuo obversatur vincentis laus, victique pudor: an is, inquam, melius quam tu alterum intelligere est putandus? an illi perspicuum videbitur, quod tibi tam videtur obscurum, ut illud capere non possis? Quod si vero nihilo melius alter disputantium alterum intelligit, ac tu alterutrius sententiam intelligis: efficitur, disputationem Logomachiam esse; nisi forte, casu disputantium sententias opponi, velis dicere. Sed necessarium mihi videbatur addere: hoc valere in disputatione de arte, aut scientia, cujus non minus peritus es, atque disputantes. Id quod de proximis quoque, quæ sequuntur, Logomachiæ signis est intelligendum. Imperitis enim multa obscura videntur, quæ scientibus perspicua sunt. Hæc quatuor postrema (& hoc observari velim) signa præcipue Logomachiarum sunt in disputationibus Academicis, ubi viva voce inter se disceptant Respondens, uti vocatur, & Opponens. Exempla non addo, quia quilibet, qui frequens est in ejusmodi συζητήσετι τοῦ αἰῶνος τούτου, exemplorum satis facile observabit.

Signum X.

Si attentus in disputatione, thesi, de qua disputatur, probe intellecta, Opponentis, quod in contrarium affert, argumentum non intelligis: Logomachiæ & hoc signum esse putato. Quia sæpe fit, ut Opponens opponere incipiat, tametsi, quid objicere velit, non distincte cognoscat. Generalem tantum habet intentionem opponendi: hæc facit, ut loquatur, tametsi quid loqui velit, nondum certo apud se constituerit. Id si evenit, evenit autem sæpius, quam quisquam crederet, mirum non est, si objectionem non intelligis, quam neque ipse Opponens, qui illam proponit, intelligit. Hic vero frustra se defendit Respondens: cum umbra pugnat: hostem non habet, aut hostem, qui justis armis non est instructus. Magno strepitu adversarius ejus pugnam ciet, sed præter strepitum, nihil est, quod metuatur. In sclopetis ejus, si ita loqui licet, multum pulveris est pyrii, glans nulla: sonant, sed nihil efficiunt; terrent, non vulnerant.

Signum XI.

Si in disputatione, intellecta thesi & Opponentis argumento, responsionem defendentis, utcunque attentus, capere non potes, quod reliquum est disputationis, Logomachiam esse suspicator. Sæpe enim indicium hoc est, Respondentem nihil observare in opponentis argumento, quod tuto negari possit. Taceret, si tacere liceret: fateretur aquam sibi hærere, nisi hoc turpe videretur. Vult aliquid ad opponentis argumentum reponere, etsi, quid reponat, non reperiat. Hic inter arcana Reipub. disputatoriæ, in qua *salus respondentis suprema lex est*, hoc est præcipuum: Simul ac nihil est, quod respon-

respondeas; vicisti, si modo quid dicere potes, quod non intelligat adversarius; id quod nunquam certius assequeris, quam si tu ipsemet dicta tua non intelligis. Inter stratagemata enim hujus militiæ non postremum est censendum, si hostem nulla ratione repellere potes, oculos ejus conspergere pulvere obscuræ cujusdam distinctionis: (optimæ illæ sunt, quæ ne quidem à proferentibus intelliguntur) ut adversario tuo excæcato, post varios ictus, quæ antagonistam hunc tuum fatigant, te non lædunt, honeste retrocedere possis. Hic si Opponens insurgere vult contra responsionem, quid aliud impetit, quam verba inania omnique sensu destituta!

Signum XII.

Si in disputatione posteaquam aliquandiu & Respondentem & Opponentem probe intellexisti: subito oriuntur tenebræ, & quantacunque attentione adhibita, nihil amplius capere potes: tum conjicito, disputationem omnem tandem in Logomachiam abivisse. Hoc fere fatum est omnium disputationum, in quibus non veritas, sed victoria quæritur. Animadvertis ab initio perspicuitatem, ordinemque: argumentum opponitur thesi: responsio quadrat argumento: instantia, ut vocant, responsioni: omnia probe intelligis: ubi sint disputantes, semper vides: comitaris euntes: quousque pergunt facile eos animo sequeris. Tum vero illi subito sese ex conspectu tuo subducunt, atque omnino evanescunt: nescis, quo se proripuerint. Hic tu suspicator, idem evenire disputantibus, quod tibi evenit, alterum non amplius videre, ubi sit alter; cumque ita in tenebris adversarium quisque quærere pergit, tandem non amplius scire, ubi ipse sit: i. e. omnem disputationem abire in cæcam quandam Logomachiam.

Signa hæc omnia non æque certa.

Hæc sunt, quæ mihi in mentem venerunt *Logomachiæ signa*: poteris huc quoque referre, quæ in superioribus de caussis earum dixi, nam & *caussa effectus signum est*, ut nubes venturæ pluviæ. Nolim tamen quisquam credat, me omnia & singula, quæ adduxi, æque certa esse putare Logomachiæ signa: non hæc mea mens est. Nolo etiam, ut, si quis unum aut plura ex his signis in disputatione animadvertat, sine ulteriori examine, disputationem omnem statim Logomachiam esse, pro certo judicet. Nam & hic sæpe temerarium nimisque præceps nos seducere posset judicium. Hoc tantum volo, ut, si quis ista observet, verum disputantium dissensum esse, tantisper dubitet, donec ex intellecta distinctissime utriusque partis sententia, iisque, quam fieri potest, accuratissime inter se collatis, qua in re dissentiant disputantes, quousque conveniant, clarissime perspiciat: ante hoc examen autem, animadversis his signis, probabilius esse judicet, disceptationem Logomachiam meram esse, quam veram de re ipsa concertationem.

CAP. IX.

De remediis hujus morbi.

VEnimus tandem ad finem dissertationis nostræ, ac postquam, uti promisimus, unum atque alterum morbo huic remedium quæsivimus, ægrotum nostrum aliis penitus sanandum relinquemus. Hic vero nescio, an inter remedia hujus morbi, illud quoque Disputatori nostro præscribendum sit, quo Carneadem quondam, celebrem Academicæ sectæ Philosophum, usum fuisse accepimus: qui adversus Chrysippum, aut, ut alii malunt, adversus Zenonem disputaturus, *helleboro se*, antequam rem tam difficilem aggrederetur, *purgasse* dicitur. Quod si enim ea hujus herbæ vis esset, ut mentem à præjudicatis opinionibus, animum à vanæ gloriæ cupiditate, ab ira, odio, invidia, partium studio, contendendi pruritu, sinistris suspicionibus, *Zelo scientiæ & charitatis experte*, perpurgare posset: si helleborum virtutem haberet figendi volatica ingenia, adstringendi vagum cogitationum fluxum: si denique hæc herba oculos mentis, discussis præjudiciorum & affectuum nebulis, acutiores redderet, ut per verborum integumenta ad rerum ipsarum interiora penetraret eorum acies: Hæc inquam si hellebori virtus esset, præsentissimum illud adversus Logomachias esset remedium. Ac Carneades quidem utilem esse hujus usum existimavit, *ad exprimendum*, ut loquitur Valerius, *ingenium suum attentius*: idemque priscis temporibus senserunt plerique, qui, *helleborum studiorum caussa ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumtitaverunt.* Ego vero nolo hic Empiricum agere: præscribant hoc remedium illi, quibus herbarum virtutes cognitæ sunt: ego ex mea qualicunque officina leniora, ac, si minus efficacia, innoxia certe depromam: acturus hoc capite de *remediis, morbum inde, ubi jam est, pellentibus*: sequente atque ultimo *de remediis, morbum inde, ubi nondum est, probibentibus*, quæ vulgo *præservativa* nominare consueverunt.

Carneadis adversus Chrysippum disputaturi, remedium. Plin. hist. lib. XX. c. 21.

Valer. Max. lib. VIII. c. 7. §. 5. Plin. l. c.

Remedium universale I. Lexicon universale vocum Logomachicarum. Quomodo adornandum.

Universale adversus omnes, quotquot inter eruditos sunt, Logomachias remedium esset *Lexicon quoddam universale*, adornatum à Viro assueto, uti hodie loquuntur, claris & distinctis perceptionibus, perspicaci in eruendis, acuto in discernendis eruditorum sententiis, in docendo solerti atque perspicuo: ubi omnes voces & loquendi formæ, quæcunque in hoc usque tempus Logomachiarum in scientiis & disciplinis omnis generis caussæ fuerunt, secundum literarum seriem explicarentur: atque ita quidem, ut nota aliqua à cæteris distinguerentur voces & locutiones nullius significationis; voces significationis incertæ; voces significationis inconstantis apud eosdem aucto-

auctores; voces significationis confusæ: in reliquis, quæ varias quidem apud varios, sed certas, constantes & distinctas notiones significant, omnes accurate enumerarentur; ad mentem auctorum perspicue definirentur, additis, ut in Lexicis fit, ad singulas definitiones auctorum exemplis. Ubi tamen & hoc monendum esset: si hæ ipsæ voces à quibusdam scriptoribus, aut nullo, aut incerto, aut inconstanti, aut confuso sensu usurparentur.

Ejus utilitas.

Dici non potest, quantum utilitatis ex tali Lexico in rem literariam redundare possit, cum ad artes atque disciplinas omnis generis accuratius intelligendas, tum in primis ad tot vanas & inutiles Logomachias ex iis aut prorsus tollendas, aut saltem valde minuendas. Digna sane res, quæ tentetur hoc seculo, quod nobis tot erudita omnis generis Lexica produxit: seculo, quo nullum aliud minus acquiescit in vocibus: quod præ omnibus præteritis propendet in claram & distinctam rerum ipsarum perceptionem. Ac, si Lexicon universale, aptum ad hunc finem, adornare nimis amplum ab initio uni homini pensum videtur; partiantur Viri perspicaces inter se operas, alius hanc, alius aliam artem à morbo, quem curamus, perpurgandam sibi proponat: aut, quod ego quidem malim, incipiatur ab Indicibus particularibus, in certos auctores, quorum locutiones, sive sua sive aliorum culpa, multis Logomachiis occasionem dederunt. e. g. Sumantur opera R. Cartesii, excerpantur ex iis omnes locutiones, quibus non satis intellectis adversarii ipsius fuerunt offensi; digerantur secundum literarum seriem; omnes fideliter ad mentem auctoris, ac perspicue, ut, quantum fieri potest, omnis ambiguitas removeatur, definiantur. Tentetur idem in aliis auctoribus: ac multi denique hujusmodi Auctorum indices, in unum corpus collecti, constituerent *Lexicon hoc universale*, quod desideramus.

Remedium universale II. Purgatio artium à vocibus obscuris, incertis, &c.

Alterum universale Logomachiis tollendis remedium est: *purgatio artium ac disciplinarum à vocibus ac Locutionibus non modo nullam, aut confusam aut incertam significationem habentibus*, quæ sunt perpetua cæcarum inprimis Logomachiarum materia: *sed ab iis omnibus, quæ, quanquam clariores non desint, obscuritate & ambiguitate sua disputationes, alias in fumum abituras, alunt*: præsertim quæ, nulla urgente necessitate, eum tantum in finem inventæ sunt, ut disputationum essent pabulum; aut ut homines, quorum in seculis barbaris non magna fuit eruditio, verbis facilia obscurando, difficilia intellexisse viderentur. Hoc est idem illud remedium, quod præscribit Stephanus Gaussenus, qui, postquam dixit, quæstionem *num Theologia ars sit, an scientia &c.* Logomachiam esse meram, *Vis*, inquit, *rem experiri? Dubitabile illud nomen, ars, scientia, sapientia, aliquantisper sepone, & quænam sit Theologiæ natura extra hoc nomen, hodiernos istos disputatores interroga: eos videbis de rei summa plane inter se consentire, at in vocibus occupatos, quod fatale est hujus sæculi malum, inanes sonos fundere.*

Nolo

Judicium Auctoris de terminis in scholis hactenus receptis.

Nolo equidem hic nimis esse morosus: si quæ voces à Scholasticis inventæ sunt significantes, jamque universali eruditorum consensu receptæ: tolerentur in Repub. literaria, sed ea lege tolerentur, ut pacifice vivant, nihilque turbarum concitent: turbulentæ omnes, rixosæque ejiciantur. Neque est, quod dicatur, esse illas magnarum circuitionum compendia: satius enim est, aliquanto pluribus verbis dicere, quod multi intelligant, quam paucioribus, quod paucissimi capiant: satius, decem uti verbis, quæ explicatione non indigent, quam duobus tribusve, sed quæ vix mille aliis explicari possunt. Quam egregiis vero compendiis Scholastici fuerint usi, experientia docuit. Inveniuntur hodie Philosophi, qui libro non magnæ molis longe plura dicunt, sine istis compendiis, quàm omnes simul in tot portentosis voluminibus.

Occurritur objectionibus.

At enim, ais, utile quidem, fateor, hoc est, quod præscribis, remedium, sed difficile; quis hanc, quam suades, purgationem vocum & terminorum, ut vocant, instituet? citius Herculi clavam suam extorseris, quam Thomistis & Scotistis suas delicias:

Horat. l. 2. Ep. 1.

> *Aut quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;*
> *Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ*
> *Imberbes didicere, senes perdenda fateri.*

Faciat hic tamen quilibet, quantum in se est. Abstineat ipse in docendo à caliginosis istis vocibus: monstret exemplo suo, commode Philosophiam illis carere posse: inculcet idem discipulis; si talia vocabula ipsi proponuntur, non erubescat fateri, se ea non intelligere, nec turpe ducat, interpretationem eorum petere: cogentur ita alii, si intelligi velint, perspicue loqui. Qua quidem in re non contemnendos docti homines in hoc seculo progressus fecerunt; incipimus sensum in omnibus verbis quærere; desinimus verba non intellecta admirari; neque palam profiteri pudet, nos has aut illas voces non intelligere, quæ an ab iis, qui illis utuntur, satis intelligantur, dubitamus. Philosophi jam hodie dicuntur, qui sunt interpretes veritatis, interpretes naturæ: non puri puti interpretes verborum. Et sane si in hoc tantum Philosophi à vulgo distinguerentur; non deessent hodie, qui mallent vulgo, quam eruditis annumerari.

Remedium universale III.

Magnopere illud quoque artes & scientias à Logomachiis purgabit, *si controversiæ & pugnæ cum hominibus, mutantur, quantum fieri potest, in pugnas cum sententiis.* Quamdiu non homines, non libros, non sectas, sed falsa dogmata refutamus; fieri vix poterit, ut in Logomachiam incidamus: dogma enim, quod refutamus, plerunque revera cum nostra sententia pugnabit. Sed si, quod refutamus, dogma homini, libro, aut sectæ tribuimus; si non tam dogma refutamus, quam homines propter dogma: fit sæpissime, ut cum

cum verbis pugnemus. Qui Cartesium refutat ut Scepticum, in Logomachiam incidit: verba ejus non intelligit: talis non fuit. At qui refutat σκέψιν illam, quam Cartesio tribuit, recte pugnat cum sententia falsa; neque Cartesium hic repugnantem habebit, dummodo hanc illi sententiam ne imputet.

Respondetur ad ea quæ hic objici solent.

Dices, sententiam hujus hominis, hujus auctoris, hujus sectæ esse sceleratam & impiam: quid opus est? refuta opinionem illam sceleratam & impiam: educ in aciem adversus istam omnes tuas copias: nemo se læsum queri potest, nisi qui fateri volet, suam oppugnari sententiam. Quid necesse est, ut huic, illive tribuatur, qui eam fortasse non agnoscet?

At enim monendi sunt adolescentes, ut sibi à certis hominibus, certis libris, certis sectis caveant. Mihi vero non tantum monendi, sed adversus perverse sentientes muniendi videntur: sed muniantur solida veri cognitione: muniantur invictis rationibus, non odio certorum librorum & nominum: muniantur adversus falsum, ubicunque demum reperiatur, non contra certos homines, libros & sectas, quæ fortasse sine caussa nobis odiosæ sunt, & à nostro sensu non tantopere abhorrent. Suspectam reddimus veritatem, quoties illam iisdem artibus defendimus, quibus defenditur mendacium. Quid? quod experientia testatur, non alia ratione magis libros adolescentibus commendari, quam si à multis, si magna cura refutantur; ut vel solo Cartesianæ Philosophiæ exemplo patet, quæ sane celebritatem suam non tam defensoribus suis debet, quam tot, quot hinc inde in orbe habuit, adversariis.

Pugnemus igitur non tam contra certos homines, quam contra falsum; quod tum fiet, si veritatem magis amabimus, quam gloriolam nostram, erroresque magis odio nobis erunt, quam ii, quos errare, quoniam id cupimus, credimus. Sed, si dicere velimus, quod res est, prodit se hic, ut cum maxime, ingenii nostri malignitas. Non sufficit dicere: Deus non est *à se positive*, eo sensu, ut se ipsum fecisse statuatur. Nimis jejunum hoc nostræ philautiæ videtur; non sibi hic satisfaciunt affectus nostri: amplius quærit malitia hominum; quærit, cui hanc sententiam tribuat; quem propter eam condemnet: majorem habet ἔμφασιν, si dicamus: Blasphemus in Deum est Cartesius, qui *Deum à se positive*, quasi se ipsum produxisset, dicere non erubescit.

Remedium universale IV.

Est & illud non contemnendum minuendis his verborum pugnis remedium, *si quantum res patitur, disputationem transferimus à genere ad speciem: ab universalioribus ad minus universalia.* Notiones enim generales, cum pauciora comprehendant, quam speciales: fit, ut vocabula etiam, ejusmodi notiones generales significantia, facile inter se permisceantur; quo plura enim vox

aliqua ſignificat, eo clarius, ut ita dicam, ſignata eſt, eoque melius ab aliis vocibus diſtingui poteſt: cum contra vocabula, generalibus notionibus reſpondentia, ſint ſimilia monetis, quibus exiguum tantum & valde obſcurum ſignum impreſſum eſt: quæque idcirco non niſi ab attentiſſimis accurate inter ſe poſſunt diſtingui. Præterquam quod generales iſtiusmodi notiones non uno modo à ſingularibus abſtrahantur: alius in iis conjungit, quæ à ſe invicem dividit alius: animadvertit hic leviſſimum diſcrimen, de quo alius nunquam cogitat. Unde eſt, quod plurimæ diſputationes de vocibus ſint in diſciplinis & partibus diſciplinarum generalibus: *v. g. Metaphyſicis, in Phyſicæ parte generali, in Prolegomenis artium & ſcientiarum.* Cum vero ad ſpecialia accedimus, plerumque ſi controverſiæ non omnino ceſſant; ceſſant, aut ſaltem minuuntur, Logomachiæ.

Præterea accidit fere, ut verba noſtra univerſaliora ſint, quam ſenſus verborum: quippe quæ ſemper ad materiam, de qua cogitamus, reſtringimus: unde fit ut, qui aut verba noſtra in latitudine ſua accipit, aut illa ad aliam materiam, de qua ipſe cogitat, reſtringit, mentem noſtram non capiat. Hincque oritur diſputatio: quæ ceſſabit, ſimulatque diſputantes à genere ad ſpeciem deſcendere voluerint. Mutationes in Republica ſunt periculoſæ, ait hic, negat alter. Pugnare videntur: at non pugnant. Nimirum qui mutationes periculoſas dicit, cogitat de mutatione regiminis aut formæ reipublicæ, de mutatione legum atque inſtitutorum civilium. Alter qui mutationes innoxias eſſe ſtatuit, cogitat de mutatione morum depravatorum, de profectu in pietate, aut de mutatione in artibus omnis generis & literis; de mutatione ſyſtematis alicujus Grammatici, Logici, Phyſici, &c. Quare iſti diſputatores, ſi à generalibus ad ſpecialia venient, nihil amplius habebunt, de quo diſputent: prorſus, ut optimum innumeras ex artibus Logomachias tollendi remedium ſit, in generalibus non diu hærere, ſed ad ſpecialia, ad quæ ipſa utilitas & jucunditas nos invitat, feſtinare. Sed neſcio quomodo multi in generalibus verboſi eſſe ſolent, ut pauca, quæ ſciunt, dilatando, multa ſcire videantur. *

Remedia ſpecialia.

Sed & nos à generalibus ad ſpecialia veniamus Logomachiarum remedia. In Logomachias incidimus vel *nos ipſi*, ut oppugnemus aliorum verba non intellecta, cum quibus ſententia conſentimus: vel *alii*. Cogitemus igitur primum de no-

* Ad generalia contra Logomachias remedia hoc quoque adjiciendum erat, probe inveſtigare orationis & vocum originem, naturam, uſum, varietatem. Subſidio hac in re nobis eſſe poſſunt; quæ *Ars cogitandi* tradit de vocibus & propoſitionibus: libellus Gallicus cui titulus eſt: *Grammaire generale & raiſonnée.* Cordemoy *de Loquela*: quæ nos de hoc argumento meditati ſumus. *Clerici Ars critica.* In primis quæ *Lookius* in libro de *Intellectu humano* docet de *verbis & vocibus*: quæ ultima nobis de Logomachiis ſcribentibus magno uſui uiſſent, ſi cum hoc argumentum aggrederemur, liber hujus Philoſophi cognitus nobis fuiſſet.

nobis ipsis sanandis, tum demum de *aliis*. Atque hic mutuabimur ante omnia à R. Cartesio illud, quo ipse adversus præjudicia usus est, remedium. Existimabat enim vir acutus, nihil ad hanc rem accommodatius esse, quam si quis semel in vita omnibus de rebus dubitet, ut singulis judiciis suis postea debito ordine examinatis, ea tantum recipiat, quæ claræ & distinctæ perceptioni, i. e. solido fundamento sunt superstructa. Ita sane *dubitemus semel in vita de controversiarum, quæ nobis cum eruditis aut intercessêrunt aliquando, aut intercedunt etiamnunc, veritate aut gravitate:* dubitemus, utrum nos adversariorum, an nostram adversarii sententiam probe intellexerint; fueritne dissensus noster, in re an tantum in verbis, aut saltem tantusne fuerit in re, quantum verba nostra præ se ferre videbantur: nullane subfuerit, si non pura, certe mixta Logomachia?

I. Cartesii remedium adversus præjudicia remedium quoque est contra Logomachias: Nimirum dubitatio.

Neque vero hic unquam nobis deerit dubitandi caussa, non modo cum illa, de quibus superiori capite egimus, Logomachiarum animadvertimus signa, aut universa, aut plura, aut singula; sed tum etiam, ubi nullum horum apparet. Vidimus, quot cum in linguis tum in nobis ipsis lateant Logomachiarum caussæ; quam facilis sit in eas lapsus, quam non potuerint sibi ab illis cavere doctissimi homines; quam late pateant, quam variæ sint earum species; quousque sæpe processerint; quantum per omnes artes ac disciplinas diffundantur.

Non desunt hic dubitandi causæ.

Jam porro consideremus, qua ætatis infirmitate in plerasque controversias primum inciderimus? quando primum didicerimus adversariorum nostrorum sententias, quando cœperimus eos impugnare, atque odisse? annon eo tempore id contigerit, quo, verba quædam aut confuse aut prorsus non intellecta memoria tenere, tota nostra fuerit eruditio? annon odio habuerimus eum, quicum disputamus, antequam ejus sententiam recte intellexerimus, aut intelligere potuerimus? an sententiam adversarii ab ipso adversario, an tantum à præceptore nostro, adversario illius, primum didicerimus, qui & ipse eam forte à suo præceptore acceperit? an legerimus ipsi adversarii nostri scripta, & si legimus, an attente, an sine præjudiciis ac sinistro affectu id fecerimus? an omnes boni interpretis partes impleverimus? de quibus pluribus nobis in sequentibus erit dicendum. Perpendamus præterea, quam difficile sit, vel nunc, confirmata ætate, ejus mentem intelligere, contra quem non rite intellectum aliquando, imo vel semel in vita, disputavimus; præsertim si id publice factum est; cujus auctoris odium, contemtus, fastidium præcessit intelligentiam; quam difficile, sit, librum intelligere, quem legimus; quia illum refutare volumus, antequam legimus.

Hæc & alia qui cum animo suo cogitat, fatebitur cauti & prudentis esse, dubitare aliquandiu de omnium, in quas aliquando cum adversariis suis incidit, disputationum momento: tum vero, iis quæ graviores videntur, (re-

(reliquas enim utinam prorsus ex memoria delere possemus!) maturiori judicio, uti decet examinatis, (id quomodo fieri debeat, infra videbimus) eas tantum pro veris controversiis agnoscere, quæ in rigido censu consistere posse videbuntur, atque ubi dissensus perspicuus est: probeque cavere, ut, hoc viso, nihil, in quo nullus inter nos & adversarios dissensus est, controversiæ admisceatur.

Dubitatio hæc non est periculosa.

Neque vero quisquam hanc, quam suademus, dubitationem periculosam esse dicat. Sit enim illa Cartesii, ut multis placet, periculosa; quia verendum est, ne, qui semel dubitare incipiunt, ex dubitatione postea eluctari nequeant; tum quod vel ad tempus de quibusdam dubitare illicitum videatur: dubitatio nostra omni vacat periculo. Neque enim dubitare aliquandiu, sitne controversia inter me & illum vera controversia, tametsi vera, tametsi gravissima sit, illicitum dici potest: neque si assensionem hic diutius, quam videtur necessarium, aut etiam perpetuo sustinerem; damnabilis hæc esset assensionis retentio. Non enim dubito de sententia magni momenti, quam scire ad salutem est necessarium; non dubito, sitne talis vera an falsa; sed dubito tantum, fieri ne possit, ut illi falsum videatur, quod mihi certum, atque indubitatum videtur: & ideo assensionem aliquandiu cohibeo, ne adversario injuriam faciam, ne cum umbra pugnando iniquus simul & ridiculus fiam. Dubitare, *sitne Deus unus an plures*, atque in hac dubitatione perseverare, nemo negat periculosum esse. Sed si quis dubitaret, *an Gentiles plures Deos statuerint*, ac propterea, an in hoc dogmate revera à nobis Christianis dissentiant? hæc dubitatio imperita fortasse videretur, damnabilis certe non foret: immo vero hæc ipsa dubitatio indicium esset, adeo homini, hac de re dubitanti, de unitate Dei esse persuasum, ut credere non possit, esse, qui eam oppugnent.

II. Remedium speciale: Verulamii verba Sermon. fidel. cap. de unitate Ecclesiæ.

Inter remedia, quibus nos ipsos à Logomachiis sanare possumus, merito referas, si quis crebro & serio considerat, quod sapienter est à Verulamio dictum. *Videmus*, inquit, *quandoque fieri, ut quis doctus & intelligens, homines imperitos, de aliqua quæstione inter se litigantes audiat; atque perspicue advertat, eos idem re ipsa sentire, & in unum convenire, quibus tamen ipsis nunquam aliquis fuisset dissidendi finis. Quod si hoc nonnunquam eveniat, in exigua illa judicii disparitate quæ inter homines esse potest: annon credere par est, Deum in cœlis, qui corda scrutatur & novit, satis perspicere, nos homines fragiles, in aliquibus, de quibus controversiam movemus, idem revera sentire, & in ambobus benigne complacere.*

III. Remedium speciale: Animi purgatio à pravis affectibus.

Utinam vero pugnandum tantum nobis esset cum præjudiciis nostris circa libros, homines, sectas, cum quibus disputare sumus ab ineunte ætate assueti! facile hæc ponerentur, si sola essent; dummodo præscripto remedio uteremur. Sed quis mentem suam purgabit à pravis affectibus

tibus, quos à teneris & quasi cum lacte materno hausit? Facile est, dubitare, eorumne, quibuscum disputamus, mentem recte intelligamus; sed non ita facile est, eos non odisse, quos diu odio habuimus. Facile item est, monere alios, ne indulgeant affectibus in disputando; quis non hoc facit? sed fateamur ego, tu, ille, nos, vos, illi, ipsi, isti, ii, fateamur omnes, quotquot sumus, cum Poëta, nos hac in parte *minores esse monitis nostris.*

Remedii hujus difficultas.

Hæc vero ipsa difficultas, uti controversias apud plerosque auget: ita certe easdem suspectas reddere debet iis, qui se ipsos, qui alios cognoscere student. Qui cordis sui malignitatem cognoscit, non credit facile judicio suo, quoties aliorum sententiam in pejorem interpretatur partem, quoniam scit, rarissime illud ab affectu pravo immune esse. Videamus tantum: ne existimemus, odium errantium provenire ex amore veritatis. Hoc qui statuit, nescit quid amor sit, quid odium. Nunquam ego audivi, quemquam alium odio esse prosecutum, quia caruerit ille bono, quod ipse possidet. Amor nostri nimius pugnat cum amore diversa à nobis sentientium: sed quantumcunque amor sit veritatis, nunquam ille pugnabit cum amore errantium. Ex amore autem veritatis puro, conjuncto cum amore aberrantis à vero, necessario oritur commiseratio: atque in hac commiseratione consistit zelus ille, qui Christianos decet.

Sed vereor, ne, quicquid hic dicere possumus, inefficax sit: cuilibet transigendum hic est cum animo suo; hunc ut cognoscat, hunc ut regat. Hoc cum rerum omnium difficilimum sit, petamus, ut ille nobis hic succurrat, *qui scrutatur omnia, etiam profunditates Dei: cujus in potestate sunt corda* omnium, *ita ut ea, tanquam rivos aquarum quocunque vult, dirigat.* Quod si enim ulla in re divinæ omniscientiæ atque omnipotentiæ auxilio indigemus, indigemus certe in nobis ipsis cognoscendis & regendis.

Hæc quidem omnia, ut nos ipsos à Logomachiis liberemus, sponte facere debemus. *Si quis autem eorum, quibuscum disputamus, nos admonet, non id se sentire, quod in disputando illi tribuimus, injuriam sibi fieri: hic vero haud difficiles nos præbeamus*, neu pudeat fateri, nos sententiam aliorum non satis intellectam oppugnasse.

Stultus & improbus hic pudor est dignusque notari.

IV. Remedium speciale: Erroris confessio.

At enim, si istud fatebor, fatebor me errasse, Logomachum fuisse: hoc est palinodiam canere: delendum erit, quod in hoc, quod in illo libro scripsi. Quid dicent amici, quid discipuli, quid admiratores? desine tam inimica honori meo suadere: in aliis sequar consilium tuum; hic non possum. Ridiculum! quasi alii id non cernant, quoties nos aliquid

quid fateri nolumus. Nimirum pueris similes sumus; qui, quando oculos claudunt, se à nemine conspici arbitrantur. Imo vero certo nobis persuadeamus, alios non tantum videre, nos erraffe, sed insuper videre nos ridiculo pudore in errore perseverare: videre, non sine risu & justo contemtu nostri, ideo nos tantum in aviis strenue pergere, i. e. stultos esse, ne erraffe, i. e. homines fuisse videamur.

Magni animi est, si quis profiteri audet se erraffe.

At si ingenue confitemur, nos mentem eorum, quibuscum disputavimus, non satis intellexisse: quid est, quod nobis exprobrent, quid est, quod rideant sapientes? An quod alii meliores sunt suorum, quam nos alienorum verborum, interpretes? an quod à verbis male intellectis fuimus decepti? scilicet hoc nemini unquam contigit? Quis non hoc humanum, imo quotidianum esse agnoscit, taleque, à quo sibi ne sapientissimi quidem cavere possunt? Hoc vero non tantum candidi, sed magni etiam animi est, si quis, spreto ineptae plebis risu, profiteri audet, se erraffe: certissimumque hoc hominis serio veritatem amantis indicium est. Cum enim omnes homines saepissime errent, qui nunquam possunt sibi extorquere ista verba, *erravi*, *deceptus sum*; aut caeci sunt, aut vilissima rumoris mancipia, qui toto corpore contremiscunt, quotiescunque de illo cogitant: Quid dicent homines? prorsus ut idem plebi dicere possint, quod Ovidius Germanico Caesari,

Ingenium vultu statque caditque tuo.

Ovid. Fast. l. 1.

Hi nunquam cum Augustino Retractationum libros scribent: promiserunt enim, datis obsidibus, (hi sunt libri, quos emiserunt,) plebi, à cujus judicio pendent, se errores suos ad ultimum usque vitae halitum defensuros.

Respondetur ad quaestionem: An nunquam alicui tribui possit opinio, à qua se alienum esse dicit?

Hic non ab re erit quaerere: *nunquamne igitur alicui tribui possit opinio, à qua se alienum esse dicit.* Sane licere id, quando *protestatio*, uti loquuntur, *manifesto facto est contraria*, nullum est dubium: frustra enim verbis à te amoliri conaris sententiam, quam facto ipso fateris. Extra hunc vero casum magna est cautione opus. Si verba auctoris, consideratis omnibus, idque sine praejudicio & affectu isto, quae à bono interprete sunt consideranda, nullum alium, quam quem nos illis tribuimus, sensum admittunt: Si adversarius noster proprietatis verborum peritus, locutus est ita meditate, extra disputationis aestum, ubi verba saepe mentem praecurrunt, animo sereno, atque à perturbatione vacuo: Si denique aperta est caussa, quare suam sententiam tegere velit; puta spes insignis boni, aut metus magni cujuspiam mali. Haec tria quando concurrunt, non impedio, quo minus alicui nonnunquam tribuatur sententia, à qua se abhorrere jactat. Nisi vero haec manifestissime concurrant, longe tutius est, ut semper patiamur, quemlibet verborum suorum interpretem esse: nihilque alteri tribuamus, nisi quod, ut suum, agnoscit; longe & homine & Chris-

Christiano dignius, malle credere, alium in uno & altero minus apte locutum esse, quam illum impie sensisse: præsertim cum illud nos in veritate maxime confirmet, cum videmus & eos qui à nobis dissentire videntur, in ea amplectenda, nobiscum consentire.

Item ad alteram: de imputatione consequentiarum.

Sed ad illam quoque quæstionem nobis respondendum est, quæ sæpe inter eruditos est agitata, *de imputatione*, uti loquuntur, *consequentiarum: possimus ne alicui tribuere sententiam, quam non diserte quidem usquam profitetur, sed quæ, necessaria consequentia, ex illa, quam profitetur, deduci potest?* Deo quidem in verbo suo loquenti recte tribuimus non id tantum, quod totidem verbis dicit, sed quicquid necessario ex diserte dictis fluit: nihil enim eorum non vidit, qui videt omnia. Hominibus vero, quo magis acuti sunt & perspicaces, atque in ratiocinando exercitati, eo magis iis imputari potest, quod ex ipsorum sententia consequitur. Perspicaciores enim plura cernunt cum sententia sua connexa, quam stupidiores. Sed & acutissimorum sæpe non magna est perspicacia; præterquam quod & isti sæpissime cum affectibus tum præjudiciis impediuntur, ut ne quidem naturali mentis acie, satis alias in omnibus hominibus obtusa, uti possint. In ipsis quoque consequentiis, de bonis & necessariis loquor, aliæ sunt propiores, aliæ longinquiores & remotiores ab eo, quod diserte dicitur, ad quas nonnisi per alias consequentias, & nonnunquam per longam earum seriem pervenitur. Quo propiores sunt, eo facilius à quolibet videri possunt.

Nemini consequentia imputari debet quam non videt.

His consideratis, ita propositam quæstionem solvimus: Nemini imputari debet, quod non dicit; nemo autem dicit id, quod ex verbis suis sequi non videt: unde efficitur, nemini consequentiam, quantumvis necessariam, imputari debere, quam non videt. Cui consequens est, nullum esse hominem, cui omnia, quæ necessario ex ejus sententia deducuntur, tribui possint; nemo enim hominum omnia ista videt.

Sententia, ex qua falsum sequitur, falsa quidem est: sed quemadmodum qui verum dicit, non omne verum dicit, quod ex eo, quod dicit, sequitur; alioquin omnia à Geometris inventa Theoremata & Problemata illi tribuerentur, qui axiomata eorum, & postulata sciret: ita qui falsum dicit, non omne falsum dicit, quod ex illo, quod dicit, necessario conficitur.

Si certum est, aliquem non videre, quod per consequentiam ex ejus sententia eruitur; non sine aperta injuria id ipsi imputari potest. Certum autem hoc esse potest: tum ex aliis ejusdem sententiis, quæ manifestæ huic per consequentiam deductæ adversantur, tum ex praxi, cum quis videlicet à praxi abhorret, quæ ex sua doctrina sequitur.

Si

Si contra certum eſt, aliquem videre conſequentiam : tum vero recte ipſi imputatur, quod per illam ex ejus decretis concluditur. Certum autem hoc eſt, cum quis aperte agnoſcit hanc concluſionem, verbis aut idem ſignificantibus, aut praxi.

Quo probabilius eſt, aliquem conſequentiam videre, eo probabilius ei ſententia, quæ ex ejus verbis ſequitur, imputatur. Sic, ſi cætera ſint paria, probabilius imputatur perſpicaci, quam ſtupido; immuni à præjudiciis & affectibus, quam ei, qui his excæcatus eſt: probabilius alicui imputatur deductum per conſequentiam faciliorem, quam difficiliorem. Contra minus probabiliter ſtupido, &c. In probabilibus tamen ſemper regula eſt charitatis adhibenda : ſatius enim eſt, benignius de aliorum ſententia ſentiendo nimis facilem, quam, omnia in pejorem partem interpretando, iniquum eſſe.

Tutiſſimum eſt in rebus incertis à judicando prorſus abſtinere.

Tutiſſima autem via eſt, in rebus incertis à judicando prorſus abſtinere : præſertim ſi contra alios judicium ferendum eſt; nihilque cuiquam tribuere, quod non aut verbis, aut facto agnoſcit. Qua in re iſtud nos cautos circumſpectoſque reddere debet : quod, licet conſequentiæ, quibus aliquid ex adverſariorum noſtrorum verbis deducimus, legitimæ & neceſſariæ ſint; magnum tamen inter nos illoſque ſit diſcrimen : nos enim longe clarius videmus, quicquid mali in eorum opinionibus latet, atque illi vident, qui ſimiles *amatori* apud Flaccum, quem

— — amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia,

oculos ad nævos tam charæ ſibi ſententiæ claudunt, clauſiſque oculis clariſſimas conſequentias non vident, atque, ut illæ cerni à ſe nequeant, plerumque obſcura quadam diſtinctiuncula, quam, tametſi non intelligant, tamen intelligere ſibi videntur, non tam aliis quam ſibi tenebras offundunt. Quam iniquum vero ſit, alicui imputare conſequentiam, cujus neceſſitatem non videt, vel ex hiſce duobus cuilibet manifeſtiſſime patet. 1. Quia hac ratione imputanda ei quoque foret praxis, ex ejus hypotheſibus ſequens; tametſi huic praxi omnes actiones ejus è diametro eſſent contrariæ. 2. Quia imputandæ ita forent uni eidemque homini ſententiæ contradictoriæ : facile enim fieri poteſt, ut ex una alicujus hypotheſi ſequatur dogma contradictorium illi dogmati, quod non minus neceſſario ſequitur ex alia ejuſdem hypotheſi. Fac v. g. ex una hypotheſi, alicujus ſequi : Deum eſſe auctorem peccati : ex alia ejuſdem hypotheſi ſequi plane contrarium : Deum nihil minus eſſe, quam peccati auctorem, imo execrabilem eſſe blaſphemiam hoc ſtatuere. Utrum horum dogmatum contradictoriorum homini imputandum foret; an utrumque;

rumque? an tantum odiosum? an tantum favorabile? credo illud solum quod verbis & praxi agnoscit.

Locutus sum adhuc de consequentiis rectæ rationis, iisque legitimis & necessariis. Quod ad consequentias sophisticas attinet, quæ bonarum specie nobis sæpe illudunt, *consequentias præsertim affectuum, odii atque invidiæ*, pessimorum sophistarum: quin illæ nemini imputari possint, nullum est dubium. Sed quam difficile est eas sæpe à probis discernere?

Consequentiæ sophisticæ.

Denique, ut à diverticulo in viam redeamus, & illud Logomachiis, iis præsertim, quas cæcas vocamus, remedium erit non contemnendum: *si ad verba omnis generis, quæ in memoria nostra hærent, quibusque in disputando utimur, etiam extra disputationem probe attendimus.* Si tum, cum animus ab affectu liber est, quotiescunque aliquod horum in mentem venit, statim cogitamus; an hoc vocabulum, quo nonnunquam utimur, in ore nostro inanis sonus sit, cui nulla subsit notio, an terminus, uti appellamus, ex schola retentus, quem aliquando intellexisse nobis videmur; cui tamen quæ præcise respondeat idea, aut nunquam distincte percepimus, aut saltem nunc non amplius recordamur? an notio illi subjecta sit clara & distincta, an vaga tantum, confusa & generalis? An huic voci respondeat idea rei alicujus, an modi rei? An rei extra nos, an sensus alicujus aut modi cogitandi in nobis? Proponamus nobis identidem aliquem, qui ex nobis quærat; quid hoc, quid illo verbo significemus: tentemusque illud, quam fieri potest clarissime, definire. Hoc si sæpe, sedato animo, remoti ab eo, qui in disputationibus est, contentionis æstu facimus: multa, cum ad disputandum redimus, mutata nobis videbuntur; multæ controversiæ in fumum abiisse, multæ plurimum de gravitate sua deperdidisse: ridebimus ipsi, quod toties cum umbra pugnavimus, quod toties adversariorum, toties etiam nostra verba, non clare intelleximus.

V. Remedium speciale: Attentio ad verba.

Atque ita quidem nobis ipsis medebimur: nunc, *qua ratione aliis medicina sit adhibenda*, dispiciemus: ac primo, quid agendum nobis sit, *si nos ipsos petant aliorum Logomachiæ, verbaque nostra*, quorum vim non capiunt, oppugnent Logomachi. Hic vero statim videndum, in nobisne, an in adversario sit hujus rei culpa, nosne sententiam nostram male explicaverimus, an ille bene explicatam male intellexerit? annon revera verba nostra dura, obscura aut ambigua sint. Id si est, *duo* certissima sunt Logomachiæ remedia: *primum, si ingenue fatemur, nos minus apte esse locutos: alterum, si aliter in posterum nos locuturos promittimus, & promissis stamus.* Sed ita, ais, fatendum mihi erit, me non recte esse locutum. Quid? Tibine etiam in verbis, non tantum in sententia, ab omni errore immunis videris? an ne hæc quidem tibi extorqueri pos-

Qua ratione aliis medicina sit adhibenda? Quid agendum si nos ipsos petant aliorum Logomachiæ.

sunt, tanquam mali ominis verba, *clarius loqui potuissem?* Miseri homunciones! qui nunquam magis inepti sumus, quam cum maxime cavemus, ne inepti videamur; & cum fateri nolumus minimum errorem, maximam stultitiam prodimus. Sed videantur hæc duo remedia, uti sane plerisque videntur, amariora: nihilne igitur pacis caussa ferendum est? quanti tranquillitas animi, quæ perpetuis istis jurgiis turbatur, emenda nobis videtur?

Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Esse: sed, ut valeas, multa dolenda feres.

Sed tametsi verba nostra, quæ alios offendunt, immerito offendant; tamen si alia non minus perspicua adsint, quibus idem dicere possimus, utamur hic συγκαταβάσει, removeamus è via lapides, ad quos parum acute cernentes offendunt, atque abstineamus, quantum possumus, à locutionibus, quas videmus male intelligi. Non tanti vel aptissimæ voces nobis esse debent, ut illas sine necessitate cum pacis dispendio mordicus retinere velimus. Officium verborum est, animi nostri sensa aliis significare: cum videmus, ea suo hic officio non defungi, aliudque multis significare, quam quod nos illis significare volumus; dimittamus ea, tanquam servos, si non malos, certe inutiles; præsertim si alia adsint ad hoc ministerium idonea. Si quondam Erasmo & veritas displicuit seditiosa; verba certe seditiosa, licet sensus eorum sit innoxius, nobis placere minime debent.

Huic remedio non semper est locus.

Equidem fateor, non semper huic remedio locum esse. Cum enim, quod alii perspicuum est, atque aptissimum, alii durum videatur & periculosum: fieri non potest, ut simul omnium rationem habentes, ad omnium captum & loquamur & scribamus. Verba præterea æque perspicua atque ad id, quod dicere volumus, accommodata sæpe facilius est quærere, quam reperire; difficilimum vero est ita loqui, ut verba tua ab invidis & malitiosis interpretibus in pravum sensum detorqueri non possint. Hic vero faciendum, quod fieri potest: si à verbis, quæ quosdam offendunt, abstinere non licet, remedium Logomachiæ erit clarissima eorum *interpretatio.* Interpretemur igitur verba controversa ita clare, quantum in nobis est, ut vel stupidissimi illa intelligere queant, maligni vero ea intelligere cogantur.

Stuporis & malitiæ non accusandi, quos sanare cupimus.

Cave tamen, quemquam, quem sanare cupis, aut stuporis aut malitiæ accuses. Non audiantur ista: *Oppugnas, quæ non intelligis: iniquus es, injuriam mihi facis, mala fide agis, cavillaris, calumniaris, mentiris*, & si quid atrocius dici potest. Etsi horum aliqua vera sint,

Parcius ista viris tamen objicienda memento.

Sed remedia leniora adhibenda.

Non ita volunt tractari ægroti nostri, irritantur his dictis, non sanantur. Quid igitur? ars adhibenda est; lenius ac mollius hic agendum. Vis

Vis ut agnoſcat adverſarius tuus, ſe verba non intellecta oppugnaſſe, *in te, quantum honeſte id facere potes, transfer omnem Logomachiæ culpam aut in linguam qua loqueris.* Accuſa ejus inopiam, quod verbis idoneis ad animi ſenſa aptius exprimenda deſtituatur: pete ab adverſario, ut ſuppleat perſpicacia ſua aut tuum aut linguæ defectum, molliat benigna interpretatione verborum duritiem. Accuſa te ipſum: non illum dic in intelligendo minus acutum, ſed te in explicanda ſententia minus eloquentem, aut ſaltem minus felicem: pete, ut te ferat de re haud parum difficili, ut potes, balbutientem, atque ipſe verba aptiora, ſi poſſit, tibi ſuppeditet. Fac denique, ut eum pudeat in te iniquum eſſe, qui tantam in te videt æquitatem.

Si verba adverſarium offendentia mutare cupis; nolim, dicas: *quandoquidem verbum hoc ferre non potes, abſtinebo:* hoc unico dicto Logomachiam inſanabilem reddere poſſes: nemo vult videri de verbis concertaſſe: Logomachi ſimiles ſunt podagra laborantibus, qui ferre non poſſunt, ut morbus, quo laborant, ſuo nomine appelletur. Satius igitur erit fateri, te in verbis deligendis minus cautum fuiſſe, jure id reprehendi; dic, monitis te locum daturum, aliisque verbis in poſterum uſurum.

Si qui ſunt, ut multi, qui in verbis perpetuo hærentes exiſtimant, te, quotiescunque verba mutas, ſententiam mutare: fer hunc eorum errorem, qui tibi nec detrimento neque dedecori eſſe poteſt. Hic tamen ſemper decorum tibi obſervandum eſt, videndumque, ut *Lepidum* illum imitatus apud Tacitum, *teneas modum inter abruptam contumaciam & deforme obſequium:* in primis vero caveas, ne adverſarii, quorum pectora dictis mulcere cupis, exiſtiment ſe à te deludi, quod plerumque homines omni injuria gravius ducunt: id quod vitabis, ſi & revera pacis & veritatis cupidus eris, & omnia dicta tua hunc veritatis pacisque præ ſe ferent amorem.

Quid faciendum cum animadvertimus acerrime pugnantes, revera inter ſe conſentire.

At *quid nobis faciendum eſt, cum animadvertimus, alios aut dictis aut ſcriptis acerrime pugnantes, quos tamen, ſi attentius eorum controverſiam conſideramus, revera inter ſe conſentire videmus?* Tutiſſimum fortaſſe erit cum Palæmone Virgiliano alienas lites ſubterfugere: alios enim conciliare velle plerumque conciliatori noxium eſt; cadit apud Virgilium in bello inter alios

—— ſeniorque Galeſus,
Dum paci medium ſe offert, juſtiſſimus unus.

Quare ut plurimum, qui eruditi vocantur, tantopere inter ſe litigant? ſi dicere volumus, quod res eſt, ideo potiſſimum, quia intolerabile alteri videtur, alterum ſibi videri ſe ſapientiorem. Quod ſi igitur tertius ſuperveniat, qui partes, tanquam de lana caprina decertantes, conciliare conatur, i. e. ut illi quidem iſtud interpretantur, qui ſibi ſapientior videtur utroque: hoc vero diſputatores noſtri longe minus ferendum eſſe

rati, quicquid irarum, quicquid bilis in diutina disputatione collegerunt, id omne in miserum conciliatorem evomunt. Quis non hic illa comica usurparet: *I præ, sequar: mihi istic neque seritur neque metitur?*

Veruntamen, si *humani nihil à nobis alienum est*; si *erranti comiter monstranda est via*; si *beati* sunt εἰρηνοποιοί: subeundem & hoc periculum aliquando nobis est, sed non à quolibet, non sine magna cautione subeundum. Videndum ante omnia est, ne litigantes existiment, nos cum illos conciliare studemus, hac ratione supra eos eminere velle, & affectare aliquod in illos imperium, atque auctoritatem. Omnia dicta nostra non tantum verum redoleant pacis & concordiæ amorem, sed germano etiam sint ubique modestiæ colore tincta: quæ virtus, si quid hoc in negotio efficere volumus, non satis nobis inculcari potest. Quod si enim partibus, quas conciliare volumus, vel mollissimis verbis exprobramus cæcitatem, quod videlicet non videant ea, quæ nos videmus: actum plerunque est de conciliatione, nullaque postea ratione homines semel irritati movebuntur. Multo minus irridendi illi nobis erunt, tanquam qui de umbra asini tam diu inter se certaverint. Ridere Logomachos utile est adversus Logomachias remedium, sed utile plerunque non ad sanandos eos, qui propterea ridentur, sed cæteros, qui sibi cavent ab eo, quod in aliis rideri animadvertunt.

an vero ridere sit utile?

Conciliatio inter Logomachos quomodo instituenda.

Quod si igitur litem inter duos Logomachos componere est animus: non opus est, ut hoc statim ab initio profitearis, cyclici illius apud Flaccum Poetæ exordium imitatus. Sententiam hic meam dicere ineptum fortasse est, præsertim, si ad levia quædam descendero: quod si tamen ineptire mihi licet, modum præscribam, agendi cum Logomachis, ut quis in eorum animis sanandis scopum propositum facilius, ut puto, assequatur. Pugnant inter se Cajus & Titius, ac revera sibi dissentire videntur, cum verbis tantum dissentiant. Hic vero seorsum prius Cajum adito, ab eoque sententiæ suæ, in qua à Titio dissidet, explicationem petito: dic verba, quæ disputationis caussam esse vides, te non satis intelligere, neque eorum explicationem exigere desine, donec hominem ab ambiguis verbis paulatim ad clariora abduxeris. Ibi tu ea diligenter excipe, atque ex dictis excerpe verba omni ambiguitate carentia, iisque sententiam illius expone, tanquam periculum facturus, an ejus mentem intelligas: dic, te ita capere illius sententiam, quære an recte capias; si denique annuit, tu quasi memoriæ non satis fidens, scribe verba eaque ipsi prælege: si & lecta probat: tu, gratiis pro clara & perspicua explicatione actis, Titium adi, eademque ratione cum illo age. Postquam ita ab utroque claram sententiæ explicationem elicuisti: Cajo Titii, Titio Caji sententiam, sed jam clare expositam, propone; tumque, si neuter alterius sententiam damnare audet, optime utrumque conciliabis.

Scripta

Scripto autem libro si conciliare duos de verbis concertantes conaris : neque hic opus est, ut statim in fronte liber hujus illiusve Logomachiæ compositionem promittat. Satius est, ut videaris primo inquirere velle dissidentium genuinam sententiam, eamque verbis perspicuis, quantum fieri potest, explicare, ut quousque conveniant, qua in re dissentiant, perspicue discerni possit. In hunc finem conquire primum omnia, in quibus disputantes revera conveniunt, eaque postquam clarissime proposuisti; in singulis proba ac demonstra convenientiam ex utriusque partis tum hypothesibus, tum diserte dictis.

His peractis, profer verba illa, in quibus omnis dissensus relictus esse videtur. Inquire in eorum vim: fac, ut enumeres accuratissime omnes sensus, quos verba admittunt; præcipue duos illos, quos adversarii subjiciunt verbis iisdem. Tum vide, quomodo uterque adversariorum verba accipiat: utriusque sensum cum inveniſti, clare protulisti, ex antecedentibus, consequentibus, scopo, aliisque diserte dictis auctoris demonstrasti: ostende id, quod verbis his & hic & ille significat, inter eas esse sententias, in quibus dissidentes convenire, jam ante probaveris. Hic igitur tandem conclude, te verum dissensum inter disputantes anxie quæsitum invenire non posse: nolle te quidem prorsus negare, aliquem inter disceptantes esse; conspicuum tamen esse non posse, qui tanta à te diligentia investigatus inveniri nequeat: ad eandem igitur diligentiam acutiores te invitare: interea tutissimum tibi videri assensum cohibere; illud enim plurimum referre, ut nihil credas, nisi quod verum est; quantus vero inter Cajum & Titium sit dissensus, tua non tantopere interesse.

Hanc ego vel similem cum Logomachis transigendi formulam præscribo, non quod pro certo affirmem, hanc esse optimam, sed ut ita significem, arte & dexteritate opus esse, si quis Logomachos nostros sanare, non irritare velit; illos omnes vero, in quibus major est solertia, excitem ad aliam commodiorem atque efficaciorem huic morbo medendi methodum inveniendam.

CAP. X.

De Præservativis, ut appellant, adversus Logomachias novas.

QUa ratione a Logomachiis optime nobis cavere possimus, in superioribus, maxima ex parte, arbitror à nobis esse commonstratum, cum *caussas* hujus morbi, *eas præsertim quæ in nobis ipsis sunt*, indicavimus. Ille enim has verborum pugnas vitabit facilime, qui caussas earum vitabit. Veruntamen quoniam nunquam satis quædam inculcari possunt, universa denuo oculis subjicienda sunt, quæ ad scopum nostrum sunt accommodata, quæque tum *in docenda nostra*, tum *in discenda aliorum*, *quam confutare volumus*, *sententia* sunt observanda. Docemus aut voce aut scripto. In utroque videndum nobis est, ut *non tam doceamus verba quam res:* qui enim verba discipulo suo magis inculcat, quam res; facit, ut pro verbis postea acrius, quam pro rebus ipsis digladietur; facit, ut is ferre non possit eos, qui aliter loquuntur, atque ipse loqui didicit, quamvis idem prorsus sentiant.

Præceptorum in his officium.

Mos perversus instituendi.

Hic iterum iterumque monendi sunt Præceptores, ut mature discipulos suos ad hoc assuefaciant, ut in verbis atque in cortice ne hæreant, sed nucleum in illis quærant, ubique sensum eumque clarum, quantum cujusque ætas fert, & distinctum investigent. Non tum præclare munere suo se defunctos esse putent magistri, cum non sine ingentibus plagis verba quædam, nescio quando intelligenda, memoriæ discipu'orum intruserint: quæ, cum recitari audiunt, sibi ipsi plaudentes, En, inquiunt, quid disciplina possit? Ut recitat! quam celeriter, prompte, expedite! Psittaci ista laus est. Quanto laus homine dignior! Quam luculenter in istac ætate ratio, qua homines sumus, se exerit? quam clare adolescentulus ista intelligit, quam sane judicat, quam acute hæc discernit, quam apte ad interrogationem quomodocunque propositam respondet?

Judicet quilibet pro captu suo de adolescentium institutione; mihi illi plus didicisse videntur, qui, quæ intelligunt, qualitercunque balbutiunt, quam ii qui, quæ non intelligunt, expeditissime recitant. Eos certe, qui verba reperire vix possunt, quibus sententiam exprimant, longe illis antepono, qui sententiam verbis, quæ in promptu habent, subjectam invenire nequeunt. Hoc autem ut evitetur, differantur, quantum id res patitur, omnia illa in ætatem adultiorem, quæ si doceantur, certo scire possumus, discipulos per ætatem nihil nisi verba discere posse: qualia sane multa in Grammaticis, Logicis, & Rhetoricis systematibus occurrunt; ex quibus artibus, si

si quædam excerpamus ad captum puerorum accommodata, ut his mature imbuantur, non inutile id erit: sin has artes integras huic ætati tradere voluerimus, verissimum inveniemus illud Verulamii, *eas provectioribus magis, quam pueris & tironibus convenire: Logicam & Rhetoricam esse ex artibus gravissimis; cum sint artes artium; altera ad judicium, altera ad ornatum.* Hic si multa discuntur, quid aliud quam verba discuntur? Logica sane aut Rhetorica in ore recitantis, cui nulla respondet in intellectu, definiri potest, ut Echo apud Ausonium:

Verba Verulamii de augm. scien. l. 2. p. 90.

Aëris & Linguæ - - filia, mater inanis
Indicii, vocem quæ sine mente gerit.

Qui ita artibus imbuti sunt, cum disputant, non nisi de' verbis disputare possunt: & quoniam *terminos artium*, vulgo hominum inauditos, qua data occasione, orationi inserentes, imperitis admirationi sunt; quovis pignore contenderent, se artis reconditissima tenere; cumque pro vocibus suis pugnant, jurarent, se pro aris ac focis pugnare.

Hoc quoque, si *discipulos adversus Logomachias munire volumus*, observandum nobis magnopere est, *ne illos in tenera ætate nimis assuefaciamus studio contradicendi.* Ut enim vix fieri potest, quin interdum mentiantur, qui semper volunt loqui: ita non possunt, quin in Logomachias sæpe incidant illi, quibus volupe est omnia aliorum dicta oppugnare. Memini, sæpe mihi objectum esse à multis: majorem, quam in aliis, contradicendi pruritum observari in nobis omnibus, qui in Scholis atque Academiis adolevimus, ac nescio quam disputandi consuetudinem, quam in Schola imbibimus, ad vitam quoque civilem, familiaria colloquia, ac quotidiana negotia nos afferre: idque nos plerunque ingratos, molestos, sæpe etiam ridiculos facere. Et, si verum fateri volo, deprehendi sæpe in me & aliis aliquid huic, quod nobis exprobrant illiterati, valde affine; saltem ego, nobis hac in parte prorsus injuriam fieri, non nimis clamarem.

Discipuli in tenera ætate non nimis assuefaciendi studio contradicendi.

Nimium disputandi exercitium quam sit noxium.

Quo magis videndum nobis est, ut ita discipulos in disputando exerceamus, ut fructus, qui in disputationibus sperantur, non sint minores malis & vitiis, quæ ex earum abusu proveniunt. Discant in iis adolescentes non aliorum tantum sententiam oppugnare, suam pertinacissime defendere: sed in iis discant etiam æqui esse, patientes, modesti, attenti, dociles; discant in illis etiam veritati cedere, sententiam aliorum elicere, cum sua comparare, optimam eligere. Bonitatem oppositionis ne metiamur tempore, quo quis argumentum, uti loquuntur, urserit; ne adolescentes existiment, eandem disputatorum rationem esse, quæ eorum, qui pila ludunt; ubi, qui ultimo eandem pilam in adversam partem torquet, peritissimus lusor habetur.

Quales esse debeant dispp. studiosorum.

Neque etiam in disputatione omnia ponantur: excogitentur aliæ studiosorum exercitationes, è quibus non minus utilitatis capiant, quæque vitia in

in disputando contracta corrigant. Doceantur non tantum propositam thesin oppugnare & defendere: sed veritatem absconditam invenire, nodum difficilem solvere, de inventis à se & ab aliis acute judicare, inventa sua & aliorum perspicue, eleganter, sicubi opus est, aliis exponere.

Quæ alia exercitia disputationibus adjungi debeant.

Assuescant adolescentes meditari, animum intendere, attentionem conservare, ordine conveniente à cognitis paulatim ad incognita progredi; omnia, quæ discunt, ex principiis suis deducere: certa ab incertis, evidentia à verisimilibus, magis probabilia à minus probabilibus discernere: assuescant quoque ignorantiam suam in plerisque rebus animadvertere, ut discant ingenio suo & scientiæ diffidere, judicium sæpe cohibere, ac tardi esse quidem in assentiendo, sed in condemnando longe tardiores.

Demonstrationes Arithmeticæ & Geometricæ.

Exerceantur in iis, ubi disputationibus locus non est, quales sunt Arithmeticæ & Geometricæ demonstrationes, adversus quas, si quis argumentari vellet, merito suo ab omnibus rideretur: quæ disciplinæ ad scopum nostrum propterea quoque utilissimæ sunt, quia nullæ aliæ magis à verbis ad res ipsas deducunt. Hæ solæ ab omnibus vocabulis nihil significantibus penitus sunt perpurgatæ: in his solis in eo nemo fallitur, quod voces quasdam, quibus nulla in mente distincta respondet notio, memoria tenens, rem ipsam sibi intelligere videtur. Scio, non cuilibet licere in his artibus consenescere, sed προπαιδείας loco periculum in iis facere, saltem in eum finem, ut mature discernere discamus, quid sit scire, quid sit nescire, ac propterea, quid nos ipsi sciamus, quid nesciamus; ubi nuda verba, ubi res ipsas teneamus, omnibus licet, & omnibus utile est, si non necessarium.

Quomodo libri sint scribendi, ut Logomachiis occasio præcidatur.

Jam ostendendum nobis quoque erit, *quomodo libri sint scribendi, ut Logomachiis occasio præcidatur*, quia ita fere evenit, ut novus liber novas nobis pariat Logomachias. Quod si igitur sententiam tuam scripto libro exponere cupis: ante omnia videto, ut tuam ipse sententiam probe intelligas, neu primum verba fundas, quorum sensus postea sit quærendus. Tanto enim magis alii te intelligent, quo magis ipse te intelligis.

Ubi tria accuratissime tibi sunt perpendenda: primum, *quid sentias*, i. e. qua de re & quodnam tuum sit judicium: deinde *quomodo ita sentias*, certone id cognoscere tibi videaris & evidenter, an verisimile tantum & probabile tibi videatur: sentiasne in te vim illam quam rei evidentia, quæ ad assensum nos cogit, nobis inferre solet, an aliquam non assentiendi, si velles, libertatem in te deprehendas: denique *quare ita sentias*, an habeas sententiæ tuæ argumenta, an vero ideo tantum ita sentias, quia ita sentire lubet, quia sententia optabilis, quia ita credere utile tibi, aut jucundum aut honorificum videtur; quia vulgo ita sentiunt, aut, qui morbus huic est contrarius, quia vulgo aliter sentiunt: & si argumenta habes, sitne illa necessaria, an contingentia, magis an minus probabilia: necessarione ex illis, quod probare cupis, sequatur, an quoquo modo conjici possit. His

His omnibus probe excussis; tum demum ad scribendum accede: tum demum verbis expone, quod mente adhuc pressisti, sed ita expone, saltem in hoc omnes intende nervos, ut non possit non ab omnibus mediocriter attentis intelligi & *quid* sentias, & *quomodo* & *quare* ita sentias. Sit in omnibus, quæ scribis, genuinus quidam *ingenuitatis* & *candoris* color. Accedat *perspicuitas*, quanta potest, maxima. Deduc lectorem eadem via in cognitionem sententiæ tuæ, qua tu in eam pervenisti: fac, ut videat, qua cogitationum serie huc tandem veneris: quære verba maxime significantia, quæ cogitata tua menti lectoris quasi imprimant: Labora tu in verbis & eorum ordine, ut tanto minus in sententia invenienda animus lectoris laboret. Persuade tibi, posse aliquem nimis ornate, nimis acute, nimis sublimiter, nimis copiose, nimis presse, nimis venuste loqui: nimis perspicue docentem loqui non posse. Cogita, te scribere non doctis modo, sed rudibus; non ingeniosis modo, sed stupidis; non hoc tantum, sed aliud agentibus; non vacuis tantum, sed occupatis; non attentis modo, sed volaticis ingeniis; non amicis modo, sed æmulis; non bonis tantum interpretibus, sed malitiosis etiam calumniatoribus: plures librum tuum lecturos, ut errores aliaque quæ displiceant in eo inveniant, quam inveniant in illo veritatem, & quæ discant.

Hoc maxime observandum tibi est, *cum aliquid novi profers*: hic enim nisi summam adferas modestiam, alii, quibus inauditum hoc videtur, te sibi insultare arbitrabuntur; nisi summam perspicuitatem, nullæ tam atroces blasphemiæ, nullæ tam periculosæ hæreses erunt, quæ in libro tuo non invenientur. Tum sane in sententia explicanda prorsus morosus debes esse, usque eo, ut tibi non satisfacias, nisi ita eam expresseris, ut ex verbis tuis nemo sanæ mentis aliud, quam tu dicere volebas, sine summa impudentia exsculpere possit. Perpende omnia tua verba, omnes loquendi formas: vide, nihilne in iis ambiguitatis lateat. Ab *ambiguis*, si potes, *abstine*: sin minus, sequere & hic Geometras, accuratissimisque & clarissimis *nominum definitionibus* voces ab ambiguitate libera. *A vulgari verborum significatione sine caussa ne recedito*: sed si id necessarium est, ad easdem semper nominum definitiones confugito, easque ita proponito, ut appareat te nudos sonos, nuda nomina definire; ne super definitione lis tibi intendatur: à vulgari vero significatione te recedere, non amore novitatis, sed quod aliter sententiam tuam exprimere non possis.

Si qui coguntur multis in libro aliquo verbis uti ambiguis, aut consuetas vocabulorum significationes mutare; multas hi Logomachias præcavebunt, si libro *indicem horum verborum* adjungent cum accuratissimis singulorum definitionibus; in ipso autem libro hæc verba à cæteris aut *charactere diverso*, *aut alia nota* distinguent. Locuti sumus supra de Lexico, quod utile esset Logomachiis sanandis; *Lexicon* quoque utile esset *Logomachiis* præca-

Lexicon Logomachiis præ-

cavendis utile, quale esse deberet.

praecavendis, si tale adornari posset, ubi voces eruditis usitatae unico modo omnes clarissime definirentur: sique adigi possent aliqua ratione eruditi, ut *in hac vocum acceptione omnes convenirent*. Hoc fieri posse, docent Mathematici: quod si enim illi in significatione verborum sibi propriorum accuratissime consentiunt, quare idem in aliis disciplinis sperari non possit, non video.

Quomodo legendi sint libri, ut Logomachiis occasio praecidatur. Ante lectionem requiritur voluntas intelligendi,

Quomodo libri sint scribendi, ut Logomachiis occasio praecidatur, diximus: jam quomodo legendi sint iidem, videamus. *Ante lectionem* duo ab lectore requirimus: *voluntatem* librum intelligendi & *facultatem*. Voluntatem appellamus *aequitatem* sive *justitiam*, quae hic nihil aliud est, quam *constans voluntas suam cuique scriptori sententiam ubique tribuendi*. Ad hanc aequitatem commoveat nos justissima illa naturae lex: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Cum enim alii nobis injuriam facere, absurdamque, quam detestamur, sententiam nobis affingere videntur; quam querimur, quam clamamus? quam inglorium vincendi genus hoc nobis videtur? quam abjectum, quam turpe? hominis hoc esse dicimus malitiosi, invidi, fraudulenti, perfidi, nequam; hominis imperiti, turpisque inscitiae sibi conscii, qui, cum videt se parum sapere, alios prorsus desipere fingit, ut habeat, in quo se illis anteponat. Videamus ne, dum alios condemnamus, nos ipsos condemnemus, aut quod turpius est, nobis condonemus, quod tantopere in aliis horremus, Moenio illi similes, de quo Satyricus:

Moenius absentem Novium cum carperet: heus tu!
Quidam ait, ignoras te? aut ignotum dare nobis
Verba putas? egomet mi ignosco, Moenius inquit.

& facultas.

Facultatem intelligendi ad lectionem librorum afferemus, non modo si nihil legimus, quod supra captum nostrum est, quodque hac aetate, hoc ingenio, hac eruditione, hoc rerum usu intelligere non possumus: sed vel praecipue si animum ad lectionem afferimus vacuum ab affectibus pravis & praejudiciis, quae nos invitos à verborum sensu saepissime abducunt. Ab his, quid nos purgare possit, in superioribus vidimus. Addatur illius remediis tantus amor veritatis, ut hic amor reliquos omnes in nobis affectus superet. Dulce alicui vinum videtur, quamvis à vite a se plantata non provenerit, non in horto suo creverit, non è cella sua depromptum sit, nunquam ante fuerit gustatum: Ita si quis veritatis dulcedinem gustare novit, ei dulcis, amabilis, appetenda videbitur veritas, quocunque in libro, veteri, novo, à quocunque, amico, aemulo, inimico scripta fuerit.

Cavendum ne aliorum nos judicia auferant.

Videndum in primis est, ne aliorum nos judicia usque adeo auferant, ut nostro uti non amplius possimus. Resistendum est huic torrenti; si haec judicia nihil aliud sunt nisi sententiae vulgi de rebus supra captum vulgi,

Omnes

Omnes unius æſtimemus aſſis.

Sin ſapientum nobis judicia videntur; cogitemus, nos aut ita ſapientes eſſe, ut de aliorum ſapientia judicare poſſimus, aut non eſſe: ſi ſumus; male judicia noſtra aliis ſubmittimus, cum longe facilius ſit judicare, de ſententiæ unius aut alterius veritate, quam de hominis alicujus ſapientia: ſi non ſumus, inepte & periculoſe aliorum ſententiam ſequimur, quos ſapientes eſſe, ſcire non poſſumus.

Sit præterea nobis in libri cujuslibet lectione propoſitum, ex eo proficere; veritatem, tametſi in barbara tellure inventam, exoſculari; rejicere perſpicue falſa; in dubiis aſſenſionem cohibere; vera & bona omnia probare: non autem ſcopus noſter ſit, ante libri lectionem id, quod nondum cognoſcimus, refutare. Ita enim in ſingulis verſibus quæremus aliquid, quod refutare poſſimus: idque innumeras pariet Logomachias.

In ipſa lectione requiritur, ut lector ſit attentus,

In ipſa lectione duo à lectoribus requirimus, ut attenti ſint, & cauti. *Attenti* ſint non tantum ad verborum ſonum, ſed præcipue ad rem ipſam verbis ſignificatam: attenti in primis ad ſcriptoris, quem legunt, ſcopum, ad genuinam verborum, quæ interpretantur, vim; ad antecedentia, conſequentia; ad alias ejuſdem auctoris ſententias; ad clariorum & obſcuriorum, quæ ſemper ex clarioribus ſunt interpretanda, convenientiam; ad principiorum & hypotheſium connexionem; ad praxin; ad rationes & argumenta, quibus quæque ſententia probatur; ad multa alia; quæ vix enumerari poſſunt, quibus ea, quæ univerſalius dici videntur, varie reſtringuntur atque limitantur. Legantur hic quæ paſſim Theologi, Juriſconſulti, ac Logici, de interpretatione, bonique interpretis officio docent: neque legantur tantum, ſed religioſe obſerventur.

& cautus.

At non attentum modo librorum lectorem eſſet decet, qui in Logomachias incidere non vult, ſed *cautum etiam & circumſpectum.* Res illi eſt cum verbis, quibus nihil eſt fallacius: quod promittunt ſcribenti, non præſtant, ſed ſæpiſſime & ſcriptorem & lectorem decipiunt. Ac lectorem quidem facile plerumque decipere poſſunt, ſi abſurdam ſcriptori tribuunt ſententiam: lectoris enim philautia cum illis colludit, eique perſuadet, ut in erroribus aliorum credendis haud difficilem ſe præbeat; id enim ſupra alios ſe efferre. Verſemur igitur in lectione librorum tanquam in terra peregrina, valeatque hic vetus illiud, *νῆφε ξεῖνε καὶ μέμνασο ἀπιςεῖν*: tum præcipue, cum verba ſcriptoris abſurdum dicere videntur. Non imprudens eſt Florentini monitum, *ut quis, cum hoſtem aliquid agere cernit, quod abhorrere videatur à ratione, ſuſpicetur, dolum ſubeſſe.* Ita ſane cogitemus, verba auctoris non prorſus deſipientis, cum abſurdum dicere videntur, nos decipere, in inſidias, in Logomachiam, quæ nos ludibrio hominum exponat, perdu-

Lib. 3. de Repub. c. 46.

perducere velle. Tum duplicanda nobis est cautio, neque certo absurda illa opinio auctori tribuenda, donec videamus, quid illum fefellerit, qua cogitationum serie inde à primis principiis huc delapsus sit; quousquè recta via processerit; quando primum, qua falsa veri specie deceptus, aberràverit.

Conclusio. Hæc de Logomachiis meditati sumus, morbò, qui facile sanari posset, si modo, qui eo laborant, sanari vellent; ego qua ratione possint, monstravi, & ut velint, quantum potui, laboravi. Qui & ipsi sanari nolunt, & alios ejusdem morbi contagione corrumpunt; illos aliis curandos relinquimus; ad hoc enim nos neque ingenii, neque, quod hos maximè movet, auctoritatis satis habemus; nostris interim discipulis tanquam efficacissimum ad Logomachias præcavendas remedium denuo inculcamus illud Apostoli; ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων.

DE

DE SUPERSTITIONE IN REBUS PHYSICIS.

SUPERSTITIONEM in rebus Physicis eam vocamus persuasionem, quæ nescio quos admirabiles & prope divinos caussis naturalibus tribuit effectus, tametsi nullam inter caussam atque effectum connexionem excogitare possit ratio, neque latentem nexum constans experientia confirmet. Malum non infrequens, at bonæ menti inimicissimum; quod si quis semel imbibit, nihil tam ridiculum, atque ab omni veritatis specie alienum est, quod fidem apud ipsum non inveniat.

Omnia hic timebit somnia: ad omnia expavescet omina: nunc canis illum, nunc cornix, nunc ulula terrebit: si, quot annos sit victurus, scire avet, ex cuculo id quæret: quoties dextra auris tinniet, lætabitur; si sinistra, mœrebit: quoties amabit, philtrum sibi datum esse conqueretur. Nihil incipiet, quin prius calendarium inspexerit,

> — — *capiendo nulla videtur*
> *Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosyris.*

Siderum ignes pejus metuet, quam cum proximus ardet Ucalegon. Venam sibi secari non patietur, nisi impetrata à planetis venia. Semen terræ non committet, cum terra, sed cum Luna id jusserit. Caput tonderi jubebit, cum Luna est aut in Leone, ut capilli instar villorum Leoninorum rigescant, aut in Ariete, ut instar cornuum arietinorum crispentur. Quicquid crescere volet, crescente hoc sidere; quod sensim diminui, decrescente inchoabit. Cum in Tauro Luna est, nunquam adduci poterit, ut medicamenta hauriat, ne animal hoc ruminans medicamentum evomere cogat.

Vitabit mare, quoties Mars est in medio cœli, ne Bellator iste Deus piratas adversus se suscitet. Arborem seret in Tauro, ut signum hoc, quod fixum Astrologis appellare placet, altius eam in terra defigat. Si quando adire volet Principem; expectabit, donec Luna consocietur Soli: tum enim salutaris est minoris cum majore societas. Domo egrediens, nihil magis metuet, quam invidi oculi aspectum. Peregre abiens lupi non tam dentes timebit, quam improvisum intuitum, ne is facultatem sibi loquendi adimat. Domum reversus verebitur identidem, ne forte Basiliscus ex ovo galli sui prodeat, qui venenato se aspectu interficiat.

Optaret quidem, ut bona sua post mortem ad amicissimos redirent, sed mavult nescio quibus ea relinquere, quam testamentum condere, metuens, ne statim à condito testamento moriatur. Annum climactericum prætergressus, non aliter lætabitur, ac si ex mortis ungulis elapsus esset. Si forte vulneratur, unguentum non vulneri, sed, quod efficacius est, telo, quo sauciatus est, allinet. Ægrotus præscriptas pilulas pari numero nunquam deglutiet: herbis non utetur, nisi fausta quadam hora decerptis. Morbum nova quadam arte instar germinis transplantabit, cuique volet arbori inseret. Febrim non pharmacis expellet, sed, quod præsentius est remedium, ungues resectos cancroque alligatos aversus post tergum, ut Deucalion lapides ex quibus novum hominum genus ortum est, in proximum flumen projiciet. Adversus quodvis malum muniet se annulo, cui benevolum siderum aspectum felicemque horam jamjam prætervolaturam, mirabili celeritate comprehensam atque detentam infixit. Nihil denique tam difficile erit, quod numerorum, quod verborum, atque characterum virtuti non pervium credet.

En *superstitiosi* nostri *imaginem*, quæ si cui hyperbolica videtur, agnoscimus, huc usque insaniæ non omnes venire; hanc judicii intemperiem in aliis majorem, minorem in aliis esse. At reperiuntur certè, qui hæc prope omnia, hisque ipsis ineptiora & credunt & profitentur: tum vero, si quis rationis limites

limites transiit, atque in natura non tam verisimilia quam mirabilia captat, facilis est ab infimo ad supremum ineptiæ gradum ascensus.

De *Superstitione* hic loquimur, *non quatenus religioni, sed quatenus rationi adversatur*, non eâ, quam Theologi condemnant, sed quam Philosophi rident: non eà, quæ crimen est, sed eâ, quæ stultitia: non denique de eâ, quæ aut Falsum Numen, aut Verum ineptis cerimoniis placat, aut à Dæmonibus auxilium expectat, sed de ridiculo quodam in rebus naturalibus errore, qui virtutem caussis attribuit, quæ illis convenire nullo pacto potest.

Neque vero omnis in his rebus error continuo superstitio est, sed *quidam erroris excessus, longius à veritatis specie recedens*: atque, ut ab initio diximus, *qui admirabiles & prope divinos rebus naturalibus tribuit effectus.* Si quis enim herbæ virtutem purgantem, quam non habet, adscribit: errat ille quidem: neque tamen hunc superstitiosum recte dixeris; quando herba purgans res non est adeo insolita & admiranda. At si quis eidem herbæ facultatem tribueret, quoscunque illam gestantes aut invisibiles aut invulnerabiles faciendi; jam non amplius simplex error ista esset persuasio, sed superstitio. Hæc namque θαύματα ubique & quærit & venditat, effectus caussasque consociat, quæ, quo tandem nexu cohæreant, nullum ingenii acumen perspicere potest.

Hoc vero ut penitius intelligatur, dividere nobis lubet *nexum physicum* inter caussam & effectum, *in generaliorem* & *specialiorem.* Illum etiam tum concipimus, cum nihil aliud comprehendimus, quam, corpus motum contactu suo, aut effluviorum singulari quadam ratione aliud movere posse, quod & ipsum aliud moveat, hoc item aliud, donec effectus ille, quem caussæ tribuimus, queat produci. *Specialiorem* inter caussam effectumque *nexum* tum agnoscimus, cum intelligimus specialius, qualis sit corporis moventis, effluviorumque ejus textura, quis horum motus, quam mutationem in patiente producat, cur hanc & non aliam: quomodo denique & agens agat, & patiens effectum agentis recipiat, ut necessario, & consequenter constantibus naturæ legibus, hic in specie, non alius effectus sequatur.

Felis est absconditus in conclavi: cernis hominem, qui pallere, qui sudare incipit, nescit ipse quid sibi contigerit: tandem reperitur invisum animal. Quænam hujus antipathiæ est caussa? Corpuscula, aiunt, effluere possunt ex corpore felis, per aërem disseminata ad corpus hujus hominis deferri, per nares aliasque vias in illud intrare, fibras nervorum, & per hos cerebrum certo quodam modo, quod cerebrum ita constitutum est, ut quoties iste pulsus in illo accidit, spiritus animales non possint non fluere in certos musculos, eosque hac ratione movere, quæ requiritur ad sanguinem ex genis abigendum, sudoremque

ex cute exprimendum. *Nexus* hic inter caussam effectumque verus quidem videtur, at *generalior* est. Nondum hic acquiescit ratio: quærit, quænam illa & qualia sint effluvia ex corpore felis prodeuntia, qualis eorum motus, quomodo pellant fibras nervorum, quis motus oriatur in cerebro hujus hominis, quænam in hoc homine peculiaris sit cerebri constitutio, quæ motum hunc extrinsecus advenientem ita modificet, ut solus id patiatur, quod præter eum patitur nemo. Hoc quamprimum quis cognoscit, *specialiorem* inter caussam atque effectum nexum cognoscit.

Hic vero nemo existimet, nos semper cognitionem *specialioris* inter hos nexus requirere, ut, nisi ista adsit, superstitio sit nostra persuasio: hoc enim si esset, quæ non opiniones superstitiosæ essent? Tametsi enim agnoscamus, imperfectam esse nostram scientiam, cum *generaliorem* tantum hunc nexum cognoscimus: mentem hac non contentam semper ad specialiorem cognitionem tendere: sufficere tamen illam putamus, ut caussæ effectum saltem sine superstitione tribuamus.

Præterea dividere possumus *nexum* caussarum in *certum*, *verisimilem* & *possibilem*. *Certus* est, cum evidentibus argumentis demonstrari potest, hunc esse nexum & non alium. *Verisimilis*, cum probabilibus argumentis docere possumus, hunc potius esse nexum, quam alium. *Possibilis* denique est, si eo posito, nihil ponitur, rationi, physicæ principiis, naturæ legibus, atque experientiæ repugnans. Si *certus* est nexus, errare non possumus: at quanquam errare possimus, quoties nexus tantum *verisimilis* aut *possibilis* est (cum fieri queat, ut verisimile non sit verum, quod esse potest, non sit) hic tamen error superstitio nondum est. Sed tum demum valida suspicio in nobis oriri potest, persuasionem, quæ effectum cum caussa conjungit, esse superstitionem, quum homines rationis usu excellentes, sanæque Physicæ principiis probe imbuti, nullum *verisimilem*, imo ne quidem *possibilem*, inter caussam atque effectum nexum reperire possunt.

Liceat nobis exemplo rem illustrare. Dicunt, *pulverem* nescio quem vulnerati hominis sanguini in linteo excepto, post à vulnere mirum quantum remoto, adspersum, vulnus per *sympathiam* sanare. Iniqui essemus, si superstitionis hæc sententia nobis suspecta esset statim, si nemo certo & sine ullo erroris periculo nobis dicere posset, quænam *in specie* sit hujus pulveris, quæ item sanguinis textura, quæ particularum figura, qui situs, quis motus: quænam in hoc particularum concursu mutationes existant, quid, quantum, qua via ex illis mutationibus & motibus transferatur in vulnus, quæ in vulnere mutationes accidant, ut tandem sanatio necessario consequatur. Hanc persuasionem ab omni superstitionis suspicione alienam esse dicemus, dummodo sit, qui nexum nobis inter caussam effectumque generalem, eumque solum possibilem, monstret.

Ad hoc autem tria requiruntur: ut nobis monstretur, posse singularem quen-

quendam motum produci in particulis ſanguinis aut pulveris, quamprimum pulvis ſanguini in linteo injicitur: deinde, poſſe hunc motum, aut alium ab hoc motu productum, deferri uſque ad vulnus ſanandum: poſſe hunc motum diu continuatum aliquid ad ſanandum vulnus conferre. Primum facile monſtrabitur: ſecundum à nemine, quantum ſcio, perſpicue monſtratum eſt. Quid eſt, quod motum illum, qui oritur ex pulvere inſperſo ſanguini, ſive pulveris ſive ſanguinis ſive utriusque ſit, ita dirigat, ut tendat ad vulnus? Num pulvis movet particulas ſanguinis ad vulnus, num ſanguis particulas pulveris? Quodnam hic movens eſt? Si pulvis: quidnam eſt, quod pulverem ita moveat, ut motum alterius verſus vulnus dirigat? ſi ſanguis, idem de ſanguine quærimus. Cum vulneratus homo ſitum mutat, mutetur hæc directio motus oportet: aliorſum igitur movent aut particulæ ſanguinis pulveris partes, aut partes pulveris partes ſanguinis. Ipſæ igitur mutantur, ſed à quo? hæccine mutatio venit à vulnere? ergo motus aliquis ex vulnere venit in ſanguinem aut in pulverem: ſed unde iſte motus? quodnam hic movens? quid particulas ſanguinis in vulnere movet ad particulas pulveris aut ſanguinis in linteo? quid ſi & hoc linteum ſitum mutat? quid eſt, quod aliorſum dirigit particulas ex vulnere venientes? an ſanguis aut pulvis in liteo? ſic in gyrum rotaretur noſtra ratiocinatio.

Forte dicet aliquis, injecto in ſanguinem pulvere excitari motum quendam, hunc diffundi quaquaverſus in omnes partes, ſicque & vulnus tandem offendere, ex quo ſanguis deſumtus ſit. Hac igitur ratione ſaltem motus à ſanguine in linteo excepto ad vulnus uſque pertingeret. Ita conſtitueretur vortex aut ſphæra, ubi ex ſanguine in linteo tanquam ex centro in omnes partes neſcio quot particulæ moverentur. Hujus ſphæræ diameter minimum ſuperaret duplam diſtantiam lintei ſanguine imbuti à vulnere. Jam ſunt, qui pulveris hujus vires ad 600. qui ad 1000. milliaria, qui ad quamvis diſtantiam ſine ullo loci termino propagari aiunt. At quænam illæ eſſent particulæ tam prodigioſam undique & undique replentes ſphæram? ſanguinisne an pulveris? quanta hæc eſſet unius atque alterius guttæ cum tantillo pulveris commixtæ expanſio? quantum hæc corpuſcula comminuerentur? quantum à ſe invicem recederent? ac proinde quantillum ex tanto vortice ſanandum vulnus tangere poſſet? præterquam quod tales particulæ ita comminutæ, ita mutatæ, ita expanſæ, non amplius id eſſent, quod ante fuerunt, cum omnis corporum varietas à varia particularum magnitudine, figura & ſitu dependeat.

Fortaſſe dicent tandem, à ſanguine pulvere conſperſo, ejusque particulis, hac ratione valde agitatis, moveri aërem ætheremve in omnes partes, inſtar vorticis, non aliter ac globuli ſecundi elementi moventur ab aſtris in vorticibus Carteſianis. Sed vorticis iſtius motus præſertim in tanta diſtantia varie modificaretur, aut prorſus ſiſteretur ab aliis innumerabilibus motibus

motibus contrariis; neque plures inter se dissiti, sed intra unius pulveris sphaeram constituti longinquum vulnus sanare possent. Diversi enim atque interdum oppositi hac ratione producerentur vortices, quorum alter alterius motum impediret. Neque ulla ratio excogitari potest, quare innumeri alii motus non eandem, quam pulveris hujus in sanguinem injectio, tantos vortices aërios, aut aetherios producendi virtutem habeant.

Ac denique, si quid aëris aetherisque moti ex tanto vortice forte ad sanandum vulnus appelleret, quomodo hoc sufficiat, ad omnes illas in vulnere mutationes efficiendas, quae ad vulneris sanationem pertinent; quomodo iste motus innumerabilia alia corpora & vulnera ita praetereat, ut nihil neque salutare, neque noxium illis afferat, etiamsi centro suo propiora sint, comprehendi nullo pacto potest.

Dabunt igirur nobis veniam, qui tantum huic pulveri tribuunt, si *suspectam* nobis esse hanc vulneribus medendi rationem dicimus, donec aliquam, saltem generaliorem, saltem possibilem, inter hanc caussam huncque effectum nexum, detegant; at *suspecta* tantum est: prorsus eam superstitionis nondum condemnamus: cujus rei caussa infra à nobis dicetur.

Tum vero certissime nobis constat, *nullum inter caussam atque effectum nexum esse Physicum, cum nexus, qui persuasioni locum dedit, non is est, qualis inter caussam Physicam ejusque effectum esse debet:* quod accidit, cum ex naturae motusque legibus sive generalibus sive specialibus nullo modo effectus deduci potest: de quibus in Physicis plura. Nos pauca tantum excerpemus.

Omnis caussarum Physicarum efficacia à motu est arcessenda, prorsus ut, *quod nullo modo movetur, nihil agat: nihil autem movetur nisi ab alio; quod & ipsum moveri necesse est: nihil autem alterum movere potest, nisi quod immediate contingit, & versus quod ita movetur, ut in motu suo illud offendat, i. e. ante se illud pellendo, nunquam post se trahendo: nec quicquam plus motus in alterum transfert, atque ipsum habuit, imo neque plus quam deperdidit.* Alia plura in Physicis traduntur: nobis hic ista sufficiunt, ut cognoscamus in genere, quid caussa physica sit, qualisque sit inter hanc caussam ejusque effectum connexio, saltem generalis; cujus cognitio sufficit, ut sine superstitione caussa effectusque conjungi possint. Quod si igitur nexus, qui originem persuasioni dedit, nihil cum generalissimis istis naturae motusque legibus commune habet, audacter affirmare licet, persuasionem illam superstitiosam esse.

Sunt, qui putant eas herbas iis humani corporis partibus sanandis aptissimas esse, quarum similitudinem quandam, *signaturam* appellare solent, referunt. Hic quis non videt in hac similitudine nullam virtutem Physicam latere posse? quid enim illa movebit? Inde fortasse haec opinio originem traxit, quod semper observatum est, plantas atque animalia sibi similia generare: hinc, ut fit, similitudini nescio quae vis tribui coepit, quae a-

lijs

his caussis adscribenda erat. Qui *omnia pleniora esse plenilunii, quam novilunii tempore autumant*, pisces, ostreas, cancros, ossium medullas, & quid non? primum in istam opinionem inciderunt, eodem prorsus argumento ducti: plenitudinem enim lunæ nescio quid sibi simile in terris producere putarunt, non secus, ac lupus lupum, canis canem. Fingamus, veram esse similitudinem: quem motum ista relatio producet, sine quo nihil effici potest? num si mariti stomachus plenus est, hoc uxoris quoque stomachum replet? nemo hic ullam similitudini efficaciam tribuit. Major videlicet lunæ cum piscibus intercedit consuetudo, quam marito cum uxore: demus hoc, num propterea luna pisces sibi similes reddit? At, quod longe magis est ridiculum, nulla vera est inter cancri & lunæ plenitudinem similitudo, nomine istæ plenitudines conveniunt, non re. Semper integrum lunæ hemisphærium solis radiis illustratur, hocque sensu semper plena est: sed cum illud hemisphærium, quod nobis obvertitur, illustratur: tum demum plena dicitur, quia hæc nobis plenitudo apparet; &, cum ante visum fuerit, aliquid ejus corpori deesse, tum integra fieri videtur. Quod si igitur plena dicitur, est hæc impropria loquendi ratio. Sed ó miræ efficaciæ tropum! Luna tropice plena cancros nobis innumeraque alia proprie plena reddit.

Ex inepta hac persuasione, quæ similitudini Physicam tribuit efficaciam omnia pene fluxerunt *Astrologorum deliria*, quicquid in terris est, ideo tale est, quia in cœlo simile quiddam reperitur. Mercurius fuit quidam miræ solertiæ homo, post mortem in numerum Deorum relatus: huic attribuitur illa stella, quæ vulgo stella Mercurii vocatur; hæc non tantum eandem habet, quam Mercurius in terris habuit, solertiam, sed virtutem etiam, parem solertiam hominibus in terra nascentibus infundendi. Hinc Astrologorum regula; *Cum puerum præceptori trades, fac, ut Mercurius benigno aspectu aspiciat lunam lumine auctam.*

Sed & aliis relationibus mira nonnunquam efficacia tribuitur. Est relatio quædam inter dolorem & partem dolore affectam, hæc relatio nescio quam habet virtutem: unde Medicorum quorundam regula: *Ubi malum exortum, inibi remedium adnatum*: quod, quia fortasse nonnunquam contigit, innumerabilibus experimentis regula probata esse videtur. Est relatio quædam inter sclopetum & vulnus sclopeto inflictum: & hæc adeo efficax est, ut si sclopeto unguentum illinas, virtus ad ipsum vulnus transferatur. Est relatio quædam inter philtrum, atque eum qui philtrum alteri dat: & huic relationi sua virtus est, ita ut cui philtrum propinatur, non ad amorem tantum concitetur, sed in specie ad eum amandum, à quo philtrum datum est.

Quid de relatione numerorum ad se invicem dicemus? & his mira tribuitur vis. *Non vanum est*, ait aliquis, *in naturalibus rebus numerorum habere rationem*: *siquidem Deus omnia fecit in numero, pondere & mensura*; quod si eo valet, ut significetur, plura plus efficere quam pauciora, nemo

nemo est, qui non & opinioni huic & ejus rationi assentietur. Sed hæc in vulgus nota sunt. Alia in numeris inveniuntur mysteria. Quæ qui cognoscit, deprehendit, 120. esse numerum, *qui perfectam hominis vitam compleat, itaque verba illa S. S. Erunt dies illius centum & viginti annorum, naturalem vivendi legem continere.* En demonstrationem evidentissimam! *Dignitas dicti numeri inde est, quod constat tribus quadragenariis, quadragenarius vero quaternis decenniis, ternarius vero est primus numerus perfectus, qui rationem habet formæ & maris & generationis & indivisibilitatis: quaternarius continet denarium, qui continet ternarium binarium & unitatem: ex uno vero & duobus & tribus & quatuor fiunt decem, decem autem sunt omnia: nulli enim homines sunt, qui ultra decem numerant: itaque & quatuor sunt omnia: quare quaternio denariorum h. e. quadragenarius fit, toto cum toto coalescente: totum vero est quod perfectum: hoc ergo ter redeunte, completur perfectissimum tempus, è tribus perfectissimis numeris conflatum, ternario, & quaternario, & denario.* Id quod erat demonstrandum. Proh omnium popularium! fierine potest, ut homines vigilantes ita ratiocinentur? At hæc sunt verba non de plebe hominis, sed *Francisci Valesii* magnæ auctoritatis Philosophi. Nobis certe, qui sacris Pythagoricis initiati nondum sumus, ineptissimum videtur, frivolis istis adque placitum confictis numerorum relationibus, naturalem quandam virtutem tribuere. Hæ si caussæ esse possunt, quid tandem non caussa erit?

De Sacra Philosophia Cap. VIII.

Taceo *innumerabiles cerimonias actionumque circumstantias*, sine quibus omnis, si vulgus auditur, salutaris actionis efficacia irrita redditur. *Salutares* hæ tibi sunt *pilulæ*, sed *undecim* sumendæ sunt, nec plures, nec pauciores: *Salubris herba* est, at *Veneris die excisa: Venæsectio* prodest, at *diligenter sanguis asservandus, ne forte à cane bibatur. Capilli* abscissi sunt: *vide, ne quod in illos animal incidat.* Noxia sunt, *cum horologii sonitu se loco movere, sinistrum pedem prius, quam dextrum vestire, è domo ignem per plateam deportandum aliis concedere; digitum in lunam intendere, speculum noctu inspicere, infantem die Veneris lavare, stabula expurgare diebus Jovis & Saturni*, & sexcenta hujus generis alia.

Et quemadmodum *corporibus* occulta quædam vis tribui solet, *agendi in cogitationes* hominum, cujus rei in *Astrologia* exemplum habemus: ita vicissim *cogitationibus* nescio quæ in *corpora*, idque sine corporis nostri interventu, potestas vendicatur. Creditum diu in Helvetia est, atque haud scio an etiamnum credatur, quandam esse paludem, *Lacum Pilati* incolæ appellant, in quem si lapides aliaque id genus conjiciantur, protinus tempestates excitentur. Satis hoc superstitiosum cuique videri poterit, qui concipere nequit, qua ratione tam leviculus aquæ in palude motus, à projecto lapide ortus, non modo in aëre quicquam producere, sed tot insignes mutationes efficere queat, quot ad tempestatem in aëre ciendam requiruntur. At, ne quid ad superstitionem desit, hoc non evenire aiunt, nisi lapis *dedita opera* in paludem conjiciatur: quasi vero hæc demum cogitatio, actioni alias inefficaci, pondus atque momentum adderet.

Huc

Huc pertinet ea, quæ *invidiæ* à multis tribui solet, *vis fascinandi.* Illud etiam, quod in aleæ lusu toties quidam se vincere putant quoties vincere nolunt: qui non modo hic ineptiunt, sed secum pugnant: cum enim vincere nolunt eum in finem ut vincant, quod nolle sibi videntur, vehementissime cupiunt. Hinc quoque est, quod in rebus etiam plane fortuitis audaciores cæteris creduntur feliciores; ex quo illud: *audaces fortuna juvat.* Quo minus mirandum est, si *verbis*, si *scripturæ*, virtus adscribitur, cum nudæ etiam cogitationi tanta insit efficacia.

Non vacat nobis, neque, si vacaret, liceret, omnia superstitionum genera enumerare; siquidem nullus est populus, nulla civitas, nullus pagus, nulla domus aut tugurium, quæ non peculiares hujusmodi opiniones, à Majoribus traditas, pari quoque fide ac religione posteris tradat. Sufficiet ad institutum nostrum, exemplis in medium allatis, superstitionis nostræ naturam geniumque ostendisse:- plura quotidie observabit, cui libuerit plerasque vulgi in rebus naturalibus opiniones, ad paucas tantum illas, quarum supra mentionem fecimus, naturæ motusque regulas examinare.

Ex superstitiosa, de qua locuti sumus hactenus, caussarum effectuumque minime cohærentium colligatione, alia nata est, nec minus frequens nec minus inepta, superstitio. Quæcunque enim homines vehementissime scire cupiunt, illa undecunque *divinari* posse sibi persuadent. Quod si enim quodlibet cujuslibet caussa est, quid mirum, si quodlibet etiam cujuslibet rei signum esse potest? Hinc tot sunt *divinandi genera* ab hominibus excogitata, ut si nomina eorum paginæ huic infarcire vellem, ultra octoginta Græca adducerem vocabula, pleraque composita cum nomine μαντεία: prorsus ut, si quis Grammaticus (ut sunt his in rebus curiosi) ex me quæreret, quodnam in Græca lingua, quæ omnium maxime compositis abundat, vocabulum sit, quod plurimas admittat compositiones, dicerem verbum μαίνομαι, hinc enim duo descendunt nomina μανία & μαντεία, quorum composita non contemnendum vocabularium constituere possent.

Nec tamen loquor hic de iis divinationum generibus, ubi *Dæmones* consuluntur, aut quæ *Deum* auctorem habere dicuntur; sed de iis, quæ ab *ipsa rerum natura* nobis suppeditari existimantur. Quanquam, si ex eo, cui quicquid accidit aliquid significat, quæreres: num signum hoc, ex *institutione* Dei, Dæmonum aut hominum, significet hoc quod significare dicitur: an vero sit *naturalis* inter signum remque significatam *connexio*, qualis inter *caussam* & *effectum*, pluresve necessarios *unius caussæ effectus* esse solet; subtiles has diceret esse distinctiones; satis esse, signum illud esse: quale signum sit, Doctorum in scholis esse explicare.

Sed loquimur de iis, quæ naturâ significare aliquid dicuntur; ut cum nuper Impostor quidam in Gallia jactaret, se ope *virgulæ* cujusdam *divinatoriæ*, *fures, homicidas, aliosque maleficos detegere posse*: non defuerunt, qui naturales hujus tam mirabilis rei caussas quærere sunt conati, quod quàm feliciter fecerint,

judicent, ii, quibus naturæ motusque leges probe sunt perspectæ: melius certe famæ suæ consuluissent, si ingenium non ante, in caussa hujus rei quærenda, torsissent, quam constans eam experientia probasset. Ita sane plerique eorum qui *astris*, qui *conjunctionibus* eorum, qui *somniis* futurorum significationes adscribunt, qui hominis fortunam prosperam aut adversam in *vultus manusve lineamentis* sibi legere videntur, naturalem his tribuunt significandi vim: sed quem nexum inter signum remque designatam inveniant, num ex caussa effectum, an ex effectu caussam, an ex uno effectu alium ejusdem caussæ detegere possint, non satis explicant, & si vellent, magis fortasse se ipsos implicarent.

At enim, inquiunt harum aliarumque in rebus naturalibus superstitiosarum opinionum patroni, facile est hæc naturæ arcana ridere, facile superstitionis accusare: at quid respondebunt increduli nostri, ad tot, quibus ista confirmantur, experimenta? Nulla pro nobis ratio est, fatemur, at stat à nostris partibus *experientia*. Num ideo negandum aliquid est, quia admirandum? Num ideo nullus est inter duas res nexus, quamprimum illum perspicere non possumus? Mensura videlicet intellectus nostri erit mensura operum divinorum. Quot sunt in natura admiranda, quæ esse quidem cognoscimus, quare aut quomodo ita sint, ignoramus? Quotusquisque est, qui caussam cognoscit, quare ferrum Magnes attrahat, quare ad polos mundi se convertat: quid lunæ cum æstu marino sit commune? Dabimus, invitis fortasse multis, sed dabimus tamen, harum rerum caussas nostro hoc seculo esse detectas: num ideo non fuerunt, antequam detectæ sunt?

Hæc & alia in hunc sensum sæpe adduci solent, verissima illa quidem, sed in quibus parum præsidii creduli & superstitiosi homines inveniunt. Non diffitemur, plurimum semper experientiæ esse tribuendum, atque haud scio an interdum plus quam speciosissimis rationibus: hanc non confirmare modo à Ratione inventa, ut certius illis fidere possimus: sed sæpissime etiam hujus defectum compensare: experientiam incidisse in innumerabilia generi humano utilissima inventa, quæ Ratio non modo detexisset nunquam, sed ne quæsivisset quidem. Fatebimur etiam, ea aliquando nobis credenda esse, quæ experientia probat, tametsi caussas eorum veras ignoremus, imò tametsi nullum inter caussam atque effectum reperiamus nexum.

At hæc *experientia* non sit *aliena*, sed *nostra*; non *perfunctoria*, sed *accurata*; non *fallax*, sed *certa*; non *varians*, sed *constans* atque *perpetua*. Si quid præter experientiam ratione verisimili confirmatur, credi id sine superstitione potest, quamvis minus certa atque constans sit experientia: at quo res est incredibilior ipsa per sese, eo certior atque constantior debet esse, quæ rei tam incredibili fidem faciat, experientia.

Duo vulgo in foro requiruntur ad aliquid probandum testes, quod tamen non impedit, quo minus extra ordinem uni fides haberi queat, si testis est omni exceptione major. Duo quoque sunt in Physicis testes, *ratio* & *experientia*: si

desi-

deficiente ratione soli experientiæ est credendum, necesse item est, ut testis hic sit omni exceptione major: talis denique qualis est experientia, quæ hominibus persuasit Magnetem ferro jungi. Ubi tam certa, tam constans, adest experientia, non impedio, quin credatur pulveris sympathetici, unguenti armarii, amuletorum, talismannorum jactata virtus; & si quæ sunt alia his ipsis incredibiliora. Sed nisi talis sit experientia; illa quæ tam sunt incredibilia ipsa per sese, tam parum cohærentia, tam parum Physicæ principiis, naturæque legibus consentanea, non sine superstitione creduntur.

At quænam est, quam nostri Thaumatopolæ jactant, experientia? Ab avia hic didicit, quæ à matre hoc sæpius audisse testatur: Et hoc vocat experientiam. Ajunt, ferunt, perhibent, ait hic; & hoc vocat experientiam. In aliquot libris se hoc legisse alter meminit: quod quanti ponderis sit, discimus ex *Joh. Jacobi Wagneri Medici* Tigurini *Helvetia curiosa*, ubi se solum XXXV. scriptores, atque inter hos magni nominis viros, vidisse ait, qui fabulam de lacu Pilati scriptis suis inseruerint. Et hoc tamen experientia dicitur. Est qui semel iterumque hoc se observasse ait, quod, antequam crederetur, plus quam millies observandum erat: hic tamen propriam jactat experientiam. Qui ad exempla tantum attendit, quæ in opinione concepta se confirment, exemplorum contrariorum, quanquam longe plurium, aut nullam rationem habet, aut statim obliviscitur: hic tamen opinionem suam propria se experientia didicisse clamat.

p. 60.

Sane, qui ad ineptias suas probandas toties ad experientiam provocant, nescire videntur prorsus, quid sit experientia: quod audiverunt, quod legerunt, ipsi sunt experti. Duo aut tria exempla infallibilem his faciunt regulam: quod bis vel ter forte fortuna contigit, quadam necessitate naturæ contigit: quæ conjunguntur tempore, Physicum inter se nexum habent: quicquid præcedit, caussa est aut signum; quicquid sequitur, effectus resque significata.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.

Contrarium centies accidit, neque tamen hoc regulam destruere potest. Semel accidit. Certe, ajunt, non contemnendæ sunt hæ Agricolarum regulæ: en quomodo experientia iis tam apte respondeat? Ita magna pars hominum ratiocinatur: quod si quis considerabit, neque multum in his rebus plebis consensui tribuet, neque tantum vanissimarum opinionum numerum mirabitur.

PAULO REBOULETO
SUO
PASTORI COETUS GALLICI
QUI TIGURI COLLIGITUR,
SAMUEL WERENFELSIUS
S. D.

LITERAS Tuas quibus a me petis, ut disputationes à me editas tibi mittam, accepi; & quanquam perspicere non possim, cui usui Clariss. *Chauvino* in opere, quod meditatur, adornando esse possint, nihilominus eas mittendas Tibi esse duxi; ut neque in aliis, neque hic paratum, ad, quæcunque mihi abs Te imponentur, officia, animum requirere possis. Scripsi ante decem aut amplius annos brevem *de Tempore* dissertatiunculam, in qua, tametsi multa mihi displiceant, quæ puerilem sapiunt ætatem; tamen, quia quædam etiam inibi habentur ab aliis non passim observata; fasciculo eam adjecturus eram, sed inter Schedas meas reperire non potui. In iis, quæ misi, observabitur aliqua sententiarum discrepantia; neque enim recentior *de Atomis* dissertatio in omnibus cum Dialogo de *Finibus mundi* congruit. In prima & secunda Dialogi parte, quibus ostendo, quid impedierit *Cartesium*, quo

quo minus fines mundi concipere potuerit; deinde, quomodo concipi possint, nihil est quod damnem. In tertia parte quædam argumenta non sunt apodictica; atque illa tantum admittenda, quæ probant, mundum non esse *infinitum*; non item illa, quæ probare videntur, mundum non esse *indefinitum*: eo sensu, quo hæc nomina in dissertatione de atomis definio. Quanquam enim falsum sit, quod *Cartesius* vult, mundum non nisi indefinitum a nobis concipi posse; verum tamen est, apodictice demonstrari non posse, eum non esse indefinitum; sed tantummodo, non esse infinitum; quæ duo in Dialogo non satis distinguo.

Dissertatiuncula de *Figura mundi* ad confirmanda quædam, quæ minus vera in Dialogo quibusdam videbantur, conscripta est, ideoque tanquam ejus appendicula est consideranda. Incepi nuper [quia priora nostris hominibus obscuriora videbantur] argumentum amœnius de *Logomachiis Eruditorum*. Duæ disputationes jam lucem viderunt, quas fasciculo junctas accipies. Tertia propediem emittetur; sequentur fortasse plures. Promisi, me de remediis hujus morbi sub finem acturum; inter remedia etiam numeraturus, Adornationem *Lexici Philosophici* accuratioris, quam usque adhuc vidimus; ubi, quam fieri potest clarissime, omnes significationes vocum, quæ à Philosophis usurpari solent, explicarentur. Satis vides quantum, ad Logomachiarum numerum minuendum, Lexicon tale pondus habiturum sit.

Nescio quodnam sit institutum Clariss. *Chauvini*; an Lexico suo historiam Philosophiæ comprehensurus sit; originem, sectas, progressum, cujusque inventi ortum; quid additum inventis ab aliis, quousque perfectum, quid desideretur. Utilissimum sine dubio ac jucundissimum esset opus. Sed nec inutilis omnium vocum Philosophicarum, quas *terminos* vulgo vocant, expositio accurata, quomodo ab his, quomodo ab aliis accipiantur &c. Habemus quidem tale à *Rodolpho Goclenio* conscriptum, sed aliud nostra tempora desiderant, facie Philosophiæ tantopere mutata. Melius quid hic quoque à nostra ætate expectari potest; quandoquidem longe clarius hodie loqui incipimus, atque olim sunt Philosophi locuti. Hæc sunt, *Vir Reverende*, quæ faciunt, ut institutum *Chauvini*, sive hoc, sive illud sit, sive utrumque, vehementer probem. *Bernoullio* nostro literas Tuas misi, quem credo Tibi aut respondisse, aut responsurum. Si qua in re opella hic Tibi mea prodesse poterit, dabo operam, ut eam nunquam desideres. Vale plurimum. Dabam Basileæ XI. Calend. Martii. A. MDCXC.

DE FINIBUS MUNDI DIALOGUS.

POLYMATHEM superioribus diebus conveneramus, quem tum nescio quæ valetudinis imbecillitas domi tenebat, ego & Dædalus noster. Hic pauca initio, obiter, & ea fere, quæ in primo congressu sese ultro offerre solent. Postea paulatim, ut nostra quidem fert consuetudo, ad communia studia sermonem defleximus.

Fortè Philosophiæ Cartesianæ mentio inciderat: ibi continuò Dædalus, ut est naturâ disertus, multis Cartesium laudare; mirari hominis ingenium subtile pariter & capax, judicium acre, vattam rerum plurimarum earumque abstrusissimarum comprehensionem cum singulari dictionis perspicuitate conjunctam; cæteris deniq; non obscure ejus Philosophiam ante ponere: deplorare invidiam seculi, quod non nisi vulgaria ingenia ferre possit; in eorum potissimum iniquitatem vehementius invehi, qui ficta summo viro crimina intentare, quàm vera DEI O. M. dona in eo agnoscere malint. Tum Polymathes: *Eleganter tu istbæc & copiose*, *ut*

ut omnia. Sed & illud animadvertere poteras, convitiis Philosophiam istam evertere conatos fuisse plurimos, neminem rationibus; plane ut mihi jam diu hæc stet sententia, non nisi calumniis eam impeti posse: Sed quid agas?

Bacchæ bacchanti, si velis advorsarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius:
Si obsequare, una resolvas plaga.

Plaut. in Amphitr.

Videbam utrumque solito commotiorem esse, est enim uterque Philosophiæ Cartesianæ addictissimus. Quare ego, vos vero, inquam, vix tandem intra modestiæ limites iræ impetum continebitis, nisi mature sermonem vestrum interrumpam. Equidem, tametsi omnes, ut sapienter Paterculus, *naturaliter audita visis laudemus lubentius, & præsentia invidia, præterita veneratione prosequamur, & his nos instrui, illis obrui credamus*, tamen non usque eo invidus sum, quin lubenter vos laudare audiam Cartesium vestrum, cui, fateor, si secula parem habuerunt Philosophum, superiorem certè vix habuerunt. Sed videte, ne, ut illi pulcherrimum fuit plurima priscis non visa, quædam etiam eorum errata, detegere; ita vobis turpissimum sit, ejus unius effatis, tanquam oraculis, acquiescere. Plane enim paulo fervidius mihi videmini defensionem Cartesii suscepisse, quam Philosophis moderatis convenit. Mitto alia: quis feret, quod tu, Polymathes, satis confidenter illud quidem affirmas, Philosophiam hanc non nisi convitiis impetitam esse adhuc, neque omnino nisi calumniis impugnari posse? At vos quidem eam probate, cæteris anteponite, sequimini ubique, miramini, deperite etiam, quantum lubet; per me licet. Hoc vero quid aliud est, quam eum, quem amatis, Philosophum ab omni errore atque adeo à communi hominum sorte eximere; cum tamen sapientissimi quique, cum Chremete Terentiano, *homines* se *esse* fateantur, *à quibus humani nihil alienum* sit. Et sane fuerunt quidam, quanquam profecto pauci, fuerunt tamen, qui Cartesium subinde humani quid passum esse & acute observarunt, & evidenter demonstrarunt. Fortassis ineptire vobis videbor, si in his ego nomen meum profiteri ausim.

Verum enimvero, quod si mihi, homini ingenio non modo non perspicaci sed pene nullo, non pauca animadvertere contigit, in quibus lapsum esse subtilissimum Philosophum, liquido commonstrare possum; obsecro te, Polymathes, numquid sententiam tuam mutabis? Hic me uterque intueri, subridere etiam Polymathes: & ego vero, inquit, sententiam mutabo ac lubens, tu modo fac, quos nobis narras lapsus & in Cartesii Philosophia observasti scilicet, tuos prope dixeram, exponas. Post ad Dædalum conversus (solemus enim inter nos loqui familiarius) videamus, ait,

Quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu?

Hor. de Art. Poët.

Itaque cum varia nullo ordine, & ut quodque primum occurrebat, recensuissem, interque alia Cartesii de infinitate mundi opinionem leviter perstrinxissem;

xissem; plura dicturum interpellabat Dædalus, &, mirum, ait, ni isthuc venisses. Hic enim communis fere scopulus esse solet, ad quem omnes allidun- tur, qui è Peripatetica Philosophia recens ad nos trajiciunt. Sed tu vide, ne immatura infantiæ judicia, nondum penitus exuta, tibi pro ratione illudant: & si mea parum apud te valet auctoritas, audi Ciceronem, delicias tuas, de *præjudiciis* istis graviter disserentem: *Plurimi*, ait ille, *ante tenentur adstricti, quam quid esset optimum judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore ætatis, aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcunque sunt disciplinam, quasi tempestate, delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescunt.*

At ego, vereor, inquam, ne istud tibi potius occini possit: tu videris, eos ne imiteris, *qui omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, judicant*; an vero eorum numerum augeas, *qui re semel audita ad unius auctoritatem se conferunt:* ut recte eos distinguit, quem mihi objicis, M. Tullius. Hoc quidem tuum de me judicium parum æquum est, imo parum Cartesianum: medicinam enim tu facere paras, antequam de morbo meo tibi constet: incautas infantiæ opiniones nimis facile, & ob levissimas, ut plurimum, caussas susceptas, me cum nucibus nondum deposuisse judicas, atque isti malo isthoc Ciceronis dicto mederi vis; quem quanti faciam, tu non ignoras. At decebat verum Cartesii discipulum assensionem tantisper sustinere, donec argumentis meis serio ponderatis, eorum sive robur sive infirmitatem *clare*, ut loquimini, & *distincte percepisset.*

Sed bene est, quod parum à me exspectatis, eo enim facilius spei vestræ satisfaciam. Id solum te nunc, Polymathes, oro, ut Cartesii & eorum, qui eum secuti sunt, de infinitate mundi sententiam breviter, ut soles, & dilucide exponas, ne, quod quibusdam accidere video, pro opinione Cartesii proprii cerebri commenta refellam, sicque cum umbra pugnando risum omnium excitem. Hic Polymathes posteaquam aliquoties frustra Dædalum rogasset, ut has ille partes exciperet, tandem ad me respiciens sic exorsus est:

Pol. Principio, ne tu, Philalethes, existimes, nos conditorem rerum omnium cum opere suo confundere, accuratè distinguimus inter *infinitatem perfectionis* & *extensionis*; quarum illam soli DEO vindicamus, hanc mundo non negamus. Mundum tamen infinitæ extensionis dicere non sustinemus. Etenim pro certo affirmare mundum revera infinitum esse, non auserimus. Forte limites habet, sed qui à solo DEO uti definiri ita etiam concipi possunt. *Indefinitum* vocare malumus; non eo tantum, quod qui & ubi sint fines mundi, accurate dicere nequeamus, hoc enim dubio caret; sed quod, esse aliquos mundi fines, neque demonstrare neque omnino concipere possimus. Fiat enim periculum; concipe fines mundi; nusquam concipere poteris, quin simul extra hos fines spatium imagineris, quod nomine tenus quidem vacuum & nihil, re autem vera extensum & corpus est. Quod si limites ulterius promovere lubet; idem tibi semper eveniet; plane ut ubicun-

ubicunque tandem terminos fixeris, fieri nequeat, quin mens tua eos transiliat, & in nescio quæ loca imaginaria exspatietur. Hoc cum omnibus commune sit, prorsus (ut sapientissimi quique sibi ab his spatiis, extra quoscunqne mundi fines concipiendis, temperare non possint) consequens est, non ex mentis imbecillitate id provenire, sive aliqua imaginationis petulantia; sed inde omnino, quod cum non alium mundi conceptum habeamus, nisi indefiniti, sensui nostro repugnet mundum finitum concipere. Habes breviter Cartesii meamque de mundi infinitate sententiam. Sed numquid dissentis Dædale?

Dæd. Dilucidè, ut mihi quidem videtur, rem expedivisti. Tuum nunc, Philalethes, est, aut vitium ostendere in ratiocinatione Cartesii; aut aperire, quo pacto fines mundi concipi possint; aut omnino mundum finitum esse, evidentia demonstrationum evincere.

Phil. Faciam hæc omnia sedulo. Ac primo quidem miror neutrum vestrum vitium in Cartesii argumentatione animadvertere. Quis enim non videt eum *imaginationem* hic cum *conceptu puro*, ut aiunt, confundere? Nempe ab una parte vidit acutissimus Philosophus, secum pugnare eos, qui spatia imaginaria, id est spatiosum nihil, extra mundum fingunt, cum omne spatium, & quidquid adeo imaginamur, non nihil, sed revera extensum & corpus sit. Ab altera parte mundi fines imaginari aggressus, non potuit, quin extra hos fines spatia hæc imaginaria vel invito occurrerent; sive, quod idem est, non potuit imaginari terminos mundi, quin extra eos aliud corpus imaginaretur mundum undique ambiens, ac proinde ad eum pertinens. Quæ inter se cum manifeste pugnent, clare animadvertit; fieri non posse ut mundi fines quis imaginetur. Sed quoniam ad distinctionem *imaginationis* & *conceptus puri* tum non attendit (ut in spatiis imaginariis refutandis occupato facile accidere poterat) negavit omnino fines mundi concipi posse.

Pol. Imo notissima, ô noster, hæc nobis distinctio est, & Cartesio perquam familiaris. Est sane *conceptus purus, quo rei essentiam & attributa, ut sunt ipsa per se, sine ulla imagine corporea concipimus*: sicut mentes concipimus, earumque actiones, intelligere, judicare, appetere, &c. ipsumque adeo nihil. *Est deinde conceptio, qua rei alicujus imago corporea in cerebro depingitur: quæ, si ex occasione corporis alicujus præsentis extra nos, corpus nostrum quodammodo pulsantis oritur, visio; sin à spiritibus producentibus in corpore motus similes iis, qui à corpore præsente extra nos producuntur, imaginatio dicitur.* Ita tua, Philalethes, imago animo meo observatur non modo cum te præsens intueor, sed etiam cum procul à te sum remotus. At Cartesium hæc confundere, quorum ipse toties nobis distinctionem inculcat, & qui, si quisquam, mentem à sensibus & imaginibus abstrahere potuit; id vero est, quod haud ita facile tibi assentior.

Phil. Faxo assentiaris: id modo nunc velim concedas, multa esse quæ *concipere* possumus, *imaginari* non possumus.

Pol. Haud equidem inficias iverim, si de rebus spiritualibus loqueris.

Idemne vero de corporibus eorumque præsertim magnitudine, de qua nunc agimus, dici possit, subdubito.

Phil. Immo dubitare desine; infinita pene sunt, quæ non imaginamur, concipimus tamen. Huc, ut prætermittam alia, referenda sunt omnia universalia, rerum essentiæ omnes, ipsumque adeo corpus in genere & ejus essentia; singularia enim cuncta sunt, quæcunque sub imaginationem cadere possunt. Quid clarius concipimus numeris? Verbi caussa, numerum millenarium concipio clarissime; sed tu imaginare simul, si potes, mille corpora, ut ego concipio mille unitates. Adde corpora singularia quam plurima, figuram ex magno angulorum numero constantem, qualis, verbi gratia, est mille-angulum; circulum perfectum; icosaëdrum, sive aliud corpus ex multis hedris compositum; globum penitus rotundum aut omnino integrum: motum, aut velocem nimis aut lentum; materiæ in infinitum sectionem. Et, quia vis, ut de magnitudine loquar, pleraque imaginari non possumus propter parvitatem, plura propter magnitudinem. Quis unquam imaginem in cerebro depinxit millesimæ partis hujus pulvisculi, quem vel totum vix microscopii ope percipis, & à nihilo distinguis? Quis unquam tantam imaginem corporis mente formavit, quam non hæc quam pedibus calcamus tellus, multum superet? Plura, si plura requiris, proferam. Hæc autem, quæ attuli, quanquam nemo imaginari possit, percipimus clarissime, demonstramus evidenter, atque inde alias demonstrationes deducimus, quarum pleni sunt Geometrarum libri.

Dad. Satis est. Cedimus veritati: *Imaginatio* longe angustior est *conceptu puro.* Sed jam istud, nisi grave est, ostende; rationem Cartesii nihil aliud evincere, quam nos fines mundi *imaginari* non posse, non illud præterea, plane eos non posse *concipi.*

Phil. Isthuc ibam. Quod si igitur ostendero, quid sit, quod impediat, quo minus terminos mundi imaginari queamus, simulque probavero, illud ipsum minime impedire, quo minus possint concipi; apparebit, spero, satis, Cartesium à Phantasia sua fuisse delusum. Sed videbuntur hæc forte, quæ dicturus sum, difficiliora & plane metaphysica; quare vos omnem mentis aciem intendite; ego, quantum in me est, dabó operam ut à vobis intelligar.

Infinitum absolute sic dictum est, quod continet omnem rem, sive omnem perfectionem, quæ aut esse aut etiam concipi potest: id vos *infinitum perfectione* vocare soletis. *Infinitum secundum quid*, verbi caussa *extensionem*, est, quod omnem extensionem complectitur, quæ & esse potest & intelligi: hac ratione vos mundum infinitum dicitis. Hinc, quid finitum utroque modo sit, cuivis facile intellectu est. *Finitum perfectione* est, quod non omnem rem sive perfectionem continet, quæ & esse potest & mente concipi. Sic mundum, tametsi extensione infinitum esse vultis, finitum tamen esse affirmatis. Est autem *extensione finitum*, quod non omnem extensionem sive *possibilem* sive omnem *intelligibilem* habet.

Ex his apparet, qua ratione fines rei cujuscunque concipere possimus. Concipienda enim primum est res ipsa, quasdam perfectiones habens; deinde præter eas concipienda est aliqua perfectio ulterior; & demum neganda est hæc perfectio huic rei, quam concepimus; sive concipiendum est, perfectionem ulteriorem, quæcunque demum sit, ab hac re abesse. Sic, cum numerum ternarium finitum esse dico, apprehendo mente primo numerum constantem tribus unitatibus; præter has unitates concipio alias plures; eas denique nego numero hoc ternario contineri. Ita mentem meam finitam esse mihi constat. Nam intelligo eam quasdam habere perfectiones, præter quas aliarum perfectionum ideas habeo, easque nego menti meæ inesse. Pariter (ut de extensione dicam) hoc conclave finitum esse affirmo, quia præter eas extensionis partes, quas video hypocaustum continere, alias concipere possum, quas nego ad hoc hypocaustum pertinere.

Satis jam meo judicio *clare distincteque*, ita enim omnia *percipere* vultis, intelligitur, quid finis rei sit: videlicet *negatio sive absentia rei alicujus ulterioris, perfectionis nempe sive extensionis; aut revera existentis, aut possibilis, aut omnino intelligibilis.* Hinc tandem manifeste efficitur, nos fines nullius rei imaginari posse, quis enim imaginetur negationem, absentiam, nihil? Aut si vos imaginem ejus in animo impressam habetis, qua figura, quo colore, qua magnitudine sit, aperite. Sed, si omnino negationem, atque adeo finem cujuscunque rei, sub imaginationem non cadere conceditis; ratio, quare fines mundi imaginari non possimus, aperta est. Quippe si nullam negationem, aut nullum finem, imaginari possumus, qui, quæso vos, fines mundi imaginemur? Jam vero hæc ratio non vetat, quo minus concipiamus fines mundi: non enim perinde fieri non potest, ut negationem quamcunque finemque concipiamus; nisi forte existimatis me hæc dicentem Psittacorum more inanes sonos edere. Ostendi igitur satis, nisi fallor, quid impediat, quo minus fines mundi imaginari possimus, simulque illud ipsum non impedire, quo minus queamus eos concipere; id quod me facturum promisi.

Pol. Ego vero, quanquam omnem mentis aciem intendi, tamen hujus tuæ demonstrationis vim nondum assequor, illud præsertim quod ais, nullius rei terminos nos imaginari posse. Quid? tene imaginari non posse terminos hujus globuli, quem manibus teneo? Quin aspice, nihil facilius est.

Phil. Difficilius forte quam videtur. Sed tu, cui res adeo expedita apparet, dic mihi, ubi imaginaris fines hujus globuli, in globone an extra globum?

Pol. Rogas? In globulo: numquid imaginor ipsam superficiem extremam globuli?

Phil. Hæc igitur superficies extrema est finis ejus. Sed jam mihi expone: si superficies nunc extrema motu ad centrum globi deferretur, tuncne fines ejus imaginareris prope centrum?

Pol. Illudis.

Phil. Atqui ſic factum oportet, ſi hæc extenſio, quam nunc extremam imaginaris, finis eſt.

Pol. Garris. Superficiem hanc extremam finem eſſe dico, non quia eſt finis ipſa per ſe, ſed quia extrema eſt.

Phil. Teneo; diſtinguis inter *rem extremam* & ipſam *extremitatem*. Finis rei non eſt ipſa res extrema, ſive aliquid rei inhærens, alioquin ubicunque res eſſet, finis eſſet; ſed ipſa extremitas. Jam quæro, quid vocas extremum?

Pol. Quaſi neſcires: extra quod nihil eſt, quod ad corpus pertinet.

Phil. Eſt igitur extremitas, ſive finis, nihil aliud quam negatio, ſive non exiſtentia corporis alicujus extra hanc ſuperficiem pertinentis ad hunc globum. Nunc rogo: illam negationem, illam nonexiſtentiam corporis ulterioris, illud nihil extra ſuperficiem globi, tune imaginaris?

Pol. Non poſſum.

Phil. Vides igitur te extremitatem finemque hujus globi non imaginari.

Dad. Manum da Polymathes Sed heus tu! hujus globi terminos ego imaginor extra globum: quum videlicet imaginor extra globum extenſionem ulteriorem.

Phil. Falleris. Illa enim extenſio, quam imaginaris, ad hunc globum pertinet.

Dad. Nego pertinere.

Phil. Qui ſcis?

Dad. Quia, qui ſint hujus globi termini, video.

Phil. Itaque extenſio illa extra globum non eſt globi terminus; ſiquidem inde tibi conſtet, extenſionem eam non pertinere ad globum, quia globi termini jam ante tibi ſunt noti.

Dad. In circulum vertor.

Phil. Ego te expediam, tu me ſequere. Imaginor globum hunc ejusque ſuperficiem extremam: præterea imaginor extenſionem aliam, non ita opacam ut globi, eam undique ambientem. Huc uſque nullos fines concipio. Jam concipio, non autem imaginor, nullam extenſionem ad hunc globum pertinere præter illam opacam, quam video: ſive concipio nonexiſtentiam cujuscunque corporis ad hunc globum pertinentis præter hoc opacum, & hoc proprie eſt finem globi concipere. Inde colligo, extenſionem iſtam pellucidam, quam circa hunc globum imaginor, ad eum non pertinere. Manet itaque hoc fixum & immobile, *nos fines nullius rei imaginari poſſe*, ac proin mirum non eſſe, ſi fines mundi imaginari nequeamus. Sed cum nihil, negationem, atque adeo fines rei alicujus, facile concipiamus, nulla hactenus cauſſa ſubeſt, quare terminos mundi concipere non poſſimus.

Pol. Tibi quidem hæc videri poſſunt immotæ veritatis: mihi verò plusquam Bœotica ænigmata videntur, & vel numeris Platonicis obſcuriora. Quare, niſi clariora habes, ne ſpera, te hodie me in ſententiam tuam pertracturum.

Phil.

Phil. Credo equidem, te non ita facile assequi, quæ neque ego, nisi aliquantula meditatione, sum assecutus. Tu igitur in angulum hunc concede, & hæc, quæ hucusque dixi, ut ego olim feci, serio tecum meditare. Ego tantisper cum Dædalo nostro fabulabor. Sed quid te hisce leniter arridere, Dædale, video: scilicet quod longiuscula meditatione me assecutum esse dico, quæ tu, pro incredibili tua percipiendi celeritate, sine ullo meditationis tædio, jam omnia me melius percipis.

Dæd. Mihi vero, non diffiteor, plana videntur & aperta. Nunc istud amplius expone, quomodo velis, ut mundi fines, quos me imaginari vetas, sine repugnantia concipiam.

Phil. Faciam; tu modo mentem ab omnibus rerum corporearum imaginibus vacuam affer. Id mihi primo largieris; si corpus aliquod finitó numero partium constans, præter quod nihil omnino sit, concipere sine repugnantia possimus, mundum finitum nos concipere posse.

Dæd. Negare non possum: mundum enim finitum concipere nihil aliud est, quam corpus aliquod ingens concipere, finito partium numero constans præter quod nihil sit.

Phil. Age igitur, concipe corpus aliquod finitum quodcunque lubet.

Dæd. Concipio globum hunc, quem terraqueum vocamus.

Phil. Numquid globus iste alio corpore ad existendum indiget?

Dæd. Minime vero.

Phil. Potest igitur existere, etiamsi nullum aliud corpus existat. Hoc concipis sine repugnantia. Jam finge existere, nihil finges quod repugnet, sive quod fieri non possit.

Dæd. Certè.

Phil. Hoc autem cum fingis, dic mihi, numquid ideam habes corporis finiti præter quod nullum existit.

Dæd Fateor.

Phil. Ita mundum concipe, & finitum concipies.

Dæd. Nunc demum sentio, me captiosis tuis interrogationibus esse circumventum.

Phil. Immo veritate victus es. Jam alia te aggredior via. Tellurem hanc, quam pedibus calcamus, finitam esse credis?

Dæd. Quid ni credam, cujus ambitum & diametrum graduum & milliarium numero metiri soleo, cujus semidiametro cœlos metior?

Phil. Recte. Jam finge te ad centrum telluris devolvi. Omnia corpora, quæ nunc extra terram in infinitum, ut existimas, extenduntur, in nihilum redire: istud tibi in centro terræ constituto revelari. Tune mundum tunc infinitum conciperes?

Dæd. Nescio.

Phil. Conciperes utique finitum; quia finita tellus tunc totum mundum constitueret. Quid enim? Hæccine, quam nunc clare finitam esse intelligis, cujus ambitum diametrumque metiris, cujus semidiameter tibi ulnæ loco est ad

cœlos metiendos, tunc nescio qua metamorphosi infinita tibi videretur, quamvis ei ne hilum quidem accessisset? Haberes igitur conceptum corporis finiti, extra quod nullum esset corpus. At quid impedit, quæso, quin mundum nunc, majorem quidem, finitum tamen, concipias, quod tunc facillimum esset?

Dæd. Quia non possum, quin spatia imaginer extra mundum, quod repugnat.

Phil. At ego nolo ut imagineris. Etenim si phantasmatis istis frænum laxares, hæc spatia imaginaria extra terram usque animo occurrerent. Sed ridiculus esses, si tum diceres, tametsi non modo concipere possim, sed certo sciam mundum finitum esse; licet ejus ambitus, diameter, aliaque mihi nota sint; tamen eum sine repugnantia finitum concipere nequeo; quandoquidem fines ejus imaginari non possim, quin extra eum spatium imaginer, id est, aliud corpus ad eum pertinens. Itaque vel hoc exemplo disce, purum conceptum à fallacibus phantasmatis & idolis distinguere.

Pol. Serio mecum perpendi, quæ de finibus rerum, Philalethes, dixisti: quæ mihi, fatebor enim, primo intuitu obscura, plana nunc & evidentia videntur. Id tibi assentior, fines rei, si accuratè loquamur, sub imaginationem non cadere. Do etiam illud; Cartesium nihil aliud probare, quam nos terminos mundi nusquam imaginari posse. Sed quænam, explana mihi, certissima fines mundi concipiendi via est?

Phil. In eo sumus ego & noster Dædalus. Me quidem hæc toties iterare piget.

Dæd. Videor mihi, Philalethes, satis percepisse sententiam tuam, quam nisi molestum est tua audire, Polymathi exponam. Nunc igitur hoc age. Considera lineolam hanc in charta hac depictam. Possesne concipere lineam constantem mille lineolis hujus magnitudinis?

Pol. Egone? Concipere possum, imaginari non possum.

Phil. Distincte, laudo.

Dæd. Concipis, quid sit extensio, quid negatio, quid negatio extensionis sive longitudinis?

Pol. Clare & distincte omnia.

Dæd. Jam concipe lineam constantem mille lineolis hujusmodi, & præter hanc negationem cujuscunque longitudinis. Numquid finitam lineam concepisti, præter quam nulla sit longitudo? eodem modo finitum corpus poteris, præter quod nulla sit extensio; & ita demum mundum concipe. Tuum nunc est aut aliquam in conceptibus istis ostendere repugnantiam, aut, si nulla est, fateri, nos mundum finitum concipere posse.

Pol. Videntur equidem hæc omnia cohærere. Atat! quandocunque fines mundi concipio, imaginationem continere non possum, quin in nescio quæ spatia extra eos evagetur: quæ cum accuratius considero, video corpora esse pertinentia ad hunc mundum, hocque adeo & vobis identidem evenire non potestis diffiteri. Vos igitur facite, fingite, dicite, quidquid libuerit, vel hæc spatia imagina-

gina-

ginaria extra mundum fingendi pertinacia, omnibus hominibus communis, vos convincere poteſt, nos omnino mundi indefiniti ideam habere.

Dad. Quid tibi videtur Philalethes? Hoc quidem non de nihilo eſt.

Phil. At vos erratis vehementer, ſi hanc ſpatia extra mundum fingendi libidinem, inſitæ nobis ideæ mundi indefiniti argumentum eſſe putatis, quippe quæ non niſi ex inveteratis infantiæ erroribus oritur, quorum duos ego potiſſimum obſervo. Primus eſt, quod tum demum nobis fines corporis alicujus concipere videmur, cum corporis cujuſpiam craſſi & opaci ſuperficiem imaginamur, extra quam aliud ſit ſubtilius & pellucidum; qualiter terræ fines nos imaginari putamus. Unde eſt, quod, cum finium mundi mentio fit, nos partem aliquam, quam extremam dicimus, paulo craſſiorem imaginamur, extraque eam aliam ſubtilem & pellucidam, quam ſpatium & vacuum vocamus. Et ab hoc errore, quoniam ab ineunte ætate nobis adhæret, provenit hæc ſpatia extra mundum concipiendi pertinax conſuetudo. Altera infantiæ opinio, quæ nos ad fingenda hæc loca imaginaria impellit, eſt, quod nihil, ut ſpatium aliquod imaginari aſſueſcimus. Priuſquam enim ad Philoſophiam accedimus, aërem & quidquid aëre ſubtilius eſt, nihil & vacuum eſſe exiſtimamus, ac idcirco quotieſcunque de nihilo & inani cogitamus, ſpatium imaginamur aëri plane ſimile. Hic error diuturna conſuetudine altas adeo in animo radices egit, ut etiam Philoſophi homines, cætera minime contemnendi, ſpatium corpore vacuum, id eſt extenſum, figuratum, longum, latum, profundum & diviſibile nihil, inter duo corpora eſſe poſſe, dicere non vereantur. Hinc factum eſt, ut, ſimulatque audivimus, nihil eſſe extra mundum, ſpatium aliquod, i. e. corpus ſubtile in indefinitum extenſum pro nihilo imaginati fuerimus. Utque à teneris conſueſcere multum eſt, & quemadmodum ait Cicero, *maxima actio eſt repugnare viſis, obſiſtere opinionibus, aſſenſus lubricos ſuſtinere*: Inde adeo fit, ut ut etiamnum ſapientiſſimi, niſi exorbitantem phantaſiam coërceant, ſibi ab iſtis ſpatiis imaginariis extra mundum concipiendis temperare non poſſint. Sed propius vobiſcum pedem conferam. Dicitis, imaginationem hanc ſpatiorum extra mundum arguere, nos mundi indefiniti ideam habere. Sed quare, quæſo, non affirmatis, nos initium mundi concipere non poſſe, id eſt, mundum in conceptu noſtro eſſe æternum? par utrobique ratio eſt. Dic enim mihi, Polymathes, concipis ne mundum incepiſſe.

Pol. Nihil facilius.

Phil. Ante mundum igitur, præter DEUM, quid fuit?

Pol. Nihil.

Phil. Jam in te deſcende, teipſum excute, & vide, an non eandem in te ſentias propenſionem, nihil illud ante mundum ut ſpatioſum aliquod inane imaginandi, plane, ut nunc ſpatium extra mundum concipis?

Pol. Fateor idem mihi accidere. Cum enim imaginationem ſequor, ante mundum magnum & immenſum ſpatium, quod nihil quidem dico, ſed revera corpus imaginor.

Phil.

Phil. Itaque si imaginationi tuæ indulges, ad quod quidem omnes ab infantia sumus propensi, mundus in tuo conceptu æternus est, quia nullum initium concipis, ante quod non spatium aliquod imagineris, id est, mundum. Jam igitur vides, eodem modo, quo tu mundum infinitum probare conaris, me æternum esse evincere, saltem in nostra imaginatione, sive, ut tecum hæc confundam, in nostro conceptu. Attende enim quam hæc inter se sint similia. Tu solitus es ab infantia illud nihil, quod fuit ante mundum, imaginari, ut immensum aliquod spatium, idemque adeo nunc aliquando accidit. Idem mihi plane evenit, cum de nihilo extra mundum cogito. Illa imaginatio falsa est, & ex inveterato errore orta; illud nihil videlicet esse spatiosum. Idem de hac imaginatione dico. Non sequitur, imaginari non possum, nihil ante mundum fuisse; ergo mundus duratione indefinitus est. Pariter nego sequi, imaginari non possum, nihil esse extra mundum; ergo mundus indefinitus est extensione. Nihil fuisse ante principium Mosaicum, quamquam imaginari nequeamus, concipere tamen possumus. Ita, licet imaginari non possim, nihil esse extra mundum, concipere tamen possum.

Pol. Fateor denique non repugnare, si mundum finitum concipimus; modo ad distinctionem imaginationis & conceptus puri probe attendamus. Istud tamen non sufficit, ut finitum esse dicam, nisi id demonstratione aliqua evidenti probetur. Nihil enim adhuc quidem affirmare queo, nisi mundum finitum esse posse; sitne autem finitus an infinitus, plane nescio: quippe magnopere illud Luculli apud Ciceronem in Academicis probo: *Sapientem, cum ei res occurrunt, quas non habeat denotatas, retenturum assensum, neque unquam ulli viso assensurum, nisi quod tale fuerit, quale falsum esse non possit.*

Phil. Tu vero prudens admodum & circumspectus es veritatis indagator, quod tantum abest ut improbem, ut etiam hoc abs te flagitem. Equidem paratas habeo demonstrationes, satis quidem illas evidentes, si quid de nostris judicare possumus, sed nolo iis attentionem vestram, fortasse jam satis superque defatigatam, diutius exercere. Oportet enim defigere animum, *& intendere in ea quæ perspicua sunt, ut, quanta luce ea circumfusa sint, possit agnosci.*

Dad. Quin tu potius perge, ut cœpisti, Philalethes; nos, quoad fieri potest, vires recolligemus attentionemque renovabimus.

Phil. Siquidem ita vultis. Nunc igitur animum advertite, &, ut magis pateat demonstrationum mearum vis, quanto potestis opere mundum infininitum esse defendite. Te primum, Polymathes, rogo, mundus estne extensus?

Pol. Extensus in infinitum.

Phil. Habet igitur partes extra partes. Sed dic mihi, suntne illæ partes finitæ an infinitæ?

Dad. Quid si infinitas dicam?

Pol. Si de singulis loqueris, falsum est. Ita enim partes æquales haberemus toti, plura infinita, infinitum infinito majus. Ita infinito aliquid in infini-

infinitum addi posset. Denique mundus partem extra partem non haberet, si unaquæque infinita esset, atque adeo omne spatium impleret. Quare ego distincte respondeo : partes singulæ finitæ sunt, universæ infinitæ ; aut, si mavis, partium quælibet finita est, numerus sive multitudo partium infinita.

Phil. Intelligo. Quærere hic possem, utrum numerum infinitum sine repugnantia concipere possis : nunc hoc tantum mihi velim dicas ; singularum partium estne aliqua cum toto proportio ?

Pol. Affirmare non ausim ; partium enim unaquæque finita est, totum infinitum : nulla est igitur proportio partium cum toto.

Phil. Quid, quæso, sunt partes nullam habentes cum toto proportionem ? Immò puncta esse dic, non partes ; nam quidquid pars vocatur, pars dicitur respectu totius, & est, de integralibus loquimur, quod aliquam, sed non omnem, totius constituit magnitudinem. Jam si, ut fateris, pars mundi, quæcunque demum sit, nullam cum toto proportionem habet ; nullam cum toto collata habebit magnitudinem, ac propterea nullam magnitudinem totius constituet.

Pol. Mirum hoc tibi videtur ? an non terra dicitur puncti adinstar esse respectu cœlorum ?

Phil. Ita aiunt, quia nullam ejus respectu magnitudinem habet sensibilem : revera enim omnia hæc corpora finita sunt, cœlique omnes, quanticunque sunt, finitum habent numerum partium tantarum, quanta tellus est. Sed si mundus infinitus est, quæcunque partium, quantacunque demum sit, non modo non habet magnitudinem sensibilem respectu totius, verum nullam plane i. e. nullam totius mgnitudinis partem constituit, quæ penitus sunt ἀσύςατα. Hacque ratione fieri nequit, ut partem mundi concipiamus. Quod si enim multa myriadum millia vorticum mundi conjungeremus, eamque magnitudinem numero aliquo prodigioso, & quem pagina hæc non caperet, multiplicaremus, hancque multiplicationem multis seculorum myriadibus continuaremus ; magnitudo inde exurgens mundum non modo non superaret, sed ne æquaret quidem : quid dico æquaret ? Ne minima quidem pars ejus esset : ejusque non major esset cum mundo proportio quam 100000000. pars dentis pediculi, aut si aliquod aliud animalculum est, quod pediculum, perinde ut pediculus hominem, infestat. Immò omnis illa extensio pu ctum esset, nullam habens cum toto proportionem, nullam magnitudinem. Tu igitur videris, si mundum infinitum statuis, quo pacto partes ejus reperire possis. Verum, si hæc inter partes & puncta distinctio nimium subtilis vobis videtur, concedam mundo partes. Dabo etiam, pulvisculum hunc, quem vix visu percipimus, partem esse. Numquid amplius vis Dædale ?

Dæd. Quid ni esset ? aut enim hic pulvisculus pars est, aut nullam habet mundus.

Phil. Sed posset ille, manente hoc mundo, in nihilum abire. Fac igi-

tur, in nihilum redigi: nunc quæro, utrum mundus, qui pulvisculo hoc careret, adhuc infinitus esset, ut nunc infinitum esse dicis?

Dæd. Minime: posset enim ei aliqua pars addi.

Phil. Finitus igitur esset. Sed nunc mihi expone; si corpori alicui finito pulvisculus hic accederet, indene conficeretur corpus infinitum?

Dæd. Delirare me existimas? corpus finitum constat finito numero partium, qualis ille pulvisculus est: jam si finito numero additur unum, numerus inde non fit infinitus. Omnino ex duobus finitis non fit infinitum.

Phil. Si igitur minimus ille pulvisculus mundo, qui, eo in nihilum redacto, finitus est, redderetur, mundus esset finitus: finitum enim finito adderetur.

Dæd. Video quorsum tendas: sed negare non possum.

Phil. Atqui mundus tunc esset, quantus nunc est. Quod si igitur tunc finitus esset, nunc finitus est; qnod erat demonstrandum.

Dæd Quæro effugium.

Phil. Immo potius veritatem quære. Sed videte vel his clariora. Mundum dividi posse, Polymathes, affirmas?

Pol. Etiam: nam habet partes extra partes.

Phil. Divide igitur eum animo in duas partes.

Pol. Dubito, utrum fieri queat.

Phil. Facile istud quidem. Divide enim mente totum mundum cum Mose in cœlum & terram: Cœli nomine intellige omnem extensionem præter tellurem: partes sintne æquales an inæquales, non laboro. Id modo velim mihi dicas: sunt ne hæ partes finitæ an infinitæ?

Pol. Quid si finitas dicam? nihil est; infinitum componerem ex duobus finitis. Quid si infinitas? tantundem egero: terram finitam esse scio; præterea partes æquales toti, plura infinita cuderem. At sic opinor; non potest; immo optime. Audi Philalethes: dico alteram partium finitam esse, alteram infinitam.

Phil. Sic infinitum esset, præter quod alia esset extensio, & sic altera saltem partium æqualis esset toti. Tu hoc jurgium transfer ad Geometras.

Pol. Hæreo, Dædale, tu succurre.

Dæd. Ipse auxilio indigeo. Sed num plures demonstrationes hujusmodi habes?

Phil. En vobis aliam, quæ, nisi fallor, non minus vos constringet. Adspice hunc cubum, qui præ oculis est. Mundus integer quot talibus cubis sive partibus constat ejus magnitudinis, cujus est hic cubus?

Dæd. Nescio.

Phil. Neque ego sane scio: numerum tamen hujusmodi cuborum finitum esse existimo.

Dæd. At ego infinitum.

Phil. Ita debes. Sed, fac unumquemque horum cuborum in centum alias partes

partes dividi; quantum numerus omnium talium partium numerum cuborum ſuperaret?

Dæd. Centuplo major eſſet.

Phil. Recte. Priorem infinitum dixeras, hic igitur centuplo major erit infinito. Jam ſi attendis, cubum iſtum in infinitum poſſe dividi; conſequens eſt, numerum hunc, quem infinitum eſſe dicebas, in infinitum poſſe multiplicari. Et, quia numerus multiplicatus eſt numerus infinitus, ſi cubus iſte in 100000000. partes dividatur, qui ſit multiplicator, efficitur inde productum totidem infinitorum. Et ita infinito numero non tantum aliquid poteſt addi (quod ſi fieri poteſt, fateor me neſcire quid ſit infinitum) ſed addi poſſunt innumerabiles alii numeri infiniti, & hoc uſque in infinitum.

Dæd. Numquid habes, Polymathes, quod reſpondeas?

Pol. Ego vero nihil.

Dæd. Quin igitur veritatem amplectimur.

Pol. At tu, Dædale, exſpecta pauliſper, nimium mihi videris in judicando feſtinare; mihi ſane non hæc eſt conſuetudo, ut cedam protinus, ſimul atque argutiis quibuſdam impedior.

Phil. Optime iſtud quidem; ſed vide ne iſta tua conſtantia in pertinaciam abeat: nunquam enim veritati cedere inglorium eſt. Reſtarent aliæ demonſtrationes non minus meo judicio evidentes, quas afferrem; niſi viderem, me incaſſum laborare, &, quod aiunt, laterem lavare. Docet enim me exemplum veſtrum; ſi quis pervicaci opinione ſemel eſt imbutus, nulla eum rationum vi moveri: plane ut demonſtrationes clariſſimæ non niſi contorta ſophiſmata & captioſæ argutiæ ei videantur.

Pol. Immo, Philalethes, ſi veritatem, ſi nos amas, cœptum abſolve. Forte numero rationum movebimur, quos pondus non movet; forte etiam, ut fit, convincemur argumento aliquo, non illo quidem fortiori, ſed quod magis ad ingenium noſtrum eſt accommodatum.

Phil. Nihil eſt, quod æque faciam lubens, modo hoc à vobis impetrem, ut chariorem habeatis veritatem, quam cujuſcunque Philoſophi auctoritatem. Dic igitur mihi, Polymathes, mundus habetne trinam dimenſionem?

Pol. Quidni habeat? extenſum dicimus.

Phil. Sed longitudo, latitudo & profunditas mundi, ſuntne finitæ an infinitæ?

Pol. Unaquæque infinita eſt.

Phil. Longitudo itaque eſt infinita: At, poteſtne infinitum dici, præter quod alia extenſio eſt, quæ ei deeſt?

Pol. Non. Terram ideo finitam eſſe dico: quia præter terram, aliam extenſionem eſſe ſcio, quæ ei deeſt.

Phil. Longitudo igitur mundi non eſt infinita; quia deeſt ei omnis extenſio, quæ in latum & profundum porrigitur.

Pol. Adeone me idoneum eſſe exiſtimas, cui ſophiſmatis talibus illudas?

Phil. Faxo videas hoc non esse sophisma. Age igitur, concipiamus lineam rectam per longitudinem mundi ductam infinitam esse (talis enim, si mundi longitudo infinita est, concipi debet.) Jam, si præterea latitudo & profunditas infinita est, patet ab utraque parte hujus lineæ infinitas alias lineas rectas esse, huic parallelas: & supra hanc lineam infinitas alias, infrà eam totidem: atque ita supra infraque unamquamque parallelarum à lateribus datæ lineæ infinitas itidem parallelas esse; quæ singulæ datæ lineæ sunt æquales, i. e. infinitæ. Nunc concipiamus omnes illas lineas in unam conconjunctas; sive conjungamus conceptu omnes has lineas. Rogo, sitne longitudo omnium linearum conjunctarum major longitude datæ lineæ?

Dæd. Immo infinities infinitis vicibus major est.

Phil. Sed longitudo, qua infinities infinitis vicibus majorem concipis, quantum distat ab infinita?

Dæd. Immane quantum. In eo autem erras, quod lineam aliquam aggregatam fingis ex omnibus istis lineis. Fateor, si hæ lineæ inter se possent addi, constituerent lineam infinita plusquam infinities majorem: sed hoc fieri non potest.

Phil. Esto; eas saltem conceptu conjungere possumus. Ut enim concipere possum longitudinem unius lineæ seorsim, ita concipio longitudinem omnium linearum conjunctim; perspicuumque mihi est, longitudinem omnium linearum majorem esse quam singularum: atque, si lineæ illæ & magnitudine & numero infinitæ sunt, clare percipio, longitudinem omnium linearum conjunctim infinities infinitis vicibus esse majorem una linea seorsim. Linea igitur data, atque adeo mundi longitudo, immane quantum distat ab infinita: id quod erat demonstrandum. Sed lubet amplius tecum contendere. Negas lineas inter se addi posse: quare autem? estne aliquid in linea quod impediat, an ultra lineam?

Dæd. Non ultra lineam; nihil enim ultra eam est: ipsa linea hoc impedit, quia infinita est.

Phil. Quia infinita est? hoc, si quem habet sensum, hunc habet: quia linea hæc omnem habet longitudinem, quæ & esse & concipi potest; sive, quod idem est, quia nulla longitudo neque est, neque concipi potest, qua linea hæc careat. Sed, an non infinitas lineas concipio, easque revera existentes, quarum unaquæque propriam habet longitudinem infinitam, quæ huic lineæ deest: non igitur omnem habet longitudinem; adeoque non est infinita.

Dæd. Exspecta. Bene. Omnem habet longitudinem specie, non numero: quamcunque enim longitudinem sive bipedalem sive tripedalem, & ita in infinitum, habet aliqua harum linearum; data etiam habet, eandem specie videlicet, non numero.

Phil. Certam mihi victoriam polliceor, cum te, præter morem, ad has distinc-

distinctiones confugere video. Sed quid ais? si alius mundus esset præter hunc nostrum ei plane similis; esset ne hic noster infinitus?

Dad. Quorsum hæc? Nequaquam: quia hac ratione mundus non omnem haberet extensionem; siquidem esset præter hanc extensio alia ad mundum non pertinens.

Phil. Erras. Haberet omnem extensionem specie, non numero: quippe nullam extensionem sive bipedalem, sive tripedalem, & ita in infinitum, haberet alter ille mundus; quam iste noster non haberet, specie videlicet, non numero, eandem. Vides igitur tuæ responsionis soliditatem.

Dad. Irretitus sum.

Phil. Plurane requiris, ut tandem assentiaris huic veritati; lineam nempe rectam per totam longitudinem mundi ductam non esse infinitam. Alia in promptu sunt: quod si enim recta infinita est, quanta erit curva?

Pol. Nescio; sed major sine dubio.

Phil. Atqui uti linea recta, ita etiam curva, v. gr. spiralis vel conchalis, concipi potest per totam mundi longitudinem ducta. Hæc rectâ, ut fateris, major est; sed numquid infinito majus concipi potest?

Pol. Nescio; nam ego finitus sum, atque idcirco infinitum conceptu meo adæquare nequeo.

Phil. Credo. Sed hoc saltem scis: si linea aliqua data longior est, datam non omnem habere longitudinem, quæcunque esse & concipi potest; atque adeo ei aliquid deesse i. e. eam non esse infinitam.

Pol. Equidem cogor his assentiri.

Phil. Gaudeo: namque hæc tandem firma assensio & stabilis est, ad quam cogimur. Sed nondum desero hanc unicam rectam per mundi longitudinem ductam, ut vel palpetis, quantum ea ab infinita dissideat. Fingite mecum, DEUM omnem mundi extensionem in filum tenuissimum mutare: totum hoc filum circa centrum terræ volvi & glomerari usque in infinitum, adeo ut totus mundus nihil aliud sit, quàm glomus aliquod fili tenuissimi, atque propterea hoc glomus ejusdem magnitudinis esse, cujus est totus mundus, id est infinitæ. Jam quæro: num linea recta, quæ per totum glomeris medium ducitur, esset infinita?

Pol. Quid ni, si totum glomus infinitum est?

Phil. Sed longitudo fili circa centrum terræ glomerati, an non multo major esset, longitudine lineæ per medium glomeris ductæ?

Pol. Sine dubio.

Phil. Linea recta igitur per medium glomeris ducta non esset infinita: siquidem alia longitudo esset hac multo major, videlicet longitudo totius fili circa centrum terræ glomerati.

Pol. Sed quo hæc omnia tendunt?

Phil. Non vides? nempe ita patet lineam rectam, quæ per longitudinem mundi ducitur, non esse infinitam; quia æqualis est ei lineæ, quam finxeram per medium glomeris infiniti transire.

Dæd. Sed tune existimas igitur, lineam infinitam omnino sine repugnantia concipi non posse?

Phil. Ita sane: & ab hac sententia abduci nequeo, nisi solide quis vestrum ad hanc demonstrationem respondeat; eam autem, nisi vestra audiendi patientia deficit, breviter hic denuo proponam. Videtis hanc lineam.

b a c

Constituamus eam esse infinitam, & ultra terminos *b.* & *c.* in infinitum protendi. Dividatur hæc linea in puncto *a.* Manifestum est has partes inter se esse æquales; quia utraque incipit in puncto *a.* & protenditur in infinitum. Nunc te, Dædale, rogo: hæ duæ partes suntne finitæ an infinitæ?

Dæd. Finitæ.

Phil. Ita ex duobus finitis componeretur infinitum, quod repugnat.

Dæd. Fateor errorem. Infinitæ sunt.

Phil. Jam in Scyllam incidis: ita partes essent æquales toti; infinitum enim infinito æquale est. Præterea vides, utramque partem in puncto *a.* terminari; non igitur finibus & terminis caret. Quid tu, Polymathes, ad hæc?

Pol. Habeo quod respondeam. Utraque harum partium ab una parte finita est, nempe in puncto *a*, ab altera infinita, quia ultra puncta *c.* & *b.* in infinitum extenditur.

Phil. Callidè, acuté, nihil supra. At ego quæro, an numerus partium talium, qualis linea *a b.* & *a c*, in utravis sectione lineæ infinitæ sit infinitus?

Pol Ajo.

Phil. Sed num ille numerus, cui æqualis potest addi, & cujus duplum non modo concipio, sed est revera in rerum natura, infinitus est? Quod si etiam hoc ais, numerus infinitus non omnes habet unitates, sed præter eum concipi possunt totidem unitates, quibus ille careat, eique possunt addi. Hoc autem si non repugnat, quid tandem erit quod repugnet?

Pol. Sed quid, si finito partium numero hujus magnitudinis, qualis linea *a b.* constare dico utramvis sectionem datæ lineæ?

Phil. Linea igitur data est finita; quia duo numeri finiti inter se additi efficiunt numerum finitum; id quod erat demonstrandum.

Hæc pluribus persequi volebam, nam possunt, quemadmodum veritate clare intellecta nihil fœcundius est, multa inde deduci, quæ in hac ipsa de mundi infinitate controversia non leve momentum habent.

Cicero. l. 4. Academ. quæst.

Sed satis jam, satis, exclamat Dædalus, veritati restiti: *necesse est tandem, ut lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere:* quippe juvat sæpius cum M. Tullio loqui.

At Polymathes: Et ego sane, quid impediat, quo minus tibi assentiar, non video. Neque enim adhuc Cartesii de infinitate mundi opinionem pugnaciter sive publice sive privatim propugnavi: neque librum de ea conscripsi, vel saltem librorum alicui, quos nullos composui, meam, quam huc usque tenui, sententiam

tiam inſerui, quam, ut vulgo ſibi perſuadent, omne reliquum vitæ meæ tempus defendere meæ famæ interſit. Ego vero: Gratulor, inquam, gratulor mihi, aut potius veritati, á qua tandem vos vinci patimini. Hoc unum opus erat, ad me in ſententia mea penitus confirmandum. Quanquam enim mea omnia clariſſima mihi videbantur: diu tamen vacillavi, cum quis ego ſim, quis Carteſius fuerit, diu multumque mecum cogitavi, ſed plane aſſenſu veſtro omnem mihi ſcrupulum exemiſtis. Videte tamen, quantus veritatis amator ſim. Tametſi meæ demonſtrationes mihi evidentiſſimæ videantur, quemadmodum ſpero, & aliis eas viſum iri, qui aliquantulum temporis, attentionis, meditationisque ad hæc accuratius expendenda ſibi ſumere voluerint; nihilominus paratus ſum ſententiam mutare quandocunque vel vos vel alius quiſpiam erroris me convincet: id quod vobis omnibusque veritatis ſtudioſis ſanctiſſime polliceor. Fateor quidem nihil eſſe difficilius, quàm ſententiam mutare ſemel in animo conceptam, publice prolatam, argumentis etiam confirmatam; quæ argumenta, præterquam quod firmiſſima videntur, tanto magis nobis placent, ſi ea induſtria noſtra inventa eſſe credimus; ſed ſuperabit, ſpero, has difficultates veritatis amor, quo nihil antiquius & habui adhuc, &, dum vivam, habebo. Placuit enim mirificè ſemper, & placet adhuc illud Senecæ: *Non eſt levitas à cognito & damnato errore diſcedere, & ingenue fatendum eſt: aliud putavi, deceptus ſum. Hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt: quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit.* Sed ſatis jam, forte etiam nimis, philoſophatus ſum. Quibusdam enim, ut jam ſuo ævo querebatur Cicero, *totum hoc diſplicet philoſophari.*

Senec l. 4. de benef. cap. 38.

Cicero. de fini.

Hæc quum dixeram, unusquisque noſtrum ad ſacra ſtudia & diviniores literas, ad quæ omnia referre ſolemus, reverſus eſt.

DE
FIGURA MUNDI THESES.

Thesis I.

MUNDI *figuram* & ingentis hujus Patriæ noſtræ pomœria paucis deſcribere nobis propoſitum eſt. Neque Titanicus iſte eſt conatus, non *Pelion Oſſæ* ſubjicere, non cœlum ſcandere molimur: viam inimus, ſi non certiorem, ut nobis quidem videtur, ſaltem faciliorem & tutiorem, & in qua nihil, præter mediocrem mentis attentionem, erit moleſtiæ.

II. Ne tamen quidquam in hac via nos moretur, præmittenda eſt accuratior figuræ corporum conſideratio. Tria in iis probe diſtinguenda ſunt, quæ adhuc confuſa fuerunt: *partes extremæ* corporis, partium *extremitas*, denique harum *partium ſitus juxta ſe & partes interiores*. Primum res eſt & aliquid ad ſubſtantiam pertinens; ſecundum nihil eſt, & non niſi extenſionis ulterioris ad corpus pertinentis negatio; tertium modus eſt corporis, quam vulgò *figuram* appellamus.

III. A

III. At si figura & finis sive extremitas corporis distinguuntur, separari tamen non possunt. Ut enim finem sequitur figura, ita figura finem corporis requirit. Tametsi enim, cum corpori extrinsecus aliæ partes undique accrescunt, partium, quæ modo extremæ fuere, situs juxta se & partes interiores idem maneat; hic tamen situs partium figura non amplius dicitur, non aliam ob caussam, quàm quia hæ partes non sunt amplius extremæ, & negari non potest, ultra eas alias ad corpus pertinentes esse. Atque hæc est caussa, quare infinito corpori, si tale fingere liceret, figura nulla tribueretur.

IV. Neque tamen ideo, quod figura infinitum corpus careret, finito imperfectius foret, aut res aliqua in finito esset, quæ non esset in infinito: quidquid enim rei in figura est, certarum quarundam partium situs inter se & alias interiores, id omne esset in infinito; extremitas iis partibus deesset, quæ mera est negatio. Facile possum in corporis infiniti portione certarum quarundam partium inter se & interiores situm concipere, qui tamen figura non appellatur: non quod iis partibus aliquid desit, sed quod ultra eas aliæ sint partes ad idem corpus pertinentes. Quod si autem ultra eas omnis reliqua extensio corporis infiniti in nihilum abiret, aut saltem motu ab iis divideretur; tum vero ille partium situs figura diceretur, non quod iis quidquam accessisset, sed quoniam partes extremæ essent, i. e. quoniam ultra eas nihil esset, aut saltem nihil ad idem corpus pertinens.

V. His præmissis, duo sunt nobis demonstranda; primum *esse aliquam mundi figuram*; tum, *qualis illa sit*. Prius demonstratum jam à nobis est, cum fines mundo asseruimus. Quod si enim fines habet, partes habebit extremas, quæ esse non possunt, nisi certum inter se & alias interiores situm obtineant, quam figuram esse diximus.

VI. At enim, ais, si fines mundi concipi non possunt, nec figura poterit, quæ fines requirit: neque repetenda hîc est fastidiosa distinctio, nos, ut fines mundi, ita ejusdem figuram *concipere* posse, *imaginari* non posse. Negamus enim fines corporis sub imaginationem cadere, quia negationem imaginari non possumus. Sed quid? nulliusne corporis figuram imaginabimur? At illa quidem, ut ipsi fatemur, pura negatio non est: immo quid tandem imaginabimur, si corporum figuras non imaginamur? Quod si aliquam igitur mundus figuram habet, licebit eam imaginari.

VII. Licet sane, dummodo ne in figura aliud imaginari velimus, quàm quod in ea revera est; partium nempe quarundam inter se & interiores certum situm: at si unà earundem extremitatem imaginari velimus, quæ nihil sive negatio est, non licet. Videmur quidem nobis, non diffiteor, eam imaginari in corporibus, quamdiu ab aliis cinguntur; sed fallimur. Hæc sola sunt, quæ imaginamur, *partes quædam corporis alicujus; harum situs inter se; spatium eas undique cingens*, quod negamus ad hoc corpus pertinere: hoc *negare* tantum est extremitatem partium concipere, & hæc negatio nisi adsit, partes in conceptu nostro extremæ non sunt. Et ad hanc negationem (quæ

puri conceptus est, non phantasiæ) imaginationi junctam, quoniam non attendimus, putamus, nos, quidquid hîc concipi potest, imaginari. Neque errorem nostrum animadvertimus, quamdiu corpora ab aliis cincta imaginamur. Cum vero ad mundi fines ventum est, statim patet error; tum enim non amplius licet extra mundum spatium imaginari, saltem revera existens; simulque negare id ad mundum pertinere. Compescenda est imaginatio, & simplici ulterioris extensionis negatione contenti esse debemus. Tum demum observamus, nos duas mentis nostræ actiones, quoniam sibi junctæ erant, usque adhuc confudisse, cum conceptum purum extremitatis cum imaginatione spatii ultra extremitatem conjungere amplius non licet.

VIII. Sed dabimus etiam aliquid imaginationi. Si non tam extremitatem mundi imaginari velis, quàm partium extremarum inter se situm, quæ proprie figura est, & illud facile est. Produc phantasiâ spatium ingens circa hoc corpus, quod mundum vocamus: fateor tunc partes, quæ nunc extremæ sunt, non amplius ut extremas, saltem mundi illius imaginarii, conciperes. Sed non tam partium extremitatem, quàm earum, quæ nunc extremæ sunt, situm inter se imaginari tibi propositum est. Jam facile erit mundum in hoc spatio, ut globum, animo tuo repræsentare. Contemplare igitur aliquantulum hunc globum imaginatione tua. Simulatque verò phantasiæ hac contemplatione satisfecisti, spatia illa, quæ imaginatio produxit, puro conceptu in nihilum redige. Non equidem tum amplius figuram mundi imaginari poteris; sed de eo tamen erit tibi persuasissimum, figuram, quam contemplatus es, mundi fuisse, non illius quidem imaginarii, sed hujus revera existentis.

IX. Tametsi autem spatia illa imaginaria extra mundum imaginari continuaremus; nullum tamen erroris periculum esset, dummodo recordaremur, hæc spatia non esse à DEO creata & revera existentia, sed non nisi entia rationis, ab imaginatione producta, & in ea solum existentia; atque ita, uti phantasia illa ut existentia repræsentaret, ita simul purus intellectus ea existere negaret. Sane ita spatia extra mundum fingere non repugnat; cum enim per mundum nihil aliud intelligamus, quam congeriem omnium corporum, non imaginariorum sed revera existentium; repugnaret, si extra eum corpora sive spatia vere existentia statueremus. At imaginari extra eum spatia, quæ probe scimus non nisi in imaginatione existere, non repugnat. Nisi quis forte existimet, nos nulla corpora aut spatia non existentia imaginari posse, quod tamen fieri posse, vel illud arguit, quod, omnibus corporibus in nihilum redactis, mens nostra corpora, spatia, immò universum mundum imaginari posset, simulque scire hunc mundum mere imaginarium esse & non nisi ens rationis. Sed tamen, si quis veretur, spatia ista, in quibus mundum imaginamur, realia fiant, figura mundi satis considerata, in cujus gratiam saltem conficta erant, ea in nihilum redigat, & ab imaginando plane abstineat.

X. Est igitur aliqua mundi figura, eaque & in conceptum & quodam-

modo

modo in imaginationem cadit. Jam qualis illa sit, dispiciamus. Vetus est sententia, mundum sphæricum esse, sed tradita potius à Majoribus, quàm demonstrata, quam tamen quid probabilem reddere possit, postea videbimus. Plerisque argumenti loco est sensuum error, quod se cœlum instar fornicis videre opinantur, interdiu quidem cærulei, nocte verò nigricantis, variisque astris, ceu totidem infixis luminibus, distincti; quem fornicem cum alio opposito figuram globi concavam componere putant. Qui cum *Hipparcho* mundum ex octo sphæris construxerunt, quibus post, à *Ptolomæo* & aliis, tres sunt additæ, superficiem mundi interiorem & concavam facere debuerunt sphæricam, at convexam sphæricam esse ultro sumpserunt magis quàm probarunt. Qui mundum volunt esse spatium indefinitum, tot vortices comprehendens quot in cœlo sunt stellæ fixæ, de figura ejus plane solliciti non sunt. Nova igitur nobis vià incedendum erit, & à nemine adhuc calcata.

XI. Spatium & corpus adeo conveniunt, ut nisi quis longum, latum, profundum, magnum, parvumve, figuratum, divisibile nihil statuere velit, spatium corpore vacuum statuere non possit, plane ut verissimum sit Peripateticorum effatum: *Naturam à vacuo abhorrere.* Quod si autem nullum, neque in mundo neque extra mundum, spatium vacuum esse potest, efficitur non posse, ut mundi figura sit, qualis telluris hujus, aspera scilicet & inæqualis, ubi hic montes eminent, ibi valles subsidunt, hìc planities porriguntur, illic hiatus aperiuntur, hìc maria expanduntur, illic scopuli & promontoria eriguntur; cum nullum spatium extra mundum esse possit, quod valles has, cavernas, foveas, hiatus impleat. Quod si esset, ut certè hæc sine spatiis concipi non possunt, corpus esset revera existens, atque idcirco ad mundum pertinens, quod, cum quidquid vallium & hiatuum in extrema mundi superficie concipi potest, perfecte expleret, redderet mundi superficiem ex hiulca unitam, ex aspera lævem, ex scabra dedolatam, ex rudi denique politam.

XII. Quare hoc certo venditare non dubitamus, talem esse mundi figuram, ut à quocunque puncto extremæ superficiei in aliud quodcunque ejusdem linea recta duceretur, linea illa aut superficiem raderet sive in eam incideret, aut per mundum transiret, nunquam verò aut tota aut pars ejus extra mundum caderet. Esset enim alioquin spatium revera existens, atque propterea corpus extra mundum, per quod linea illa aut saltem aliqua ejus pars duceretur.

XIII. Hìc vero objici fortè posset: Cum tellus hæc nostra, cujus superficiem incolimus, substantia sit, alia substantia, ut existat, non indigens, an non fingi possit, idque sine repugnantia, omnia corpora præter tellurem in nihilum abire? Tum verò tellus totus mundus esset, sive omnium corporum existentium congeries, & mundus quidem figuræ inæqualis, scabræ, asperæ, talis denique, qualis nunc figura telluris est. Belle sane. Terra existere potest, tametsi omnia corpora in nihilum redigantur, sed non eo modo, quo nunc existit: extensio ejus, substantia ejus maneret, quoniam, ut

ut ea existat, nihil aliud requiritur. Valles, hiatus, manere non possent, quoniam ad hæc spatium, quo impleantur, requiritur. Aut igitur, reliquis omnibus corporibus in nihilum redactis, telluris superficies lævigaretur, aut unà cum tellure tantum aëris alteriusve materiæ relinqueretur, quantum ad valles & hiatus explendos sufficeret.

XIV. En igitur figuram mundi lævem, politam; quidquid asperitatis & scabritiei in ea fuerat, resectum; quidquid hiulcum, expletum. At enim, expectabit forsitan aliquis, postquam ita ad lubitum mundi figuram tornavimus, expolivimus, lævigavimus, dedolavimus, ut, qualis in specie sit, dicamus, globusne an cylindrus, an conus, an pyramis, an cubus, &c. Infinitæ enim etiamnum potest esse varietatis. Fateor me præterea nihil certi habere, & contenti fortassis erunt æqui lectores hoc unico, quod de re tam longinqua certò affirmare potui, & haud scio, an hoc ipsum quibusdam temerarium videatur.

XV. Si tamen post demonstrationem conjecturæ locus est: ut mundum sphæricum esse non certo affirmamus, ita idem probabile esse, non negamus. Cùm enim Deus sit agens omnium sapientissimum, credendum est, eum simplissimo quoque modo agere. Uti imperitiæ est in artifice pluribus uti instrumentis, ad faciendum id, quod paucioribus æque commode fieri potest; ita quoque imperitiæ est, magna includere theca, quod minore capi potest. Deus autem, qui summa sapientia est, numquam agit, quod est supervacaneum. Docent id leges naturæ, quibus omnia fiunt, quæ, si cum admiranda effectorum inde natorum multitudine & varietate comparentur, sunt paucissimæ & simplicissimæ. Quod si igitur minore superficie tam vasta tamque multa in hoc mundo corpora complecti potuit ejus opifex sapientissimus, credibile non est, eum majori citra necessitatem usum fuisse. Sed minori superficie ea comprehendere non potuit, quam sphæricâ: sola enim sphæra tale corpus est, quod pro ratione magnitudinis suæ, & extensionis quam comprehendit, minimam superficiem habet. Sed tamen de superficie mundi sphærica nihil certo statuimus. Quod si cui hæc ratio probabilis videtur, ut certe probabilis admodum est, statuat ille mundum sphæram esse, & sphæram quidem perfectissimam, ubi omnes lineæ rectæ à centro ad peripheriam ductæ sunt perfectissimè æquales; id quod cum lævitate figuræ mundi, quam ante demonstravimus, optime convenit. Quodnam autem in hac sphæra centrum sit, illud neque certo neque probabiliter unquam dici poterit.

Hæc de figura mundi meditati sumus. Quod si cui hic labor noster inutilis videatur, id velim cogitet, quanquam figuram mundi nosse parum forte prosit, id saltem utile esse, antequam mens nostra ad rerum gravium, & in quibus non sine periculo fallimur, scrutinium accedat; eam excolere & præparare in earum rerum consideratione, in quibus, ut veritatem invenisse non multum prodest, ita errasse non multum nocet.

MEDI-

MEDITATIO
DE
ATOMIS.

ERGONE iterum *atomi* in forum producuntur, harumque caussa, quæ tandem desperata videri poterat, ac tantum non à Patronis relicta, denuo suscipitur? ideo forsitan, ne sola hæc ex falsarum opinionum numero, defensore se destitui, conqueri possit. At enim atomi dantur; esto; idque demonstrari potest: pulchrè. Quid inde redibit ad genus hominum utilitatis? hoc populus curabat scilicet: hoc erat nimirum, quod ad nostram felicitatem requirebatur. Hæc & alia hujus generis, si qui, lecto hujus Meditationis titulo, sive cogitant, sive dicunt; neque miramur, neque irascimur. Scimus quam quisque libertatem habeat de chartis hujusmodi editis judicandi, quippe quæ vel ideo publici juris fieri vulgo dicuntur.

Scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim.

Si quis est, qui pagellas hasce, ea, qua oportet, attentione perlegere dignatur, videbit fortasse, neque ab aliis ante appositam cramben hic recoqui; tum vero, quod potissimum est, non tam propositum nobis esse, a

tomos propugnare, quàm, illas propugnando, palam facere omnibus, quam angustis sit limitibus circumscripta mens nostra, cum in aliarum rerum, tum vel maxime in hujus, quæ una omnium nobis perspectissima esse debebat, *corporis* videlicet, cognitione. Quod si quis sæpius hominibus inculcare inutile esse diceret; ille demum esset, cui id sæpissime inculcare plane esset necessarium. Si cui hæc perlegere non vacat, ei quoque non vacabit hæc improbare. Saltem nobis non objiciet, quod uxori suæ Comicus ille senex, quod magno conatu magnas nugas dicamus. Neque enim magnus adeo hic est noster conatus; & si nugæ cuipiam atomi videntur, magnæ certe non sunt. Quantum vero vel hoc ipsum est, *minimis urgeri*!

En præfationem longiorem, quam symmetria brevis Dissertationis requirit; at fortassis non satis longa, ad nauseam, quam titulus quibusdam movit, abstergendam. Cui fastidio ut medeamur, removebimus statim ab initio quidquid atomos cum ratione insociabiles reddere videtur; considerabimusque breviter potissimum argumentum, quo atomorum adversarii minutias hasce omnes, tanquam uno spiritu ex rerum natura difflasse sibi visi sunt. Id enim si infirmum esse ostenderimus; proniores ad sententiam nostram amplectendam erunt, qui à nobis dissentiunt.

I. Qui atomos in corporibus esse negant, hoc potissimum argumento utuntur: Corporis naturam aiunt in extensione consistere, cui consequens sit ejusdem divisibilitas; & cum partes, in quas quodlibet corpus dividi potest, pariter corpora sint, effici inde, corpus quodque esse in infinitum dividuum: id quod non Metaphysicis modo argumentis, sed, ne quis dubitationi locus relinquatur, Geometris quoque demonstrationibus probant. Hic cujuslibet lineæ bisectionem, alius lineas incommensurabiles, alius aliud adducit. Et, quo tanto minus hæc corporis in infinitum divisibilitas incredibilis vulgo hominum videatur; jubent eos illud artificum opus contemplari, quo parvulam auri moleculam aut in tenuissimas laminas dilatant, aut in subtilissima fila dividunt: ostendunt quoque thuris granum, quod accensum in tot minutissimas particulas dispergitur, ut ingens conclave odore suo perfundat, & si quæ alia huic rei illustrandæ afferuntur. Hæc illi. At qui pro atomis disputant, in diversa abeunt: alii negant corporis naturam in extensione consistere, atque in ejus locum impenetrabilitatem, soliditatem, aliudve substituunt: alii extensionem quandam, sed individuam, atomis attribuunt. Illam vero corporis in infinitum divisibilitatem, tanquam rem incredibilem & rationi prorsus adversam, uno ore omnes rejiciunt. Ipsasque adeo Geometrarum demonstrationes aut distinctionibus suis eludunt, aut nescio quare in Physicis locum non habere volunt. Hæc & multa alia ab utraque parte pro se quisque strenue.

II. At nos, & ab utrisque paullulum recedentes, & simul cum utrisque sentientes, non negamus corporis naturam, quantum nobis quidem cognita est, in extensione consistere; cumque hac divisibilitatem ita conjunc-

tam esse, ut ab ea divelli nullo modo possit. Materiam vero in infinitum, aut, (ut nos loqui malumus) in indefinitum, dividuam esse, tam certum esse credimus, quam quod certissimum; at ex his omnibus effici, nullas dari atomos, id vero pernegamus.

III. Quidni efficeretur, ais, si corporis natura in extensione consistit, tum & atomi erunt extensæ. Si extensæ sunt, partes habebunt extra partes: quod si ita est, in partes poterunt dividi; non igitur indivisibiles erunt, non atomi. Quid propius atque hoc ad Geometrarum in demonstrando ἀκρίβειαν accedere potest?

IV. Nos vero agnoscimus, omne extensum dividuum esse, ne quis cum illis nos Philosophis sentire existimet, qui atomos extensas esse aiunt, dividi posse negant; quæ, qua ratione cohæreant, nunquam capere potuimus. Agnoscimus, atomos non extensas, atque idcirco ne corpora quidem esse: verùm negamus inde consequi, nullas dari atomos. Aliud est probare, atomos non esse corpora, aliud, atomos ne esse quidem. Quid igitur sunt, inquis? Res sine dubio. Sed si res sunt; cum corpora non sint, spiritus esse necesse est. Quasi vero id, quod corpus non est, non nisi spiritus esse possit? Cedo tertium, ais. Habes, atomus est. Indignaris; & quid, inquis, quid illa est atomus vestra? Dicemus, ne irascere, dicemus deinceps, quantum hac de re scimus. Nunc autem, tametsi fateremur, neque nos ipsos, uti vellemus, atomi naturam cognoscere, tumne tu probasti, nullas dari atomos? Quot sunt enim, quæ esse quidem cognoscimus: si, quid sint, quæritur, hæremus: immò quid est, quod perfecte cognoscimus?

V. Ne longius abeamus, tune quid sit corpus, nosti? At perfecte, ais: res extensa est. Audio, nempe extensum dicis, quod partes habet extra partes? Probe. Omne igitur quod de corpore nosti, ad id demum redigitur: Rem esse, quæ alias res contineat, quarum una est extra aliam. Sed quid sunt illæ partes, quid illæ res, ex quibus quodlibet corpus conflatum esse vis? Partes extra partes esse dicis, quasi ego quærerem, quomodo hæ partes inter se sitæ sint. Σχέσις; hæc est & relatio partium inter se: at ego quæro, quid sint ipsæ per se. Si corpora esse dicis, iterum dicis, composita esse quædam ex multis rebus, quarum aliquam inter se relationem cognoscis. Quid sint ipsæ per se, nisi eandem quæstionem perpetuo repeti vis, dicendum tandem aliquando est, te ignorare. Non est igitur hæc talis cognitio, in qua mens acquiescere possit. Nihil in corpore absolute, verum relationes meras cognoscimus; & in aliis, si non pauciora, certe non plura. Sed de imperfecta hac cognitione corporis plura in sequentibus dicemus. Quæ dicta sunt, sufficere possunt ad ostendendum, non propterea atomos negandas esse; tametsi non ita earum naturam comprehenderemus, ut nihil ulterius mens in illis cognoscere desideraret.

VI. Sed, ut ad propositum revertamur, si corpus dividi potest in infinitum, aut, ut vos loquimini, in indefinitum, nonne absurdissimum erit, statuere atomos sive indivisibilia? Ergo secetur minimus iste, quem vix microsco-

microſcopio detegimus, pulviſculus, & iterum ſecetur, & ita in infinitum ſecetur. Tantum abeſt, ut ad atomos unquam perveniamus, ut ſi per multas annorum myriadas, immo myriadum myriadas, hanc diviſionem continuaremus; poſt tot ſectiones, immane quantum ab atomis abeſſemus. Ite igitur atomorum patroni, easque nobis in rerum natura, ſi poteſtis, invenite.

Ego vero miror, ne hic quidem atomorum adverſarios obſervare, non ſe probare, quod probandum erat. Demonſtrandum erat, nullas dari atomos. Hi vero evincunt, diviſione qualicunque corporum iterum iterumque repetita, nunquam ad atomos perveniri. Sit ſane ita, ideone non dantur? Cur non potius inde concludimus, non modo dari atomos, ſed dari in quolibet corpore innumerabiles, tantamque eſſe earum in minimo pulviſculo multitudinem, ut tot concipere non poſſimus, quin revera in illo plures ſint; hoc enim ſi ita eſt, conſequitur inde quoque, non poſſe illum pulviſculum in tot partes dividi, quin revera in plures dividi poſſit: quæ eſt illa materiæ in indefinitum diviſibilitas.

VII. Quod ut concipere poſſis, finge mundum eſſe indefinitæ magnitudinis, vel tantum, ut innumerabiles ſive indefinitas numero partes comprehendat, qualis eſt hic cubus pedalis, id eſt, non poſſe unquam tot ejusmodi partes concipi, quin mundus revera plures habeat. Si Carteſianus es, tantum fortaſſe mundum eſſe credis, ſed quicunque es, hoc ſolum nunc à te peto, ut fingas talem eſſe. Jam vero fac, mundum hunc indefinitæ magnitudinis dividi in duas partes æquales, harum quamcunque in duas alias, & ita in indefinitum. Certe nunquam ita dividendo mundum perveniretur ad partes ita parvas, uti eſt hic cubus pedalis. Quid inde efficis? An illud, nullum dari in mundo corpus pedale? Hæc quidem eſſet ridicula concluſio. Vides enim unde hoc veniat, quod dividendo ad partes ejuſmodi nunquam perveniatur. Non inde videlicet quod nullæ ſint, ſed inde potius, quod innumerabiles ſint Ita pariter ex diviſibilitate corporis in indefinitum, non tam concludi debebat, atomos non dari, quam dari, & tanta quidem copia, ut tot concipere non poſſimus, quin plures revera corpori inſint, id eſt, numerum earum eſſe indefinitum.

VIII. Ne quis vero indefiniti nomine, quo utimur & deinceps ſæpius uti cogemur, offendatur, neceſſe eſt ut, antequam ulterius pergamus, quid hoc & alia huic cognata nomina ſibi velint, diſtincte definiamus. Ubi, ne quis de vocibus nobis litem moveat, ponat, his nominibus *finis*, *finiti*, *infiniti*, *definiti*, *indefiniti*, nullam vim ſubjectam, noſtri arbitrii eſſe, vocibus his in medio poſitis atque omni ſignificatione deſtitutis, quoscunque velimus ex noſtris conceptibus, ſignificare.

Finis igitur nomine in genere intelligimus rei ulterioris ad rem, de qua ſermo eſt, pertinentis negationem. Sic *finis* lineæ eſt negatio ulterioris longitudinis; ſuperficiei, negatio ulterioris longitudinis & latitudinis: corporis, negatio ulterioris extenſionis; numeri, negatio plurium unitatum; mentis, negatio

negatio ulterioris cogitationis; libri, negatio ulterioris vocis aut literæ ad librum pertinentis.

Finitum eſt, quod finem habet, i. e. de quo res ulterior, quæ vel eſt vel eſſe poteſt, negatur; ſive quod non comprehendit omnem rem poſſibilem. Sic *finitum extenſione* eſt, quod non omnem extenſionem, *numero*, quod non omnem unitatem: *perfectione*, quod non omnem perfectionem complectitur, & ſic de cæteris.

Infinitum eſt, de quo nihil negari poteſt, ſive quod omnem rem comprehendit; ſic *infinitum potentia* eſt omnipotens; *ſcientia*, omniſcium; *perfectione*, ſi ita loqui licet, omniperfectum; *extenſione*, quod omnem poſſibilem extenſionem; *numero*, quod omnes unitates complectitur; *Mens infinita*, quæ ſimul de omni objecto & omni modo poſſibili cogitat. Ex qua definitione perſpicuum eſt, infinito in ſuo genere nihil poſſe addi: i. e. infinito extenſione nullam extenſionem; perfectione, nullam perfectionem, &c. neque adimi, quin deſinat eſſe infinitum; & propterea plura infinita eſſe non poſſe.

Definire numerum (quod de numero dicitur, de magnitudine & aliis quoque intelligi volo) eſt ultra numerum, *qui* à nobis *cognoſci* poteſt, plures concipere unitates, ſimulque negare, tot ad datum numerum pertinere.

Cognoſcitur à nobis numerus, quando rationem ejus, quam habet ad unitatem, determinare poſſumus.

Accurate definimus numerum, cum dicimus, tot illum habere unitates & non plures.

Aliquo modo definimus, cum dicimus, non tot habere unitates, quot v. gr. 1000000000000000. aut alius notus.

Definitus eſt numerus, qui aliquo modo definiri poteſt. Hoc ſenſu numerus pulviſculorum in littore, guttarum in mari definitus eſt: poteſt enim multiplicando ad tantum denique numerum perveniri; ut certo dici queat, tot pulviſculos littus, tot guttas mare non continere, quot hic numerus unitates.

Indefinitus numerus eſt, qui nullo modo definiri poteſt: ita ut nunquam tantus poſſit numerus concipi, quin hic plures comprehendat unitates. Unde ſequitur, numerum hunc indefinitum quovis numero, qui quidem à nobis cognoſci poſſit, eſſe majorem: atque idcirco quemcunque numerum cognitum, quantuſcunque ſit, non aliam ad eum rationem habere, quam indefinitam; ſive unius ad indefinitum, quam nullam appellare poſſumus, quatenus nullo numero nobis cognito definiri poteſt; ac nulla eſt earum, quæ ab hominibus rationes dicuntur: plane ut hic numerus alterius cujuſdam generis ſit, quam ii, quos nos numeros appellamus, qui omnes cum hoc comparati, revera inſtar puncti ſunt. Non tamen ex indefiniti numeri definitione ſequitur, eundem quoque infinitum eſſe; ut ante infinitum deſcripſimus. Nullam enim videre poſſum neceſſariam hujus conſequentiæ vim: Hic numerus plures comprehendit unitates, quam quilibet numerus, qui à nobis

cognosci potest; ergo omnes comprehendit, quae esse possunt.

IX. Hic vero mihi videor multis simul quæstionibus obtundi. Transeant cætera, ais: at iste tuus numerus indefinitus, numquid ipse per se quoque indefinitus est, an potius definitus? Quasi vero quicquam in se definitum sit. Quicquid, definitur ab alio definitur. Qualis igitur est in se? Talis, ut à mente finita definiri nequeat. Sed qualis tamen, finitusne? Si finiti & indefiniti descriptionem confers, videbis non pugnare inter se, indefinitum esse simulque finitum. Daturne autem talis numerus indefinitus rerum, qui simul finitus sit? Id postmodum dispiciemus. An ne à DEO quidem definiri potest? Mens infinita infinities plura cognoscit, quam omnes simul mentes finitæ. Postremo desine, quisquis es, ista quærere: nomina me definiturum promisi nunc quidem, quibus uti ad mentem patefaciendam commodum mihi visum est; his si, quid à te intellectum velim, jam nosti; obtinui, quod volebam.

X. Scio id, quod hic ego indefinitum, alios infinitum vocare: quemadmodum ipsius Aristotelis descriptio, qua infinitum ἄπειρον, esse ait, οὗ κατὰ πόσον λαμβάνουσιν, ἀεί τι λαβεῖν ἔξω ἐστιν, non alia, quam nostri indefiniti est. Recte an secus non disputo; utatur per nos quilibet vocibus eo modo, qui ad animi sui sensa explicanda aptissimus ipsi videtur, dummodo nemo hoc infinitum confundat cum nostro infinito, inter quæ non magna modo, sed infinita differentia est. Quamvis enim, quod quidem probari nequit, sed tamen quamvis daremus, mundi magnitudinem, ut ante finximus, indefinitam, i. e. data qualibet nota, eaque quotiescunque sumpta, majorem esse: non tamen inde efficeretur infinitum esse mundum, i. e. omnem possibilem extensionem complecti: plane, ut DEUS ipse, qui hunc mundum, quantuscunque est, nudo imperio ex nihilo produxit, adeo in creandis corporibus potentiam suam exhauserit, ut jam nihil, atque adeo ne minimam quidem particulam illi addere possit. Quinimo certissimum esse mihi persuadeo, mundum hunc, tametsi indefinitus esset, ab inexhaustæ potentiæ Conditore perpetuo augeri, & iterum augeri & in infinitum augeri posse: ita ut inter indefinitam mundi extensionem & infinitam infinita prorsus sit distantia.

Sic, etiamsi fingamus (probabimus id fortasse mox, nunc fingimus quidem certe) in unoquoque corpusculo numerum atomorum esse indefinitum, i. e. tantum, qui quemcunque cognitum numerum, & quotiescunque sumtum, superet; non tamen in eodem corpore numerus atomorum est infinitus, sive, quod idem est, corpus illud omnes possibiles atomos complectitur; quia, præter hoc corpus, sunt alia corpora pariter ex atomis constantia; immo, cum hoc corpus crescere possit in infinitum, numerus iste atomorum, quantuscunque est, in infinitum potest multiplicari, ideoque infinitum ab infinito atomorum numero, qui omnes possibiles atomos continet, abest.

XI. Jam igitur consideremus corporis naturam, ac videamus, an ex illa atomos quoquo modo extrahere possimus. Corpus extensum est, &, quia extensum, dividuum, & dividuum quidem in indefinitum. Partes singulæ, in

in quas corpus dividi potest, corpori insint, necesse est. Quæcunque partes corpori insunt, res sunt à se invicem distinctæ: quomodo enim non distincta essent, quæ separari possunt? Et, cum corpus nunquam dividi possit in tot partes, quin dividi possit in plures; tot erunt in quolibet corpore res à se invicem distinctæ, ut tantus numerus concipi non possit, quin revera plures sint partes. Erit igitur numerus rerum distinctarum in corpore indefinitus. Ubi vero indefinitæ res distinctæ dantur, ibi una earum quoque datur. Datur igitur in corpore una pars indefinitesima (liceat eam ita appellare) eaque ab aliis distincta. Hæc autem pars indefinitesima ad corpus rationem habet indefinitam, i. e. nullam, & cum nullam ad totum rationem habeat; extensa dici nequit, i. e. longa, lata & profunda, quippe quæ corpori addita illud non majus, neque ei demta minus efficere potest. Ergo ista particula superficies erit longa & lata solum; aut linea tantum longa; aut punctum. Si superficies est, poterit & illa in indefinitum dividi, ac propterea continebit res à se invicem distinctas indefinitas; quarum unaquæque, quippe quæ cum toto nullam rationem habebit, superficies non erit; & saltem latitudine carebit. Linea igitur erit, quæ cum pariter in indefinitum dividua sit, necesse est itidem hanc constare ex indefinitis rebus à se invicem distinctis, quarum quælibet non modo nullam crassitiem & latitudinem, sed ne longitudinem quidem, habeat, i. e. ex indefinitis punctis constet. En igitur punctum vere Mathematicum! solent enim illi punctum nonnunquam partem infinitesimam appellare, quam nos indefinitesimam dicimus. En atomum, rem, ab aliis rebus distinctam! En numerum atomorum in quolibet corpore indefinitum!

XII. Quod si forte hæc meditatio in eorum manus incidit, apud quos magna solet esse Cartesii auctoritas, possumus ex ejus Philosophia non contemnendum hujus nostræ sententiæ præsidium petere. Postquam enim perspicacissimus Philosophus animadvertit, vacuum sine repugnantia à nemine concipi; motum autem in pleno fieri non posse, quin corpora corporibus cedant; hanc cessionem, si cedentia corpora recta semper pergerent, in infinitum progressuram, & tamen nullum ex his corporibus ita cedentibus moti corporis locum occupaturum: vidit in quolibet motu circulum statui debere, ita ut, cum corpus locum suum relinquit, impingat in circularem corporum contiguorum seriem, ita sitam, ut primum eorum anteriore, ultimum posteriore sui parte contingat; at tum primum à se propellat: quo, motu per circularem corporum contiguorum seriem continuato, fit, ut eodem tempore ultimum in locum corporis moti succedat. Sed cum deprehendit, propter diversam corporum magnitudinem, diversos meatus, multorum resistentiam, motuum multitudinem & varietatem, horum circulorum plerosque esse admodum irregulares, ut corpora, quæ ita in circulum moventur, spatia infinitis modis inveniant aut ampliora aut angustiora: quo hæc omnia accuratissime impleantur, & ne minimum quidem inane relinquatur, confugit tandem Vir acutissimus ad materiam non in indefinitum modo divisibilem, sed revera jam divisam, *ita ut omnes imaginabiles*, verba sunt Cartesii,

Cartesius Princip. part. 2. parag. 33. 34.

ejus particulæ, quæ sunt revera innumeræ, à se mutuo aliquantulum removeantur, quæ vera divisio est: nullamque cognitione determinare possimus tam exiguam, quin intelligamus ipsam in alias minores re ipsa esse divisam. Habemus ergo materiam, non modo, indefinitum divisibilem, sed in partes innumerabiles, sive numero indefinitas, revera divisam. Erit igitur in numero hoc indefinito una quoque pars indefinitesima, quam nos punctum & atomum vocamus, eaque non modo à cæteris distincta, sed, si Cartesium audimus, jam actu separata.

XIII. Si quis autem esset, qui partes has indefinitesimas, sive puncta, non indivisibilia sed extensa adhuc & divisibilia esse diceret: is primo rem ignotam, tanquam certam, affirmaret; deinde quemlibet pulvisculum ex indefinitis numero extensis componeret, eique hac ratione indefinitam extensionem tribueret; ac denique extensum vocaret, quod nullam cum ullo extenso, maximo, minimo, quod quidem ab homine concipi potest, rationem haberet, quodque tametsi extenso cuidam adderetur, hoc majus factum intelligi non posset, i. e. diceret, quod neque ipse neque alius quisquam comprehenderet.

XIV. Quod si vero fingere vellemus, etiam partes indefinitesimas extensas ac propterea dividuas esse, necesse tamen est, ut atomi & indivisibilia dentur. Quid enim extensum est? certe non una res, sed congeries multarum. Quid igitur? nusquamne erit *unum* in rerum natura, omniane erunt *congeries multorum?* fac indefinita esse in quolibet corpore, fac indefinities indefinities indefinita, continua hoc quantum velis; in hac tamen tam immensa tam innumerabili rerum congerie una quoque res erit. Non omnia acervi non omnia cumuli erunt. Nihil nos, fateor, ex hoc cumulo decerpere possumus, quin & illud innumerabilium rerum cumulus sit. Poterit tamen is, qui hæc omnia congessit. Qui velle potuit, ut innumerabilia, ut indefinita sint, potuit quoque velle, ut unum horum esset; & sine dubio non majoris est potentiæ unum ex nihilo producere, quam innumerabilem rerum congeriem. Breviter: in eo, ubi multa sunt, unum quoque latet; in omni composito est simplex aliquod. Nihilque rationi convenientius est, quam dari in hoc rerum innumerabilium acervo, quod corpus dicitur, μονάδας, quæ ex pluribus rebus congestis non constent.

XV. At, si cui hoc argumentum non apodicticum videtur; suffecerit fortasse illi; nos probare, esse in rerum natura partes corporis indefinitesimas, & esse puncta vere mathematica. Id solum nobis largiatur, ut, aliorum exemplo, hæc atomos & indivisibilia appellare liceat. At non dantur, ais, puncta mathematica; &, si maxime à Geometris quadam mentis abstractione concipiuntur, extra mentem non amplius res sunt ab aliis rebus distinctæ. Putabam hoc ipsum satis jam à me probatum esse; sed si, quemadmodum arbor non uno ictu, ita inveterata opinio non uno argumento concidit; addam unum & alterum, quæ (nisi sæpius vidissem, quanto pere

pere sua cuique opinio placet l) dicerem talia esse, quæ vel invito assensum extorquere possint.

XVI. Concipe sphæram solidam, quæ circum axem suum, uti loquuntur, movetur. Est in hac sphæra, omnium consensu, quiescens aliquod, quod axis dicitur, qui linea est recta, per centrum transiens, circa quam sphæra rotatur. Lineam intelligo proprie dictam latitudine & crassitie carentem. Talem enim lineam axem esse, cum tota sphæra solida circa axem movetur, notum est. His positis ita ratiocinari soleo: quod quiescit nemine de hoc cogitante, illud aliquid est nemine cogitante, & non merum ens rationis. Est igitur hæc linea aliquid, cum quiescat, & quiescat nemine cogitante. Præterea, quod solum quiescit, cum cætera omnia in sphæra moveantur, res est ab aliis omnibus, quæ in sphæra sunt, distincta. Est igitur hæc linea aliquid à cæteris distinctum: hæc sola enim quiescit, cætera omnia moventur. Probavi jam dari lineam.

Pergo. Finge axem mutari in sphæra, eamque circa alium rotari axem, qui priorem in puncto, quod centrum dicitur, secet. Hoc punctum vere mathematicum esse, negari non potest: si quidem linea recta proprie dicta aliam rectam non nisi in unico puncto secare possit. Hæc linea, quæ axis dicitur, iterum sola erit immota, cum cætera omnia in globo moveantur, ne priore quidem axi excepto. Animadverto tamen, esse aliquid in hac sphæra, quod bis, in utraque scilicet ejus rotatione, immotum fuit; idque est unicum punctum intersectionis utriusque axis, quod centrum dicitur: punctum revera mathematicum & indivisibile. Necesse est igitur, ut punctum hoc aliquid sit, quippe de quo dici potest, quod bis quieverit; *nihil* enim ne semel quidem quiescit. Necesse etiam est, ut punctum hoc res sit à reliquis omnibus, quæ globo insunt, distincta; cum de hoc solo dici possit, quod bis quieverit; reliqua enim omnia aut nunquam aut semel tantum quieverunt. Quæ cum ita se habeant, quid aliud restat, quam ut concludamus, dari in rerum natura punctum vere mathematicum, illudque rem esse ab aliis rebus distinctam.

XVII. Hæc quidem, ais, à Geometris omnia ita considerentur, per me licet. In globo solido, qui totus rotatur circa axin, potest aliquid quiescens concipi; revera, quod quiescat, nihil est. Quomodo enim esset, cum totus globus, quantus quantus est, movetur? Fateor, cum totus globus circa axem movetur; nullum corpus est, quod quiescit, nullum longum, latum & profundum. Est tamen necessario unica linea quiescens, sine qua motus circa axem concipi non potest. Quod si enim hæc linea non nisi in cerebro Geometrarum quiesceret; & revera non minus omnes partes, lineæ, puncta in globo moverentur, cum rotatur circa proprium axem, quam cum movetur circa axem alienum, aut alio quocunque modo: quomodo motus, quem circa proprium axem vocant, differret ab alio quocunque corporis motu? Differentia hæc non in Geometrarum cerebro, sed in ipsa re quæri debet, nisi forte dicere velimus, hos motus non nisi ratione inter se differ-

differre; aut prorsus hunc motum globi circa axem meram esse fictionem: quod quam sit ridiculum, quilibet intelligere potest.

XVIII. At vero, si nondum omnes tibi hic ademti sunt scrupuli, en aliud argumentum, ubi effugium hoc locum non inveniet. Esse in rerum natura sphæram, & sphæram quidem perfectam, non repugnat. Fac esse duas, easque sese tangere: ne hoc quidem repugnabit. Notum est, sphæram tangere sphæram in unico puncto indivisibili & mathematico: id est, parte sui non millesima, non decies, non centies millesima, sed parte, ut quidam ajunt, infinitesima, aut, ut nos loquimur, indefinitesima. Hoc si quis nesciret, eum Pythagoras ex schola ejiceret. Datur igitur punctum indivisibile sive atomus; quod enim tangit & tangitur, aliquid est, *nihil* enim neque tangit neque tangitur. Ineptum hic esset de contactu hoc dicere, quod ante de quiete puncti & lineæ in sphæra circa axem rotante; fictionem nempe hoc esse cerebri Geometrici: quis enim dubitat, quin sphæra sphæram tangere possit nemine cogitante? At quotiescunque tangit, non potest nisi in unico puncto. Neque est, quod dicas, punctum hoc non esse rem ab aliis, quæ in eadem sphæra sunt, distinctam; aut mente tantum ita abstrahi; revera distinctam non esse. De unico enim hoc puncto contactûs verum est, quod de nulla præterea re; idque nemine cogitante, videlicet, hoc alteram sphæram tangere. At de quo solo affirmari potest attributum reale, quod non à sola alicujus cogitatione dependet, & quod negari debet de aliis omnibus; id non potest non esse res à cæteris distincta. Habemus igitur atomum, eamque rem ab aliis distinctam.

XIX. Si quis vero ita esset ἀγεωμέτρητος, ut sphæram in unico puncto aliam sphæram, aut, quod idem est, planum tangere nesciret: is fortasse non negabit, conum, quando vertice suo, quod unicum punctum est, planum tangit: unico id puncto tangere. Talem autem conum, si in rerum natura dari posse aliquis negaret, quanquam id absurdissime faceret, neque ullam unquam hic repugnantiam ostendere posset; ut & huic imperitiæ succurramus, en aliud in ejus gratiam argumentum, quod nemo est quin capere possit.

XX. Concipiat igitur is, corpus quoddam solidum, planam habens extremam superficiem, v. gr. cubum, tangere planam superficiem alterius cujusdam corporis solidi. Nulla hic opus est Geometria, ut sciatur, contactum fieri in sola superficie. Si igitur ex te quæro, quid tangat planum illud, respondebis, superficiem cubi: ergo superficies aliquid est? annuis. Jam quæro; an aliud, præter superficiem cubi, quoque tangit planum datum? Negas. Ergo illa superficies, quæ tangit, est res distincta ab aliis rebus in cubo, quæ non tangunt. Potest vero res ab alia re distincta separari. Fac igitur, separari hanc superficiem, atque erigi super dato plano. Cum crassitiem nullam habeat, tanget planum in unica linea. Quæ, cum sola tangat planum, potero eodem modo probare, hanc esse rem ab aliis, quæ in superficie sunt, distinctam, ac propterea separari ab iis posse.

se. Quam separatam, si concipis erigi super eodem plano, videbis denique hunc contactum fieri in unico puncto; atque idcirco punctum illud indivisibile, sive atomum, non modo esse, sed esse rem à reliquis omnibus, quæ in dato illo cubo sunt, distinctam.

XXI. Hic ego vehementer vereor, ne quibusdam errores erroribus cumulare videar, ac plane

> --- --- *clament fugisse pudorem*
> *Cuncti pene Patres.*

Quid hoc mali est? itane, qui semel veritatis limites transiit, eum bene & naviter, ne quid gravius dicamus, somniare oportet? Quasi parum absurdum esset, statuere atomos, non *Democriticas* illas aut *Epicureas*, quibus aliquam tamen, qua cognoscerentur, magnitudinem auctores reliquerunt, sed plane omni magnitudine carentes, & puncta revera mathematica: jam vero etiam lineæ in scholam introducuntur, omni latitudine & crassitie, superficies autem omni crassitie carentes. Hæc jam non amplius in Geometrarum cerebro quærenda erunt; sed revera in rerum natura existent. Res erunt aliæ ab aliis distinctæ, atque adeo aliæ ab aliis separari poterunt. Hoc nimirum deerat adhuc, ut tandem impleretur illud acute à M. Tullio dictum: *Nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.*

XXII. Ego vero cogor, quanquam non sine rubore, sed cogor tamen, fateri, me post multas hac de re cogitationes delapsum tandem esse in hanc opinionem, quæ multis tam absurda videbitur. Quid quæris? Homines sumus, non ejusdem omnis sententiæ; placet huic, quod illi displicet. Denique, cui non absurdum videtur, dari in corporibus res longitudine, latitudine & profunditate carentes; qui, quæso, ab eodem expectari potest, ut ei absurdum videatur, dari in eodem corpore res tantum longas, alias longas tantum & latas, utrasque tamen crassitiem nullam, illas ne latitudinem quidem, habere?

Sed tamen illi, quibus hoc tantopere absurdum videtur, quamnam habent hujus suæ sententiæ rationem? Non enim, ut & hanc animi imbecillitatem ingenue fatear, id habeo in mentem meam imperium, quo illi, ut aliquid sine ratione credat, pro arbitrio mandare possim. Afferatur hujus rei ratio. Video, nihil aliud afferri, nisi ipsam illam corporis divisibilitatem in indefinitum. Sed, quemadmodum ante ostendimus, non tam inde sequi, puncta indivisibilia nulla esse, quam numerum eorum esse indefinitum; ita pariter ex eadem corporis in indefinitum divisibilitate non tam sequitur, lineas latitudine & crassitie, superficies crassitie carentes non existere, quia videlicet ad illas dividendo nunquam pervenitur, quam numerum earum esse infinitum.

XXIII. Fallacia alia aliam trudit, ais. Quid? ergo jam non modo punc-

puncta, lineæ, superficies, dantur; sed in corpore erunt indefinitæ superficies; in superficie indefinitæ lineæ; in linea indefinita puncta. Quantus igitur punctorum erit sive atomorum in corpore quolibet numerus? neque enim sufficit jam amplius, ut ante, indefinitum dicere. Sane, si ita placet, in posterum non amplius dicemus, indefinitas in corpore esse atomos, aut atomum quamlibet partem corporis indefinitesimam. Loquemur accuratius; appellabimus atomum partem corporis indefinities indefinities indefinitesimam; dicemus, indefinities indefinities indefinitas numero atomos in quolibet corpore esse. Neque verendum nobis est, ne tandem ad infinitum accedamus: infinitum enim etiamnum ab eo absumus. Neque etiam, cum ita loquimur, nobiscum pugnamus. Quod si enim repugnat numerum infinitum augeri, multiplicari, plures numeros infinitos esse posse; non idem dicendum est de indefinito, ut ex utriusque definitione cuivis perspicuum esse potest. Non repugnat, numerum indefinitum duplicari, triplicari, quadruplicari, indefinitiplicari, indefinities indefinitiplicari, & ita in indefinitum: ut vel hinc videri possit, quantopere ab infinito numero dissideat. Atomus sive punctum est minimi corpusculi pars indefinities indefinities indefinitesima: sed eadem atomus pars infinitesima est, non hujus corpusculi, non mundi, tametsi indefinities major esset, quam revera est; sed omnis omnino, quæ usque & usque & esse & concipi potest, extensionis. Sed tamen, ne quis ad has numerorum indefinitorum indefinitiplicationes exhorrescat, loquemur, ut ante locuti sumus, atque uno *indefiniti* nomine complectemur quemlibet numerum, quovis, qui à mente finita cognosci potest, majorem; tametsi is alios atque adeo indefinitos hujusmodi numeros comprehendat.

Vid. Thes. VIII.

XXIV. Nunc redimus ad superficies & lineas, quas nos, revera in rerum natura esse, plerique, sola cogitatione à corporibus abstrahi, dicunt. Enimvero semper animadverti, difficile dictu esse, ad quod abstractionis genus hæc sit referenda; & memini, viros perquam acutos fateri, se similem huic abstractionem in aliis non reperire: quod unicuique usu veniet, si hanc cum aliis comparare voluerit. Novi, quid hic dicant perspicacissimi, *lineam* nempe à corpore mente abstrahi, cum corpus tantum consideramus, quatenus longum est. Linea igitur nihil aliud est, quam corpus quatenus consideratur longum. Sed cum longitudinem corporis consideras, quæro, cujus consideres longitudinem, an unius lineæ, an totius corporis? Si totius corporis; consideras simul longitudinem indefinitarum linearum juxta se positarum, quod non potes, quin simul latitudinem & profunditatem corporis, si non accurate metiris, saltem quodammodo consideres: quod si facis, jam non amplius lineam consideras. Si de unius tantum lineæ longitudine in corpore cogitas, redimus in circulum: quid est illa linea? qua ratione eam à corpore abstraxisti? Iterum si dicis, corpus est quatenus consideratur ut longum, quæro iterum, an unius lineæ, an totius corporis longitudinem consideres? Si supervacanea hæc tibi videtur quæstio, nego esse; potest enim corpus ex diversissimæ longitudinis lineis & partibus constare, ita ut alibi longius

gius, alibi brevius sit. Recte igitur quæro, an, cum longitudinem corporis consideras, longitudinem unius tantum in corpore lineæ, an totius corporis, id est, indefinitarum simul linearum longitudinem, consideres.

Sed, ut videas, quam sit hæc distinguere necessarium, cum concipis longitudinem coni, qua ratione illam mensurare soles? Fac, conum constare indefinitis lineis axi parallelis. Cum coni recti longitudinem concipis, cujus ex his lineis longitudinem concipis? Axis, dicis; sed nulla præterea linea ex cæteris omnibus, huic longitudine par est. Vides igitur hanc, quam dicis coni longitudinem esse, non coni esse, non totius corporis, sed unius tantum lineæ, & quidem longissimæ, quæ in cono est. Sed in cylindro alia est ratio: quod si enim bases sunt parallelæ, omnes lineæ rectæ axi parallelæ, ab una basi ad alteram ductæ, ejusdem sunt longitudinis, ac propterea longitudo axis longitudo totius corporis, nempe cylindri, dici potest. Vehementer igitur est necessarium, cum de longitudine alicujus corporis agitur, quærere, an per longitudinem ejus intelligatur totius corporis longitudo, an unius tantum lineæ, quæ in corpore est. Videmus enim quamlibet in corpore lineam peculiarem suam longitudinem habere; ut vel inde quoque cognoscatur, quamlibet lineam in corpore, rem aut rerum seriem esse ab aliis distinctam. Sane quod nullam aliam lineam parallelam longitudine parem in toto corpore habet, id quod de axi coni dici debet, non potest, quin sit res, aut ut apertius loquar, punctorum sive atomorum series, ab aliis prorsus distincta.

XXV. Satis, ut mihi quidem videtur, demonstratum à nobis est, dari atomos: &, si quis plura quærit argumenta, eos, credo, fontes indicavimus, ex quibus multa alia peti possunt. Nihil aliud nunc à nobis expectatur, quam ut tandem aliquando dicamus, quid sint atomi nostræ? Non extensas, i. e. omni longitudine & profunditate carentes esse, jam audivimus. Inde efficitur, nec figuram illas habere; figura enim magnitudinem eamque definitam sequitur; immò plane neque magnas neque parvas esse. Ridiculum esset, si cuilibet atomo cognitionem attribueremus, quam totum corpus non habet ex atomis compositum. Addo igitur, atomos non cogitare, atque eo eas à spiritibus distinguo.

Audio, quid non sint, inquis, atomi: quærebam, quid sint. Dicam, ne festina: paulo sum natura tardior. Audivisti quoque, atomum quiescere posse, eandemque moveri; atomorum aliam aliam tangere posse: audivisti, atomum in globo v. gr. centrum esse, ita ut omnes lineæ ab ea ad peripheriam ductæ sint æquales; potest igitur certum in corporibus situm obtinere: audivisti denique, ex numero atomorum indefinito fieri lineas, superficies, corpora. Jam igitur, si definitionem atomorum à me postulas, potero hæc omnia, quæ de atomis mihi cognita sunt, coacervare: atque hanc inde definitionem componere: *Atomi sunt res unæ & simplices, omni cogitatione, longitudine, profunditate, figura carentes; motus, quietis, situs, contactus capaces; ex quarum congerie indefinita fiunt longa, lata, & profunda.*

Hac definitione, si, quicquid de atomis mihi cognitum est, breviter & perspicue comprehendi, satis mihi videbitur illa ad leges bonæ definitionis exacta. Si non sufficere tibi videtur, si plura de atomis nosse cuperes; idem ego, si possem, cuperem; sed quia plura non invenio, in his cogor acquiescere.

XXVI. Unum mihi videris concoquere non posse. Quid, ais, atomi non sunt extensæ, & tamen ex atomis omnia constant extensa? quomodo hæc cohærent? quomodo ex pluribus non extensis fieri potest extensum? Enimvero si capere non potes, quomodo ex duobus, tribus, centum, &c. aut alio quocunque numero definito atomorum non extensarum, fieri possit extensum, minime miror, neque ego id capio, quod plane capi non potest. Quid enim corpus, quid extensum est? *Congeries atomorum non duarum, trium, centum, &c. sed indefinitarum.* Jam concipere velle, quomodo ex definito numero atomorum, quantuscunque sit, fieri possit extensum, i. e. congeries indefinitorum atomorum, est repugnantia concipere velle. Quod si neque ego neque tu possumus, non est, quod miremur.

Si vero dicis, te ne quidem capere posse, quomodo ex indefinito numero non extensorum fieri possit extensum; aut vis, hæc prorsus inter se pugnare; aut tantum vis, te indefiniti numeri magnitudinem non comprehendere. Si prius, erras vehementer: cum enim dicis, neque ex indefinitis, quorum quodlibet non est extensum, fieri potest extensum; perinde est, ac si diceres: ex indefinitis rebus, quarum quælibet non est congeries rerum indefinitarum, non potest fieri congeries rerum indefinitarum; quod perquam absurdum esset. Idem enim esset, ac si quis diceret, ex centum lapidibus, quorum quilibet non est acervus centum lapidum, non fieri potest acervus centum lapidum.

XXVII. Hic vero ego nihil magis metuo, quam ne forte atomos imaginari velis. Quod si enim atomos imaginari vis; ilicet, actum est, caussa cecidimus. Propter parvitatem, millesimam partem hujus pulvisculi imaginari non possumus (& hæc tamen atomorum innumerabilium congeries est) qua igitur ratione atomos poterimus? Ergo qui atomos imaginari volunt, innumerabiles loco unius imaginantur. Et hinc est, quod in mille absurditates incidant. Hic figuram atomorum imaginatur, ille magnitudinem; alius partes in atomo imaginatur, &, cum hæc tangit corpus, parte sui tangere vult, parte non tangere; distinguit partem ejus borealem ab australi, occidentalem ab orientali. Et, qui non nisi diversas unius ejusdemque rei simplicis relationes distinguere debebat, totidem partes se in illa contemplari existimant. Quare hæc omnia? quia imaginatur, quod imaginari nemo potest, quia corpus imaginatur loco atomi; *indefinitas* loco *unius.* Coërcenda igitur hic est imaginatio nostra intra limites suos; ac tenendum, non minus ineptum esse, atomos imaginari velle, quam spiritus. Utraque enim extensione, quæ sola sub imaginationem cadit, destituuntur.

XXVIII. Si denique dicis, te indefinitum hunc atomorum numerum, qui corpus constituat, comprehendere non posse; venisti tandem, quo te volebam. Ita est: eum comprehendere non possumus. Nobiscum ipsi

pugnaremus, si comprehendi posse diceremus, quod indefinitum dicimus; & hoc est illud in corpore ἀκατάληπτον, quod Philosophos perpetuo exercebit, semper tamen eorum perspicaciam fugiet.

XXIX. Quam imperfecte corporis naturam cognoscamus, jam supra leviter attigimus. Hujus autem tam imperfectæ cognitionis duæ mihi caussæ videntur. Una est, quod monadum illarum, atomorum videl. in corpore, (quod non una res est, sed aliquid ex his aggregatum) naturam non ita cognoscimus, ut in hac cognitione prorsus acquiescamus. Fateor enim denuo, me, nescio quomodo, in hac notitia mihi ipsum non satisfacere. Vellem eas penitius cognoscere; quanquam, quid in iis præterea cognoscere velim, nesciam. Altera caussa est, quod, si maxime perfecte atomi naturam cognosceremus, non ita tamen comprehendimus magnitudinem numeri indefiniti, ut perfecte intelligamus, quomodo ex indefinita atomorum congerie necessario fiat tale extensum, quod corpus nos vocamus: quomodo indefinitus iste numerus duplicari, triplicari, &c. possit, ut nullam à corpore partem tam parvam separare possimus, quin & illa sit indefinitarum atomorum congeries, quæ omnia cognoscere ad perfectam corporis cognitionem, prorsus esset necessarium.

Hæc si scrutari incipimus, ab omnibus partibus indefinitum nobis occurrit, quod velut profundissima quædam vorago est, in qua finem nullum cernimus. Enimvero semper sunt Philosophi conquesti de angustis mentis nostræ limitibus, de levissima & imperfecta rerum cognitione. Ac, tametsi magna in Philosophia lux accensa sit hoc seculo nostro, tenebræ tamen omnes nondum discussæ sunt. Coguntur quotidie perspicacissimi fateri ignorantiam suam, & faterentur sæpius, nisi eos vinceret pudor. Illi tantum paucissima sibi ignorare videntur, qui nesciunt, quid sit scire. Imperfecte admodum nos cognoscere mentem nostram, qua tamen sola omnia cognoscimus, non modo confessi sunt omnes pene Philosophi; sed tot diversissimis ac plane ridiculis de mente opinionibus abunde probarunt. Melius illa cognosci multis videbatur, postquam Cartesius mentis naturam, ejusque à corpore distinctionem, clarius quam quisquam antehac, demonstravit. Sed nondum acquiescit Malebrancius, magnus in cæteris Cartesii admirator, qui, in aureo illo de Inquirenda Veritate libro, pluribus, & recte mea quidem sententia, probat: melius cuilibet menti, per sensum & conscientiam notum esse, quod sit, quam per claram & distinctam perceptionem, aut, ut ille loquitur, per ideam, quid sit?

Quid in motu ejusque natura cognoscenda supersit, norunt omnes, qui hæc sæpius tractarunt. Et tamen à motu omnis, quæ in hoc universo cernitur, rerum dependet varietas. Supererat corporis cognitio, quæ omnium perfectissima videbatur. At qualis sit, videmus. Ludimus circa corporis superficiem, ad intima non pertingimus; &, quod eminus unum esse putabamus, cum propius accedimus, videmus, esse rerum innumerabilium acervum. Si unam ex hoc acervo rem decerpere volumus, ut qualis sit, penitius

tius intelligamus, simulatque eam attentius inspicimus, & hanc rerum indefinitarum acervum esse videmus. Idem cum semper nobis contingat, fessi tandem torpemus, ac contenti sumus, si perfunctorie, & quasi superficie tenus, corpus aspicere nobis licet; si in eo partium quarundam, quæ quid sint, soliciti non sumus, unius extra alteram positionem, i. e. earum solum σχέσει quandam & relationem, contemplamur: quod, ut nos ipsos quodammodo consolemur, naturam corporis cognoscere appellamus.

XXX. Videmus hic, quantilla & mens nostra atomus sit, si cum ea comparetur mente, quæ non omnia modo & singula corpora, sed & omnia & singula in singulis corporibus; neque in corporibus tantum quæ sunt, sied quæ esse possunt; neque solum in corporibus, sed aliis rebus omnibus intime & perfectissime, idq; una sola cogitatione, cognoscit: quæ simul perfectissime cognoscit, non unum, non mille, non tot, quot in mari guttæ sunt, rerum myriadas, non, quod his majus est, indefinita, non indefinities indefinita, &c. sed (quod cunctis, quæ ita pergendo unquam homines attingere possent, infinities majus est) absolute infinita, i. e. omnia. Quid est ad hanc mentem nostra mens, cui millesima particula minimi pulvisculi abyssus est imperverstigabilis?

Disce hic modestiam homo; tu, cui mens tua rerum mensura videtur, & qui, quod non comprehendis, immò quod stultius est, quod non imaginaris, audacter, ne esse quidem, dicis. Quidquid dicat de se, de se infinito, DEUS ipse infinitus, non credis: quare tandem! Non capio, ais. O vocem insanam. Exerce industriam; exerce, cui tantum tribuis, perspicaciam, in hoc pulvisculo: videbis quousque acumen tuum penetrare possit. Tum demum meditando, inquirendo, perscrutando fessus, cum vidisti, quam parum profeceris, accede, & ita tecum reputa: Si minima tam parum cognosco; si innumerabilia esse scio, quæ, quid sint, qualia sint, quomodo sint, non percipio, quantum à cognitione infiniti absum! in hac caligine, quæ alia tutior via est, quam mentem menti infinitæ submittere, quæ ab hac revelantur credere, tenere, neque extra ea unquam evagari.

Ita faciam certe. In cæteris sanam rationem ubique sequar. Credam ut certa, quæ clare percipio, evidentia esse, nam & hoc lumen à DEO est. Quanquam in his aliquid sit, quod comprehendere non possum; quanquam oriantur ex hoc ipso nodi, quos solvere nequeo: nihilominus, quæ clare percipio, tanquam & hæc à DEO mihi dictata essent, tenebo: in iis, quæ non capio, angustos mentis meæ limites agnoscam. Ratio ait, atomos in corpore esse indefinitas: credo, ac licet indefiniti numeri magnitudinem non comprehendam, nihilominus credo. Ratio dicit, longum, latum & profundum vacuum esse contradictorium, credo; sed hoc posito, difficile est percipere, quomodo in rerum natura possit esse motus? Delabor in divisionem corporum revera indefinitam, quam non capio. Teneo tamen, quod semel ratio dictavit: infirmitas mentis meæ res non mutat. Nihil clarius percipio, quam

mentem

mentem meam eſſe, etſi quid ſit mens obſcurius videatur; ſtultum tamen eſſet, propter ea quæ obſcura ſunt, ne ea quidem credere, quæ clariſſima ſunt. Idem prorſus facio in difficultatibus, quæ de natura motus, loci, duritiei corporum, &c. oriuntur, præſertim ſi animadverto, requiri ad hæc comprehenſionem indefiniti, aut perfectam naturæ corporis notitiam. Semper, quæ in his clara ſunt, retinebo; quæ video, à me cognoſci non poſſe, in iis mentem non fruſtra fatigabo.

Neque tamen omnia, quia perfecta cognitio ſperari non poteſt, abjiciam. Poteſt clara & diſtincta eſſe multorum cognitio, quæ perfecta non eſt; ſed pergam in inquiſitione veritatis, & ſic mihi perſuadebo, fieri non poſſe, quin ita creſcat cognitio mea. Multa ſemper addiſcam ante mihi ignota, in cæteris ignorantiam meam magis ac magis cognoſcam. Quanta autem cognitionis noſtræ pars eſt, vel hanc ipſam noſſe! Pauciſſimi enim hominum, quàm parum ſciant, ſciunt; atque inſcitiæ ſuæ potiſſimam partem omnes propemodum, niſi qui ſcrutando ſæpius ipſi eam ſunt experti, perpetuo ignorant.

DE TEMPORE ASSERTIONES ET QUÆSTIONES.

QUANQUAM satius sit, hoc præsertim vitiorum ferace in ævo, temporum signa observare attentius, & monente Apostolo ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρὸν, quàm multa de tempore subtilius dicere; hujus tamen consideratio accuratior neque usu caret, & naturalis sapientiæ consulto tanto magis necessaria videtur, quo magis omnibus in ore est temporis vox, & minus in animo sedet genuina ejus idea. Vetus etenim, & quæ etiamnum identidem ingeminatur, est querela, satis quidem illa ingenua, at quâ non alia magis Philosophis penè universis ruborem incuteret: In tempore nos vivere, & quid sit Tempus ignorare. Quod equidem rei difficultatem arguit non exiguam, quæ, quanquam alium fortassis absterrere facilè possit, nobis certè animum

animum addit, ad istud quoque post alios, vadum tentandum. Quare pauculis primo assertionibus Temporis ideam, quantum pote breviter & dilucide, ob oculos ponemus; dein Quæstiones adjiciemus, quæ aliquam argumento lucem fœnerari videbuntur.

I. Tempus utrum à temperando dicatur, an à tempore temperare; quid tempori, de quo agimus, cum faciei temporibus præter nomen commune; differantne καιρὸς Græcorum & eorundem χρόνος; hoc idemne sit cum Κρόνῳ, quo Saturnum notant; iis inquirenda relinquimus, quibus tales ὀνοματολογίαι ad rerum ipsarum penitiorem indaginem aliquid conferre videntur. Nos, his & aliis inutilibus relictis, rem altius repetemus.

II. Existentiæ conceptus simplicissimus, nomen clarissimum est; plane ut, existere quid sit, si definire velis, rem obscuraveris potius, quàm explicaveris: actu, in rerum natura, extra mentem, extra caussas esse, omnia aut obscuriora sunt magisque ambigua, aut certe clariora non sunt.

III. Cum quid existere perseverat, durare dicitur: estque adeo rerum duratio nihil aliud quàm perseveratio existentiæ, vel, si mavis, ipsa rerum existentia perseverans.

IV. Rerum existentia, uti aut necessaria est aut contingens, ita duratio finita aut infinita dicitur. Quæ necessario existunt, ea semper exstitisse semperque existere oportet, atque adeo durationem habent infinitam. Quæ contingenter existunt, aliquando non exstitère; quin nunc possunt non existere, finitamque adeo durationem habent.

V. Infinita duratio absolute sic dicta, ut omne infinitum, terminis caret, neque principium neque finem agnoscit. Vulgo vocatur Æternitas, DEOque propria est, qui solus Ens est absolute necessarium. De hac plura non addimus, ne infinitum finitæ nostræ rationi subjicicere videamur.

VI. Vulgò & durationem statuunt secundum quid infinitam, nempe secundum finem, Ævum vulgo appellatam, tribuiturque rebus contingentibus, etiam Angelis, mentibus, materiæ, &c. sed improprie infinita dicitur, revera enim finitis partibus constat; neque ad quæstionem, quàm diu duraverit mens mea, unquam responderi poterit, eam infinitum durasse. Sed eatenus tantum fine caret, quia supponimus DEUM semper ejus existentiam conservaturum, id est, partibus durationis alias subinde adjecturum, prout lineam infinitam diceremus, quæ nunquam magnitudinis adeo determinatæ esset, quin novæ illi continuò partes in infinitum usque adderentur.

VII. Finita duratio est, quæ terminos habet. Terminos durationis dicimus principium & finem, prout termini lineæ sunt punctum incipiens & finiens. Partes durationis sunt prius & posterius, sive duratio (hæc enim est totum homogeneum) prior & posterior. Sicut lineæ partes sunt lineolæ sibi succedentes, antecedens & consequens. Hinc liquet, momentum mathematicum, sive existentiam rei momentaneam partem durationis non magis

magis esse, quàm punctum est pars lineæ, quia ut hoc linea, sic illa duratio non est.

VIII. Omne finitum habet suam certam quantitatem. Quantitatem definimus, quâ apte respondetur quæstioni, quanta sit res. Unde patet, quantum in se nihil esse, sed, ut alicui quantitas certa tribuatur, id ad aliud referatur, oportere. Quærenti enim quanta sit res, responderi nequit, re in se duntaxat considerata, & cum alia non collata. Quod si v. gr. quæratur, quantum sit hoc corpus, quod præ oculis est, quam longum, latum, &c. Nihil respondere poteris, sola hujus corporis longitudine & latitudine expensa. At si aliam quoque rem extensam in subsidium voces, puta ulnam vel pedem; Respondebis v. gr. Corpus istud latum tres ulnas, longum esse totidem pedes: Id est, tantam ejus esse longitudinem, quanta pedis est ter repetita longitudo. Sic in Arithmeticis numerus solam σχέσιν & habitudinem ad unitatem conceptu involvit.

IX. Est itaque quantitas nihil aliud, quàm rei alicujus ad aliam ratio sive proportio, ita latius proportionis vocabulo accepto, quàm vulgò Arithmetici solent. Ut autem quantitas extensionis magnitudo, ita quantitas durationis Tempus dicitur. Magnitudinem enim rei definimus, quærenti quantum res in longum latum, &c. sit extensa; Tempus quærenti, quantum duraverit.

X. Tempus quantitatem durationis dicere malumus, quàm durationem. Non enim est ipsa rei existentia permanens, sed existentiæ permanentis quantitas. Clarius: Temporis voce respondemus non ad quæstionem, an res duraverit aut quomodo; necessarione an contingenter; sua an aliena virtute: sed tantum ad quæstionem, quantum res duraverit: Sicut magnitudinem rei definimus tum demum, cum quæritur, quantum sit extensa.)

XI. Ex his perspicuum est, tempus rerum, atque adeo corporum naturalium, non esse affectionem absolutam, sed relatam tantum, sicut etiam locus. Estque (prout saltem à duratione & existentia, uti debet, distinguitur) durationis ignotæ cum alia notiori proportio. Quærenti enim, quandiu res duraverit, quid respondebimus, duratione non nisi in se spectata? at si eam cum alia notiori, verbi gratiâ motus solaris, comparamus, rem v. gr. annum durasse dicemus, vel dimidium anni; id est, tantum, quantum Solis motus proprius, vel motus dimidium.

XII. Nunc qua ratione durationis quantitas sive tempus innotescat dispiciendum. Si omnia corpora in perpetua quiete forent (sic supponimus, quamvis multa corpora eaque perpetuo quiescentia sint ἀσύστατα) esset quidem inter rerum durationes proportio, id est, tempus, sed nobis plane incognitum. Fac enim, DEUM creasse in principio corpus aliquod immobile, post addidisse huic aliud corpus itidem immobile, ita ut posterius unà cum priori tantum duraverit, quantum prius seorsim: esset quidem inter has duas durationes ratio dupla: sed finge hanc rationem tibi omninò esse incognitam; unde eam colliges, quamnam mensuram reperies?

XIII.

XIII. Jam fac, aliud ab initio accessisse corpus, motu æquabili in gyrum versum; motum corpus hoc incepisse unà cum primi creatione sive existentia, eoque absoluto ante creationem alterius, tum simul cum hujus ultimi existentia motum eundem repetiisse, hocque denuò confecto, omnia in nihilum rediisse. Facile judicare poteris, siquidem ad motum attendisti, rationem duplam durationis unius corporis ad durationem alterius esse.

XIV. Hinc recte Philosophus, tempus, ait, *esse numerum motus secundum prius & posterius.* Ubi non tam definire voluit, quid tempus in se sit, quàm quâ ratione nobis innotescat, sive quæ temporum seu quantitatum durationis sit mensura. Nimirum numerus motus, id est, ipse motus mensuratus, sive partes motus numeratæ, quatenus sibi succedentes concipiuntur, atque in iis distinguimus prius & posterius. Hanc autem Aristotelis sententiam fuisse manifestum est inde, quod, inter alia, dormientium exemplo eam probat, qui, motu in somno non observato, expergefacti momentum, quo excitantur, cum eo, quo sopiti sunt, conjungentes, tempus intercessisse nullum subinde opinantur. Quo fabula illa libro IV. Physicor. capite XI. citata pertinet, cui similem ex Plinio de Epimenide aliasque adducunt Aristotelis Interpretes. Ex his enim non colligitur, sive rerum durationem, sive inter durationes rationem, quod tempus est, sine motu esse nullam, sed à nobis absque eo mensurari ac definiri non posse.

XV. Ratio autem, quod motus unica temporis sit mensura, hæc est, quia quantitas durationis in motu notior est quantitate cujuscunque durationis. Illarum enim rerum quantitas notior est, quarum plures partes earumque cum toto & inter se rationem distinctius novimus; quod de motu dicendum. Motus enim omnis lineam describit in partes divisibilem. Qua ratione autem linea, eadem & motus duratio dividi potest. Sic, divisa in duas partes æquales linea, corpus super illa motum dimidium motus confecisse dicitur, cum divisionis punctum attigit.

XVI. Ut autem in quantitatum cognitione in infinitum non progredimur, sed in aliquo tandem mentem sistimus, quod ut notum supponimus, quamvis revera non sit: sic circulum gradibus metimur, gradum minutis, minutum secundis, ubi subsistimus. Eadem temporis ratio est. Mensura temporis est motus, motus linea, lineæ ipsæ partes lineæ, partis cujuscunque aliæ partes minores, ubi, ne in infinitum prolabamur, nobis erit subsistendum.

XVII. Verum ad tempus exacte metiendum, motus æquabilis sit oportet, sibique semper similis. Quod si enim nunc tardior esset nunc velocior, licet lineam, super qua corpus movetur, in partes æquales dividas, motus non perinde in partes æquales divisus est; prorsus, ut motus sibi non constans durationem accuratius vix metiatur, atque lineam filum, quod continuo ductu magis ac magis extenditur.

XVIII. Motum præterea nec nimis tardum, nec celerem nimis, esse necesse est, saltem quod ad nos. Quod si enim nimis sit celer, præterquam

quod linea, quam describit, satis accurate percipi & in partes dividi nequeat, difficile est dicere, in qua lineæ parte corpus motum sit, nunc motum absolvisse, nunc dimidium, nunc tertiam partem reliquam esse. Finge enim, horologii indicem, rapidissimæ rotæ adinstar, circumferri: nunquam definire poteris, quæ diei hora sit, immò ne quidem, quot revolutiones index confecerit.

XIX. Neque motus lentus nimis esse debet; quamvis enim linea in infinitum divisibilis sit, in partes tamen infinitas sensibiles dividi nequit. Hinc corporis etiam in illa linea motus diu insensibilis foret; sive transitus ab una parte sensibili ad aliam tantam requireret moram, ut infinitarum prope durationum, quas nunc metimur ἀκριβῶς, nullam mensuram haberemus.

XX. Motum porrò requirimus perpetuum, qui nec impediatur facilè, neque impediri possit; quod si enim cesset motus aliquandiu, jam duratio aliqua sine mensura præteriit, adeo ut, motu impedito, tempus æque non exacte mensuratum sit dicendum, ac pannum negligentius mensuratum dicimus, cum aliquâ pars, ulna non admota, prætermissa est. Hinc omnibus motum circularem præferimus, ceu maxime perpetuum.

XXI. Tandem etiam motum deposcimus sensibilem, quo enim magis in sensus incurrit, eo ad communem temporis mensuram est accommodatior. Sic motus continuus in eadem recta linea temporis mensura esse nequit. Præterquam enim quod, æqualis licet maxime, propter distantiam objecti crescentem indies, inæqualis videretur, nobis tandem plane insensibilis evaderet.

XXII. Ex his omnibus patet: primo, Clepsydras, Horologia, aliaque humana arte fabrefacta, motum quidem metiri, sed non accurate satis; motus enim artificiosus aut non est æquabilis, aut non perpetuus, ob crebra impedimenta, ideoque talia artificia ad perpetuum Solis motum subinde instaurari debent. Secundo, optimam temporis mensuram esse motus astrorum æquabiles, celeres satis nec lentos nimis, perpetuos, circulares, atque inter eos maxime sensibiles, Solis nempe & Lunæ. Hinc ad distinctionem temporum divinitus nobis hæc sidera data esse legimus, Genes. I.

XXIII. Horum ratione tempus distinguitur in Annum, Mensem, Diem &c. quæ accuratius si quis nosse desiderat, Chronologos & Astronomos adeat; ut enim Topographia à Physica loci tractatione; ita Chronologia à temporis consideratione Physica plurimum dissidet.

Nunc, an tempus solide explicaverimus, quæstionibus aliquot periculum faciemus.

Quæst. I.

Tempus quale est ens, realene an rationis? Resp. Multa in tempore considerari possunt. I. Ipsa rei, cujus tempus metimur, duratio. II. Durationis quantitas, sive durationis hujus cum alterius metientis, verbi gratiâ motus, duratione proportio. III. Ipsa rei duratio, quæ ad mensuram alterius assumitur. IV. Actio mentis, qua duratio, quam metimur, cum duratione

ratione mensurantis comparatur. His distinctius expensis, facilis est responsio; primum & tertium esse entia realia, neque enim duratio motus, sive rei cujuscunque, ab ejus existentia nisi ratione distinguitur. Quartum ens rationis, non quidem objective sic dictum, sive quod ideo tantum est, quia cogitationi meæ objicitur, sed effective potius & subjective, quia & à mente oritur & in mente fit, nihilque aliud est ac species cogitationis. Secundum, quod nobis proprie tempus dicitur, neutrum est. Non ens reale, nihil rei enim existentiæ aut durationi addit, sed hujus modo cum alia σχέσιν innuit; neque ens rationis, est enim aliqua, ut inter rerum extensiones, ita inter rerum durationes ratio, vel nemine cogitante. Ejusdem ergò realitatis est atque omnia τὰ πρός τι, quorum σχέσεις non in solidum à mente pendent. Quibus, si quod aliud nomen impertiri velis, gratias habebimus.

QUÆST. II.

An *tempus* & *quando* differunt? Resp. *Quando rei*, ita barbare vocant, dicimus σχέσιν entis, qua ad quæstionem *quando* apte respondetur. Hinc, obiter monemus, ambigue dici videtur, τὸ *quando* esse, quo res aliquando esse &c. dicuntur. Quærenti enim, quando vixerit Julius Cæsar, si responderes, *aliquando*; me & merito quidem, illusum quererer. Duplex igitur sensus est hujus quæstionis, *quando*: aut enim quæritur, quantum abhinc duraverit res aliqua mihi nota v. gr. motus Solis, ex quo hoc, de quo quæro, esse incepit aut desiit; sive quantum duratura sit post hac, donec fiat, vel esse desinat. Tum respondeo, verbi gratiâ, annos abhinc sedecim esse, cum sacro fonte fui ablutus; quinque effluxuros, antequam Ministerii gradum adipisci liceat. Estque, hac ratione, τὸ *quando* σχέσις existentiæ alicujus rei ad durationem rei notæ, quæ inter illam & aliquod momentum definitum effluxit. Aut vocabulo *quando* tantum quæritur, cum qua re notiore res illa ignotior simul extiterit, ut si quærenti, quando Aristoteles vixerit, respondeo sub Imperio Alexandri M. estque hoc sensu nihil aliud quàm rei quæsitæ cum alia nota coëxistentia. Utroque sensu à tempore plurimum distat. Priori, ut maxime tempus conceptu suo involvat, non tamen illius rei, de qua quærimus, quando fuerit vel futura sit. Posteriori nec ad durationem, nec ad ejus quantitatem attenditur.

QUÆST. III.

An præsens est pars temporis? Resp. Temporis proprie nullæ sunt partes, neque enim partes sunt quantitatis sed quanti, non magnitudinis sed durationis. Hujus autem quænam sint partes, in assertionibus diximus. Sitne præsens ejus pars quæritur; immo quærendum erat prius; sintne ejus partes præteritum & futurum. Neque enim tam partes esse judico, quam species temporis. Tempus enim est vel totum præteritum (præsens in controversia est) vel totum futurum, vel constans præterito & futuro, veluti si totam illam

illam durationem ab initio mundi usque ad consummationem seculi sumeres. De hac tantum quæritur, an præsens aliqua sit ejus pars. Si momentum innuis, jam negavi thesi tertia; si ἐν πλάτει accipis, ut vulgo sumitur, & ut revera existit, utique pars durationis dici potest, cum & ipsum tempus duratio sit suis constans partibus.

QUÆST. IV.

An tempus æternum & infinitum esse potest? Resp. Sepulta forte esset hæc quæstio, nisi Philosophorum summus hic cespitasset, cui merito respondendum est. Si tempore indigitatur, uti revera est; durationis quantitas, ridicule quæritur, utrum tempus sit æternum, cum infinitas esse nequeat attributum quantitatis. Si hic sit sensus, uti videtur, an integra hujus mundi duratio, cujus pars jam præteriit, pars sequetur, sit infinita, dicimus contradictionem involvere, partes habere; & infinitum esse. Sed ita arguit Philosophus: Momentum copula est præteriti & futuri; si hoc, jam primum momentum nullum, quod non præteritum præcessit, neque ultimum, quod non futurum sequetur. En ergo tibi tempus infinitum! Argumentum, cujus ope quidvis infinitum faciam. Hunc vermiculum considera; eum si velis, infinitum tibi dabo. Longitudinem, latitudinem, crassitiem linea mensurari asseris. At hæc est infinita. Quod si enim punctum copula est partium lineæ, primum si potes punctum inveni, nullum poteris, id est, nullam copulam, quam non præcedat sive sequatur lineæ pars. Sed & superficies infinita est. Si enim lineam pronuntiamus esse copulam partium superficiei, nec incipientem nec desinentem reperies, uti nec superficiem, si illa corporis partium copula est. En ergo tibi hunc vermiculum infinitum. Nulla nobis patet rima, nisi audacter negemus, omnes superficies, lineas, puncta, momenta, partium esse copulas; sed in corpore superficiem supremam & infimam, in superficie lineam incipientem & finientem, in linea duo puncta extrema, in tempore momentum primum & ultimum asseramus.

QUÆST. V.

An tempus fuit ante motum Solis? Resp. Tempus sine motu esse posse thesi XII. manifestum est. Sed sine motu non mensurari ex thesi XIII. Itaque fidenter dicimus ante motum quemcunque tempus fuisse. Torquet hæc difficultas eruditos, quod dies tres effluxisse dicat S. Scriptura ante creationem luminarium. Quomodo dies, cum nondum fuerint astra diei mensura? Fateor, si homo primo die esset creatus, dies forte illos metiri non potuisset; sed ut fuerint, mensura non erat opus. Homo trium cubitorum tantus fuit, quamvis ego ulnam ei nondum applicuerim, immò nullam habeam. Quare, ut tres illos dies fuisse intelligam, non opus est, ut alium,

sive

sive lucis primigeniæ sive corporis cujuscunque, motum confingam; dixisse sufficiat, tantum horum unumquodque (lucem primo ad creationem usque expansi, dein expansum ad usque distinctionem aquæ & terræ, & hanc ad luminarium creationem) duravisse, quantum nunc motus Solis diurnus. DEO autem motus omnis, ille etiam primi mobilis, jam tum, ut omnia, præsentissimus fuit.

QUÆST. VI.

Quomodo Sol diem integrum stetisse dici potest tempore Josuæ, cum Solis motus diei sit mensura? Resp. Si de ipso tempore sit sermo, responsio facilis est, tantum durasse illam Solis moram, quantum ante & post duravit revolutio una primi mobilis. Sed qua ratione hoc Israëlitis innotuit quæris? dicere possumus, ex laboribus exantlatis, eos, qui toties in bellis vires sunt experti, præter propter colligere id potuisse, præsertim qui phantasiæ vivacitate pollebant, quorum multi hodieque justum tempus elapsum nullo externo motu observato, solo motus antecedentis phantasmate, exacte satis metiuntur. Sed verisimilius est, præter illas omnium communes, Israëlitis temporis mensuras alias suppetiisse, quæ ipsis nostrorum horologiorum adinstar erant.

QUÆST. VII.

An motu mutato tempus quoque mutatur? Si de duratione accipis, non mutatur, ulna enim mutata, pannus non mutatur. Si de durationis mensura, mutatur haud dubie. Si de proportione inter mensuram & mensuratum; dicimus aliam quidem esse inter mensuratum & novam mensuram, atque inter idem & priorem mensuram. Si enim Sol duplo celerius moveretur, infans nunc bimulus esset quadriennis, & sic ex ratione dupla fieret quadrupla. Sed an ideo tempus mutari dicendum? Non reor. Neque panni Lutetia Basileam advecti longitudo mutari dicitur, licet ulna Basileensis sit minor Parisiensi. Tempus igitur non sola durationis mensuratæ cum metiente est proportio? Est tamen. Ætas infantis nihil aliud est quàm ratio durationis ejus ad durationem motus solaris. Neque illa ratio mutatur, sed manet eadem mensuræ prioris, & cujuscunque durationis ei æqualis, cum mensurato proportio, mensura vel centies mutata. Manet hîc Basileæ ratio panni ad ulnam Parisiensem eadem, quamvis ulna hic minor sit. De tempore res clarior est; motu duplo celeriore facto, duratio motus est eadem; non enim Sol diutius tum duravit bis curriculo, atque nunc semel eodem absoluto. Infantis igitur ætas eandem cum eadem duratione motus Solis, & quacunque ei æquali, perpetuo rationem habet, sed non eandem cum ea duratione, qua Sol curriculum suum conficit, quia, motu, ut

diximus mutato, duratio hujus motus non eadem est, sed prioris subdupla. Aliter ergo nos tempus metiremur, tempus aliud non esset.

QUÆST. VIII.

An post consummationem seculi tempus est futurum? Resp. Non dubitamus: semper enim duratio creaturæ est finita, partibus constans, ideoque inter eam & aliam finitam ratio est. Sed num temporis futura sit mensura, hancque sive beati sive damnati sint observaturi; hic vero liceat nobis ἐπέχειν.

„ Hæc de Tempore meditati sumus; nunc vero utrum tempus perdi-
„ derimus Κριτῶν ἐν γούνασι κεῖται.

DIALO-

DIALOGUS
DE
ANIMÆ IMMORTALITATE.

A. DIc mihi, num, cum moriuntur homines, in nihilum abeunt?

B. Non magis, quàm horologium cum deſtruitur.

A. Quid igitur remanet, quando homo moritur?

B. Deſtructâ formâ ſubſtantia manet, ut in horologio.

A. Nulliusne ſubſtantiæ, quæ deſtructa prorſus in nihilum abiit, exemplum habes?

B. Nullius prorſus.

A. Nullam igitur prorſus in nihilum abire, credis?

B. Cum neque ego, neque quiſquam alius, hujus rei exemplum ullum afferre poſſimus: ita vehementer in hanc ſententiam propendeo, ut eam pro certa habeam.

A. Si quæ ſubſtantia in te eſſet, corpore tuo non modo non ignobilior, ſed longè

longè isto præstantior, hancne tu substantiam, cum moreris, prorsus in nihilum abire crederes?

B. Quare ego crederem, nobiliorem substantiam in nihilum redigi, manente & subsistente ignobiliore?

A. Sed nonne à Deo illa in nihilum redigi posset?

B. De eo, quod Deus possit, solicitus ego non sum. Nolle id mihi videtur, quod nunquam, quantum ego scio, facit. Et, qui non vult destruere prorsus creaturam ignobiliorem, non eum credibile est velle nobiliorem omninò perdere. Quod si de Deo mihi judicare liceret; dicerem hoc neque constantiam ejus, neque bonitatem, neque sapientiam, neque potentiam decere. Non constantiam, quia talis rei creatæ destructio propositi mutatio videtur; non bonitatem, quia illa odium, aut saltem neglectum creaturæ in Creatore argueret; non sapientiam, quia videretur Deus ante creationem rem non satis considerasse; non denique potentiam, quia hoc defectum aliquem in creatura indicaret, quem Creator emendare non posset. Hæc mihi homuncioni nonnunquam in mentem veniunt: quod, si indigna Deo sunt, ignoscat mihi Deus. De eo, ut possum, judico.

A. Videris igitur prorsus credere, nullam in hoc universo substantiam in nihilum redigi: sed clarius mihi expedi, cum moriuntur homines, quid fit?

B. Destruitur ista corporis fabrica, dissolvitur, in partes dividitur, pars in terram abit, pars vermibus cedit, pars plantis nutrimentum præbet, pars avibus, pars in auras dissipatur.

A. Si quid igitur in te esset, quod partes non haberet, numquid illud mori posset hac ratione?

B. Neutiquam.

A. Immortale igitur esset, saltem isto sensu?

B. Prorsus immortale.

A. Ita tu cogitas?

B. Ego verò ita cogito.

A. Sed illud, quod in te hoc cogitat, estne ipsa illa machina, quæ destruitur, quæ dissolvitur, quæ dividitur, quæ partes habet?

B. Nescio.

A. Videsne, cum te ipsum excutis, cum attendis ad tuæ cogitationis naturam, illam rem talem esse, quæ corpus aliquod, quæ fabricam corporis ejusque varias partes, requirat. Videsne τὸ *cogitare* rem esse, quæ sine corpore, sine partibus, esse non possit?

B. Nullas video ad cogitationem, ut ego quidem eam cognosco, requiri partes, nullam figuram, nullam extensionem, nullam divisibilitatem.

A. Sed forte reperies cogitationem aliquam posse produci, cum attendis ad naturam corporis, variasque ejus modificationes.

B. Corpus extensum esse video, extensum dividi posse in partes majores, mino-

minores, hujus aut illius figuræ; partes has hoc aut aliò modo posse inter se disponi; quasdam moveri posse, quasdam quiescere; moveri alias per hanc, alias per aliam lineam; moveri velocius, tardius, &c.

A. Sed annon his mutationibus corporis, iterum iterumque repetitis, tandem effici posset, ut corpus aliquod cogitaret?

B. Lepidum hoc esset spectaculum, si corpus post varias partium conformationes, divisiones & subdivisiones, tandem inciperet cogitare. Ego verò hoc capere nullo modo possum. Quid? Simulne & semel hæc cogitatio oriretur, an post dimidiam partem divisionum requisitarum corpus semi-cogitaret, post quartam earum partem, haberet quartam cogitationis partem? Et quomodo tandem conformari deberet corpus, ut tandem inciperet de sui existentia dubitare? Nam sunt qui, an corpus habeant, dubitant.

A. Cum igitur, neque in naturâ cogitationis ullam corporis necessitatem reperias, neque ex natura corporis, ullam cogitationem exsculpere possis; cum neque videas qua ratione aliquid cogitare debeat, ut sit extensum, neque quomodo debeat corpus variari, ut cogitet: cum neque diversos cogitationis modos, ex diversis modis extensionis, neque ex diversis cogitandi modis *diversos modos extensionis*, ulla mentis attentione exprimere possis: an non credis tandem, rem extensam & rem cogitantem esse res sive substantias inter se diversas?

B. Ita certè credo: neque extensum est cogitans, neque cogitans extensum est.

A. Ergo, quod in te cogitat, extensum non est?

B. Non est,

A. Ergo partes non habet, in quas dividi possit?

B. Nullas omnino.

A. Ergo dividi, dispergi non potest?

B. Nullo modo,

A. Ergo ne mori quidem. Cum verò nihil, i. e. substantia nulla, funditùs intereat, ne corpus quidem: efficitur, substantiam, quæ in te cogitat, à corpore, ut concessisti, diversam, ipsoque corpore, ut quilibet sentit, nobiliorem, neque perire secundum substantiam, neque eo modo destrui, & mori, quo destruitur & moritur corpus. Quomodo vocas illam rem, quæ in te cogitat?

B. Animam.

A. An aliud quid in anima tua est, quam cogitatio?

B. Nihil prorsus aliud in illa deprehendere possum, neque quicquam, quod aliud in illa esse arguat. Imnò si animæ cogitationem adimerem, nihil mihi in mente reliquum esset, nisi nomen inane nihil significans.

A. Ergo concipere non potes, animam esse sine cogitatione?

B. Animam non magis concipere possum sine cogitatione, atque corpus sine extensione.

 A. Cor-

A. Corpus idcirco ſine extenſione eſſe non poſſe credis ?

B. Ob hanc certe rationem ita credo.

A. Ergo & animam ſine cogitatione eſſe non poſſe exiſtimas ?

B. Prorſus ita ſentio.

A. Cum igitur anima, poſt corporis deſtructionem, ut corpus, deſtrui nequeat; multo minus intereat ſecundum ſubſtantiam, quod ne quidem de corpore dici poteſt; & tamen ſine cogitatione eſſe non poſſit: concludo, te fortaſſe non renitente, animam poſt mortem non perire, ſed ſuperſtitem eſſe, non mori, ſed vivere, & ita quidem vivere ut cogitet.

B. Hæc omnia, me non invito, concludere potes: quanquam huc te tendere ab initio non videbam.

PHILOSOPHIÆ MORALIS SPECIMEN.

I. PHILOSOPHIA moralis, ſive *Ethica*, eſt habitus ſecundum rectam rationem vivendi.

II. Huic omnes reliquæ, quæ ad Philoſophiam referuntur, diſciplinæ ancillantur: atque adeo non tam ſunt partes, quam προπαιδεία Philoſophiæ; quæ, ſi finem ſpectes, habitus eſt practicus.

III. Ethica, ut plenius, quam adhuc fieri conſuevit, tradatur, quatuor minimum conſtare debet partibus.

IV. *Prima* ex ipſis rationis principiis demonſtrabit, quid ſit ſecundum rectam rationem vivere, quidque ratio à nobis in quolibet caſu poſtulet.

V. *Secunda* proponet incitamenta, ſive motiva, ut vocant, quæ nos ad convenienter rationi vivendum adducant.

VI. *Tertia* monſtrabit impedimenta, quæ nos à rationis tramite in vita noſtra inſtituenda abducunt.

VII. *Quarta* nobis præſcribet omnis generis exercitationes, quarum uſu

crebraque iteratione, & obstacula ista amovere, & ad habitum secundum rationem vivendi paulatim propius accedere queamus.

VIII. *Prima* monstrabit, quid nobis faciendum sit; *secunda* incitabit, ut id facere velimus; *tertia* & *quarta* nos præparabunt & disponent, ut id facere possimus.

PRIMA PARS ETHICÆ.

IX. Quod sana ratio à nobis postulat, *officium* à Philosophis appellari solet.

X. Officia commode vulgo dividuntur in ea, quibus *Deo*, quibus *nobis*, & quibus *aliis hominibus* obstringimur.

XI. Ratio exigit, ut *Deo*, à quo omnino pendemus, omnia, quæ sumus & habemus, accepta referamus; omnia ab ipso expectemus & petamus; nostram voluntatem ejus voluntati subjiciamus; infinitas ejus perfectiones, uti par est, & æstimemus, & revereamur, bonitatem præsertim erga creaturas intensissimo amore prosequamur: Huncque de Deo sensum non intra pectus premamus, sed externis etiam signis, corporis nostri motibus, gestibus, dictis præcipue atque factis, exprimamus.

XII. Ratio exigit, ut ii, quibus Deus plura & majora præ aliis beneficia præstitit, præ aliis ipsum ament.

XIII. Ratio postulat, ut nos ipsos, nostram animam & corpus, omnesque utriusque dotes, & quicquid rerum externarum ad hæc conservanda pertinet, solicite conservemus; eaque omnia magis ac magis perficiamus, atque augeamus.

XIV. Ratio poscit, ut, quo quid in nobis præstantius est, quo magis, quo diutius nostrum, eo, cæteris paribus, majori solicitudine id & conservemus & perficiamus.

XV. Officia *erga alios* sunt vel *universalia*, quibus omnibus hominibus, vel *particularia*, quibus aliquibus tantum obstringimur.

XVI. Circa *universalia* requirit ratio, ut alios homines æquè ac nos homines esse, consideremus: eos tractemus non modo tanquam consanguineos, sed tanquam natura prorsus nobis æquales; nihil credamus nobis licere, quod non illis pariter liceat; nullum nobis in illos jus arrogemus, nisi præcisè tantum, quantum illi consensu suo expresso aut tacito, nobis concesserunt; atque concesso jure humaniter utamur.

XVII. Ratio requirit, ut, siquidem totum sit majus sua parte, totam generis humani societatem, parti ejus, atque proinde nobis quoque ipsis, anteponamus; ut fidem, præcipuum societatis vinculum, sancte servemus; ut præferamus quoque particulares societates, quarum partes constituimus, quibuslibet illarum membris, ac proinde etiam nobis ipsis.

XVIII. Officia *specialia* sunt, quibus aliis obstringimur, vel propter specialem cognationem, vel propter peculiaria beneficia ab ipsis accepta (ubi amor & voluntas pro ipso facto habetur) vel denique propter speciale pactum.

XIX.

XIX. Hic ratio exigit, ut, quo plura & arctiora ſunt vincula, quibus aliis obſtringimur, eo diligentius omnia humanitatis officia illis præſtemus.

SECUNDA PARS ETHICÆ.

De Incitamentis ſive Motivis ad officium.

XX. Sunt illa vel *generalia* vel *ſpecialia.*

XXI. *Generalia* ad quodlibet officii genus quoslibet incitare poſſunt.

XXII. Generale v. g. ad officium incitamentum eſt, illa animi tranquillitas, illa conſtans & perpetua voluptas, quæ officii præſtiti conſcientiam ſequitur; cui opponuntur perpetui conſcientiæ morſus, qui ex officii neglecti conſcientia oriuntur.

XXIII. Generale quoque incitamentum eſt approbatio bonorum & ſapientum, famaque viri boni; res & nobis & aliis utilis, de qua nemo cogitat, quin illam deſideret; nemo comparavit, quin illa lætetur.

XXIV. *Specialia* incitamenta ſunt vel *ratione certorum officiorum;* vel *ratione certorum hominum.* Illa ſunt, quæ homines incitant ad certum genus officii.

XXV. Ad amorem Dei e. g. nos incitat, perpendere beneficia nobis cum omnibus, cum multis, cum paucis communia, nobis ipſis propria, quotannis, quotidie, ſingulis horis, minutis, momentis nobis præſtita: conſiderare, nil amabile eſſe in creaturis, quod non ſit à Deo, & quod ipſum non ſit amabilius in Deo.

XXVI. Ut, quod officium nobis ipſis debemus, præſtemus, movebit nos amor noſtri, qui, dummodo ſit cum ratione conjunctus, nunquam improbabitur. Hic ipſe amor noſtri excitabit nos, ut ſolicite caveamus, ne, dum nobis prodeſſe volumus, vehementer obſimus. Ad noſtri curam gerendam excitabunt nos illi quoque, quibus optime conſultum cupimus, quibus tanto eſſe poſſumus utiliores, quanto ſumus omnibus bonis ornatiores.

XXVII. Ad fidem ſervandam incitabit nos, ſi cogitamus, quid de nobis futurum eſſet, ſi nemo amplius nobis fidem ſervaret.

XXVIII. *Specialia ratione certorum hominum* ad officium incitamenta ſunt, quæ certos homines præcipuè ad officium faciendum adducunt.

XXIX. E. g. Avarum, ne alios defraudet, movebit, ſi cogitabit, quantum malum ſit, ab aliis defraudari. Pigrum ab ambitione retrahet, ſi ipſi oſtendes, quanti conſtet honor, & quam operoſa res ſit ambitio.

TERTIA PARS ETHICÆ.

De Impedimentis Virtutis.

XXX. Impedimenta iſta, quo minus ex præſcripto rationis vivamus, ſunt iidem

itidem vel *generalia* vel *specialia*. Illa in genere ab omni officio, hæc a quibusdam nos abducunt.

XXXI. Utraque vel sunt *in nobis ipsis* vel *in aliis*.

XXXII. *In nobis ipsis*, (nativa omnium corruptio, quam peccatum originis vocant, Theologicæ est considerationis) sunt *primo* præjudicia nostra: quorum plerisque prima & secunda pars Ethicæ medebitur. Sunt tamen & alia præjudicia, homines à studio virtutis retrahentia, inter quæ præcipuum hoc est: quia nullus hominum ad perfectam sapientiam pervenit, ut in omnibus actionibus rationis ductum sequatur; rem ne quidem tentandam aut inchoandam esse. Quod perinde esset, ac si quis pedem conservare nollet, videns omnes se pedis digitos conservare non posse.

XXXIII. Secundo, temperamentum nostrum, quod sæpe plus ponderis habet quam ratio.

XXXIV. Affectus in aliis mitiores, in aliis vehementiores; in omnibus ratione naturaliter longe potentiores.

XXXV. Habitus perversi, longa consuetudine contracti.

XXXVI. Impedimenta virtutis, quæ sunt *extra nos* videl. *in aliis hominibus*: sunt primo perversa judicia aliorum, quæ ex pigritia, aut ex stulta eorum admiratione malumus sequi, quam propriam rationem consulere.

XXXVII. Secundo, exempla aliorum, quæ nos non advertentes, interdum tantum non invitos, ad imitationem trahunt.

XXXVIII. Ingens stultorum numerus, cui pauci quidam cæteris sapientiores vix resistere possunt. Horum convicia, sannæ, ludibria, quæ subeunda, cum aliter atque illi agimus.

XXXIX. *Specialia impedimenta*, quæ nos a quibusdam tantum officiis retrahunt, sunt fere innumerabilia.

XL. E. gr. Nimius nostri amor impedit nos, quo minus de aliis, quantum debemus, soliciti simus.

XLI. Angustia intellectus nostri facit, ut omnes cogitationes nostras in præsenti tempore defigentes, tum nobis videamur nos amare, quum ingens & diuturnum bonum futurum levissimo & brevissimo præsenti postponimus. &c.

QUARTA PARS ETHICÆ.

De Exercitationibus ad comparandum Virtutis habitum necessariis.

XLII. *Exercitationes* istæ sunt itidem vel *generales* vel *speciales*.

XLIII. *Generales* sunt, quæ in genere faciunt ad confirmandam rationem in rebus ad vitam pertinentibus; aut ad debilitanda ea, quæ rationi adversantur.

XLIV. *Ad confirmandam rationem pertinet*, v. gr. regulas vitæ maximè necessarias, crebris de iis cogitationibus, sibi quam familiarissimas reddere, ut in actionibus perpetuo nobis occurrant, &c.

XLV.

XLV. *Ad debilitanda ea, quæ rationi adverſantur, facit*, v. gr. Affectus compeſcere, aut removendo objecta, quæ illos excitare poſſunt, aut affectu ipſos inter ſe commitendo, ut, poſtquam alius alium debilitaverit, ratio tandem ſuperior evadat, ſecundum illud: *Divide & impera*. &c.

XLVI. *Exercitationes* iſtæ dividi poſſunt in *exercitationes animi* & *corporis*. *Animi exercitationes* ſunt, ſi crebris cogitationibus facimus, ut facile & libenter de aliqua re cogitemus. Sic ſi crebro aliquid volumus, illius voluntatis habitus acquiritur.

XLVII. *Corporis exercitationes* ſunt, quæ corpus noſtrum ita præparant, ut rationis imperiis non adverſetur.

XLVIII. Sic, verbi gratia crebris exercitationibus pigritia excutitur, multos labores tolerando corpus laborum patiens reddimus, abſtinentia corpus aſſuefacimus, ut rebus ſupervacuis minus indigeat; temperamentum noſtrum in contrariam partem flectendo efficimus, ut in juſta mediocritate ſubſiſtat; &c.

XLIX. *Exercitationes ſpeciales* ſunt illæ, quæ nos ad virtutem aliquam, aut officium ſpeciale, præparant.

THE.

THESES
EX
VARIIS PHILOSOPHIÆ PARTIBUS.

EX LOGICA.

I. LOGICA non magis Philosophiæ proprie dictæ pars est atque Theologiæ.

II. Quanquam verum sit illud Aristotelis, ὅτι τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων, οὐδὲν οὔτε ἀληθὲς οὔτε ψευδές ἐστι : nihil tamen obstat, quin in simplici apprehensione falsitatem esse dicamus.

III. Si verum est, quod Rodericus de Arriaga de decem categoriis Aristotelicis sensit, uti quidem verum esse videtur, *esse eas communes duntaxat loquendi modos*, *etiam ex Aristotelis sententia* : mentem hujus Philosophi non satis assequi videntur, qui de numero prædicamentorum ei litem movent.

IV. Nihili datur idea.

V. Multa concipimus, quæ non imaginamur.

VI. Nihil imaginamur, quin idem prius fuerit in sensu.

VII. Numerum universalium operose cum Derodone inire, & inutile est & ineptum.

VIII. Omnia genera æquivoca & analoga per mentis abstractionem ad univoca facile reduci possunt.

IX.

IX. DEUS est individuum, quod de pluribus prædicari potest.

X. Animalitas non minus est differentia hominis, quàm rationalitas.

XI. Absurda est Philosophi cujusdam moderni sententia statuentis, *judicium nihil aliud esse, quàm compositionem divisionemve nominum per verbum* EST *aut* NON EST. Et quamvis ea forte negligenda videri possit; viam tamen ad Scepticismum & Atheismum sternit.

XII. Si quis de rebus omnibus recte judicare cupit; lubentius huic consulerem, cum Paulo, ut *omnia probet*; quàm cum Cartesio, ut *de omnibus dubitet*

XIII. Quanquam non in omnibus rejiciam illud Eustathii: *ὡς εὐπορίας γνωστικῆς μήτηρ ἡ ζητητικὴ ἀπορία.*

XIV. Enuntiatio indefinita, si seorsum consideretur extra sermonis seriem, universali semper respondet.

XV. Singularis itidem universalis potius quàm particularis vim habet, quare, ut syllogismi expositorii ad modos universales referantur, propositiones singulares pro universalibus habendæ sunt.

XVI. Error est in intellectu solo; estque in voluntate sola; estque & in intellectu & in voluntate; estque nec in intellectu nec in voluntate.

XVII. Si in eo erravit novæ Academiæ auctor Arcesilas, quod nihil omnino sciri posse credidit; in eo certe errasse dicendus non est, quod, teste Cicerone in Academicis quæstionibus, docuit: *insignem esse temeritatem cum aut falsa aut incognita res approbatur, neque hoc quicquam esse turpius, quam cognitioni & perceptioni assensionem approbationemque præcurrere.*

XVIII. Nomina non φύσει, uti argute apud Agellium Nigidius probare voluit, sed θέσει rebus indita esse extra controversiam est. Non igitur in re ipsa errat, qui nomina non definit, aut perperam definit; & tamen nomina, aut non definita aut male definita, infinitorum pene in rebus ipsis errorem caussa sunt.

XIX. Sensus fallunt & non fallunt.

XX. Frustra se torquent Ramus & Ramistæ, ut omnia in duas partes dividant, cum τριχοτομία nonnunquam commodior sit.

XXI. Recte Seneca: *Id vitii habet nimia, quod nulla divisio. Simile confuso est quicquid in pulverem usque sectum est.*

XXII. Ratiocinatio & judicium non sunt coordinata sed subordinata.

XXIII. Quædam scimus sine syllogismo: multa ope syllogismi: plurima tamen ille scit, qui nullum unquam syllogismum fecit.

XXIV. Syllogismi hypothetici & disjunctivi ad veritatem investigandam syllogismis categoricis aptiores sunt.

XXV. Inductionis tamen maximus etiam est in Physicis usus. Quare non male sapientissimus Baco, *longa demum*, ait, *& quàm fieri potest, perfectissima experimentorum inductione, rerum naturalium scientiam esse parandam.*

XXVI. Sapienter Aristoteles sophismatum cognitionem cum ad alia utilem

esse dicit, tum præcipue *πρὸς τὰς καθ' ἑαυτὸν ζητήσεις: ὁ γὰρ*, ait: *ὑφ' ἑτέρων ῥαδίως παραλογιζόμενος, καὶ τοῦτο μὴ αἰσθανόμενος, κἂν αὐτὸς ὑφ' αὑτοῦ τοῦτο πάθοι πολλάκις.*

XXVII. In recta methodo quæstio *an sit* quandoque præcedit quæstionem *quid sit*: quandoque etiam quæstio *quid sit*, quæstionem *an sit*.

XXVIII. Circulum à Cartesio in meditationibus committi, petenti ostendam.

EX RHETORICA.

I. Mutus etiam orator esse potest.

II. Orator Rege potentior est.

III. Perspicuitas prima est oratoris virtus. Falluntur igitur, qui tum demum sibi ingeniose dixisse videntur, si ad eos intelligendos opus est ingenio.

IV. Vocabula locutionesque frequentissimæ elegantissimæ sunt.

V. Floridum igitur, uti vocant, dicendi genus ex locutionibus minus obviis, flosculis rarioribus, ex variis scriptoribus, cum priscis tum recentioribus, excerptis, frequentibus parœmiis, crebris hemistichiis, mellitisque ejuscemodi verborum globulis contextum, pueros magis quàm viros decet.

VI. Neque minus reprehendendi sunt illi, qui, ut antiquitatem sapiat eorum dictio, voces obsoletas

Verbaque cinctutis non exaudita Cethegis,

ceu totidem gemmas, orationi innectunt, plane quasi nihil magis vererentur, quàm ne forte à Livio Andronico aut ab Ennio reviviscentibus non intelligerentur.

VII. Quoniam homines affectuum impetu potius, quàm rectæ rationis dictamine reguntur; si quis ex me quæreret, uti quondam ex Demosthene quæsitum legimus, quid in arte Rhetorica primum, quid secundum, quid ultimum sit; haud falso dicerem: affectus hominum pro lubitu concitare & compescere.

XIII. Hoc affectus concitandi compescendique artificium non is optime callet, qui in Rhetoricæ præceptis addiscendis consenuit, sed qui se ipsum primo, deinde alios homines cum perspicaci attentione, tum diuturna experientia, quam fieri potest penitissime, cognoscere didicit.

EX GRAMMATICA ET PHILOLOGIA.

I. Argumento Grammatico ex nomine אלהים desumpto, ad personarum in divina *οὐσίᾳ* trinitatem probandam, haud multo felicius adversus Judæos utimur, atque illi adversus nos Cabalisticis suis ratiocinationibus.

II. Tametsi non dubitem, Davidem Psalmorum auctorem esse, dubito tamen, an לדוד, quod toties occurrit, notet genitivum auctoris; & dubitabo

tabo, donec mihi monstretur exemplum aliud non controversum, ubi τὸ ל genitivum auctoris certo significet. De paucis enim exemplis, quæ afferri possunt, non minus, quam de hoc, dubitari posse puto.

III. Disceptent Critici num Psal. IV. ℣. hæc verba: אמרו בלבבכם על משכבכם recte vertantur: *loquimini in corde vestro super cubili vestro*: annon vertenda sunt; *dicite in corde vestro s. c. v.* & si hoc est: annon sensus verborum videatur incompletus; atque annon liceat conjicere: hæc verba נסה-עלינו אור פניך יהוה, statim voci משכבכם esse subjicienda?

IV. Si omnes linguæ vocales punctis notatas consonantibus subjicerent, ut in lingua Hebraica fit, vocum origines notiores essent, pluraque Hebraicæ linguæ vestigia in cæteris omnibus reperirentur.

V. Neque Pfochenio assentimur, qui nullos in Novo Testamento Hebraismos agnoscit, neque Heinsio, qui peculiarem nobis linguam Hellenisticam narrat.

VI. Plus ex sola τῶν ἑβδομήκοντα lectione Novo Testamento lucis inferri potest, quàm ex omnium omnino Græcorum, quotquot vel soluta vel ligata oratione scripserunt, lectione.

VII. Multa in Novo Testamento recte in Hebraismis numerantur, quæ in reliquis Græcis scriptoribus Hebraismi non sunt.

VIII. De Pyrrhone Diogenes Laërtius, Lib. IX. pag. 582. Edit. Wetsten. ἐυσεβῶς τε καὶ τῇ ἀδελφῇ συνεβίω, μαίᾳ οὔσῃ. Videant Critici, annon antecedentibus & consequentibus melius quadret si legatur: ἐυτελῶς.

IX. Συδάριον vox est origine Græca & Latina.

X. Versus neque Latinos neque Græcos recte legimus.

XI. Definitio Aristotelica Syllogismi: Λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων, obscure vulgo redditur: *Oratio, in qua quibusdam positis, &c.* clarius & Latinius A. Gellius: *Syllogismus est oratio, in qua consensis quibusdam & concessis, aliud quid, quàm quæ concessa sunt, per ea quæ concessa sunt necessariò conficitur.*

XII. Hæc oratio: *Ita sese res habet cum illo negotio, tibi prima vice scripsi, & hactenus repetii: in quo si prolixior fui, non abs re feci: credideram enim teneri me ea tibi indigitare prolixius, quæ te latent:* latina esse si cui videbitur; ego vero mallem ita dicere: *Ita res it, ut tibi primo scripsi, & repetii adhuc, quod si longius feci, feci id non sine caussa: credideram enim debuisse me longiorem esse, ut ea tibi nota facerem, quæ tibi latent.*

EX PHILOSOPHIA MORALI.

I. Summum bonum unicum est idque infinitum, cujus desiderio omnes tenentur: unde insatiabilis ille hominum appetitus, qui non nisi boni infiniti possessione sedari potest.

II. Quæ de indolentia atque perturbationum vacuitate Stoici garriunt, Thrasonicæ potius ampullæ sunt, quam solidæ Philosophiæ decreta.

III. Mala est actio, quæ ex malo fine provenit, non item bona, quæ ex bono.
IV. Inter duo vitia duæ nonnunquam sunt mediæ virtutes.
V. Virtutes omnes pares sunt, nec tamen vitia sunt paria.
VI. Sunt quædam verba obscœna, neque tamen in verbis obscœnitas est.
VII. Muti non minus mentiri possunt atque loquentes.
VIII. Iniqua jubentibus Dominis parendum est, neque tamen iniqua sunt facienda.
IX. Bellum paci opponitur: nihilominus alterum alterius sæpenumero caussa est & effectus.
X. Neque Monarchia, neque Aristocratia, neque Democratia absolutè optima est Reipub. forma.
XI Necesse est, ut aut unus, aut plures, aut omnes imperent: nullum est medium: & tamen datur Respublica mixta.

EX METAPHYSICA ET PNEUMATICA.

I. Essentia & existentia realiter non differunt.
II Existentiæ conceptus simplicior est conceptu essentiæ, hicque illum semper includit.
III. Inter ens infinitum & nihil, non est infinita distantia.
IV. Qui fines rei negat, nihil negat.
V. Quantitas non est ipsa materia.
VI. Non omnes relationes sunt mera entia rationis.
VII. Quæstio, an anima separata sit suppositum, de nomine potiùs est quàm de re.
VIII. Caussæ secundæ, si cum prima conferuntur, non sunt caussæ.
IX. Si quicquam est: Deus est.
X. Spiritus sunt in loco; sed non ut corpora: neque tamen inde, quod nullam aliam cum loco spiritus relationem sciamus, quàm quod in loco operetur, colligendum est, nullam aliam esse; nihil enim perfectè cognoscimus.
XI. Nullum corpus ita rarefieri potest, ut spiritus evadat.
XII. Anima separata corporales quoque dolores sentire potest.

EX PHYSICA.

I. Datur materia elementis communis, atque propterea elementa in se invicem transmutari possunt.
II. Nulla datur propriè dicta motus communicatio.
III. Eandem semper motus quantitatem in mundo esse, Cartesius nullo evidenti argumento demonstrare potest.
IV. Unum idemque corpus simul moveri potest, & quiescere.
V. Malè Cartesius aliquam quieti resistentiam tribuit, atque adeò perperam statuit: *tantundem realitatis esse in quiete atque in motu.*

VI. Lo-

VI. Locus rei non est ipsa rei extensio.

VII. Natura abhorret à vacuo. Gravia centrum appetunt: neque qui ita loquuntur sugillandi sunt, tanquam cogitationes corporibus tribuentes.

VIII. Sententia Theologi illius Angli H. M. quâ contendit *spatia corporibus vacua divina extensione impleri*, absurda est & Deo indigna.

IX. In dolio vacuo tantundem est materiæ atque in pleno.

V. Singula corpora sunt in loco; universa non sunt.

VI. Circa principium mundi Aristoteles, circa fines ejus Cartesius erravit.

XII. In extrema mundi superficie neque pori sunt neque hiatus, neque montes neque valles.

XIII. Aër gravis est, quia levis est: neque tamen vulgare experimentum vesicæ aëris gravitatem probat.

XIV. Durum & molle non magis sunt contraria, quàm calidum & tepidum.

XV. Sonum nihil aliud esse, quàm τὴν τοῦ ἀέρος πλῆξιν; atque βροντὰς σύγκρουσιν νεφῶν, jam vetustissimis Philosophis, illud quidem Archelao, hoc Anaxagoræ, fuit cognitum.

XVI. Philosophus pedum doloribus non laborat.

XVII. Cæcus natus nullas colorum ideas habet; album tamen à nigro discernere potest: in quorum natura inquirenda plus juvat Philosophum cæci unius, quàm mille videntium judicium.

XVIII. Bruta animantia meras esse machinas demonstrari nequit.

XIX. Magnes non attrahit ferrum.

XX. Nullus est Physicorum, cui non sæpissimè cum Aristotele ad qualitates occultas confugiendum sit, adeoque angusta est mentis nostræ capacitas, ut ne minimum quidem pulvisculum perfectè cognoscamus.

EX MATHEMATICA.

I. Nihil est tam parvum, quin possit fieri minus, neque tantum, quin possit fieri majus.

II. Nihil tam parvum est, quin idem sit magnum, neque tantum, quin idem sit parvum.

III. Dantur puncta mathematica, non autem Physica.

IV. Neque linea recta benè definitur: *linea, quæ intra suos terminos est brevissima*; neque lineas parallelas rectè dixeris, *lineas, quæ in infinitum ductæ nunquam concurrunt.*

V. Claram distinctamque trianguli notionem habere possumus, etiamsi de eo non cogitemus, tres ejus angulos duobus rectis esse æquales: & trianguli rectanguli, quamvis fortè ignoremus, quadratum hypotenusæ esse æquale quadratis reliquorum laterum.

VI. Cometas esse stellas fixas incrustatas, atque à vicino vortice abreptas mihi non sit verisimile.

VII. Corpus Saturni uno momento terram tangere posset: neque ad id virtute divina opus est.

VIII. Nihil certius quidem est principio illo Optico: angulum reflexionis aequalem esse angulo incidentiae; sed à Cartesio non solidè demonstratur.

Aristoteles de Sophisticis Elenchis.

Ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ θᾶττον καὶ τὸ βραδύτερον ἐκ τοῦ γεγυμνάσθαι γίνεται μᾶλλον, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν λόγων ἔχει.

IDE'E

IDÉE D'UN PHILOSOPHE.

JE ME *represente un homme, qui a perfectionné sa raison naturelle autant qu'on le peut, il s'est accoûtumé de bonne heure à faire usage de son Esprit, il s'est exercé dans les Etudes, qui servent à le rendre plus attentif, plus juste, & plus penetrant. Il a apris à distinguer de cette maniere le vray & le faux, le certain & le douteux, le plus & le moins vraisemblable. Outre cela il a gueri son Esprit de tous les préjugés de l'Enfance, & de toute prévention pour de certains hommes, ou pour de certains livres, de quelque Reputation qu'ils puissent être dans le Monde pour les Coûtumes de son Pays, & pour une infinité de fausses maximes, que les passions des hommes ont établies. Avec cet Esprit il s'applique uniquement à la sagesse, ce qu'il ne croit pas faire en aprenant ou en se forgeant lui-même un Systême de Philosophie*

losophie, dont il s'entête, qu'il veut garantir sans defaut, & le soûtenir contre tous ceux qui oseront entrer en lice contre lui; sachant ce qu'il faut pour savoir une chose, il ne croit jamais savoir ce qu'il ne sait pas. Il n'a pas non plus le goût de nos Savans, qui ne cherchent qu'à se distinguer par la multitude & par la rareté de leurs connoissances. Il ne croit pas qu'un homme est plus sage que son voisin, quand il sait mille choses inutiles qui sont inconnuës à l'autre. Il medite sur les meilleurs livres, il fait des Reflexions, non seulement sur ce qu'il lit; mais sur tout ce qui se presente à lui. Il étudie le Monde aussi bien que les livres, & le plus souvent il s'étudie lui-même. Dans toutes ses Etudes il s'aplique principalement à trouver les connoissances, qui sont les plus necessaires & les plus importantes pour bien vivre; c'est le but qu'il a toûjours en vuë: plus une verité est utile à cette fin, plus il y trouve d'attraits, plus il s'y arrête, plus il y prend plaisir. Il la deduit de ses premiers principes, il la tourne de tous côtez, il limite son étenduë, il determine au juste sa certitude ou sa vraisemblance. Il se la rend familiere, il se l'imprime, afin que cette verité, toûjours presente à son Esprit, regle sa conduite. D'une maxime generale il tire beaucoup de particulieres, pour les avoir toutes faites autant de fois qu'il faut, pour agir suivant ces regles.

Ayant par ce moyen enrichi son Esprit de tant de salutaires connoissances, il ne borne pas là ses Etudes, il croit que le principal est encore à faire. Il voit, que les hommes agissent rarement selon leurs lumieres. La raison a beau les appeller, ils n'ont pas la force de la suivre; les passions & les inclinations les portent ailleurs. Il sent ce défaut en lui même, il pense donc à regler son cœur, après avoir éclairé sa raison. Il s'accoûtume peu à peu à ne pas suivre ses inclinations deraisonnables, il s'exerce à moderer ses passions, il resiste à leurs emportemens, il s'efforce à les contrarier, il domte son temperament & le corrige par une vie reglée. Ne pouvant pas toûjours arrêter, comme il voudroit, le cours de son sang & de ses Esprits, il fuit les objets, qui peuvent produire quelque dereglement dans son cœur: Il se prive même des plaisirs innocens pour s'accoûtumer à se pouvoir passer des illegittimes. Ainsi par une longue coûtume, par une vigilance continuelle, par tant

d'exerci-

d'exercices & d'efforts redoublés, il se fait une habitude de suivre sa raison préferablement à ses passions. Le plaisir inexprimable, qu'il ressent dans son Ame après chaque victoire, que la raison remporte sur ses Ennemis, lui rend à la fin agréable, ce qui lui sembloit dur auparavant. L'empire de la raison ne lui paroît plus une tyrannie, les passions même s'y soûmettent de leur bon gré. La plus forte inclination de nôtre Homme devient enfin celle, de ne se departir jamais de la raison. Les passions, qui ne sont plus ses Ennemis, marchent avec elle de compagnie. Si cet Homme aime quelque chose, c'est que la raison le trouve aimable. Il n'abhorre que ce que la raison abhorre. Tant s'en faut que les passions l'empêchent de suivre la raison, qu'au contraire elles le poussent à le faire avec plus de zele & de plaisir. Voilà enfin la vie du Sage. Je ne sais si jamais homme est parvenu jusques là, mais je sais bien que jamais homme n'a fait tout ce qu'il a pû pour y parvenir. Et je suis sûr, que ceux qui tendent à cette vie raisonnable, pour ne pas atteindre la perfection, ne perdront pas leur tems. Je suis même fort trompé s'ils pourront mieux l'employer. Ceux qui le font, & qui tâchent de parvenir à la felicité, par la voye que je viens de tracer, s'appliquant à cette étude, aussi serieusement que l'importance de la chose le demande, ce sont ceux que j'appelle Philosophes, c'est à dire, Amateurs de la Sagesse.

JUDICIUM
DE ARGUMENTO
CARTESII
PRO EXISTENTIA DEI
PETITO AB EJUS IDEA.

PRINCIPIO magnam credo celeberrimo Philosopho fieri injuriam, quando in suspicionem à quibusdam adducitur, quasi astutè Atheismum docuerit; solida argumenta, *Existentiam Dei* probantia, prætereundo & negligendo; in eorum vero locum levia & futilia substituendo. Hæc enim suspicio ab omni veri specie prorsus est aliena. Nam cum hoc sit fundamentum totius Philosophiæ Cartesianæ, *DEUS verax existit, qui me in iis, quæ clare & distincte percipio, non fallit*: Cartesius Atheismum docendo, totam Philosophiam suam subruisset. Quare, sive solida sint ejus argumenta, sive non sint, dubitari nequit, illum bonâ fide *Existentiam Dei* iis demonstrare voluisse.

Causa

Causa vera, quod Philosophus iste, præteritis argumentis, quæ ex contemplatione Mundi & operum Dei petuntur, his potius sit usus, quæ deducuntur ab Idea Dei, est ista: quoniam tum, cum systemati suo, tanquam fundamentum, existentiam Dei non fallacis præstruere voluit; in ordine philosophandi, quem animo conceperat, nondum eo pervenit, ut sciret, corpora atque Mundum existere. Nihildum cognoverat, nisi existere mentem suam, atque in ea varias rerum Ideas & inter has *Ideam Dei*. Ita in arctum conclusus statuit, Dei existentiam ex ipsa, quam habuit, *Dei Idea*, quocunque potuit modo, elicere.

Hinc Theologi, qui in systematibus suis Theologicis, ad probandam Dei existentiam, argumentis Cartesii aut solis aut præcipue inhærent, præter mentem hujus Philosophi agunt. Neque enim, cum Theologiam tradere incipiunt, considerant Mundum & ea quæ in Mundo sunt, tanquam res, quarum Existentia nondum sit certa: sed ea tanquam certissima & indubitata præsupponunt. Unde non sunt adstricti ad illa argumenta subtilia & & metaphysica Cartesii, ad quæ stabilienda Philosophum adegit systematis sui ratio. Possunt ex contemplatione hujus universi depromere argumenta innumera, si non solidiora, saltem ad captum plerorumque hominum (qui abstractis Metaphysicorum speculationibus non sunt assueti) longe magis accommodata, quibusque adeo ipsi Scriptores S. contra Dei contemtores efficaciter utuntur.

Duo autem petit Cartesius *argumenta* ab *Idea Dei*, ad probandam ejus existentiam, alterum *à priori*, alterum *à posteriori*. Argumentum *à posteriori* huc redit: *Mentem Ideam Dei non habere à se ipsa, sed à caussa, quæ formaliter possideat omnes perfectiones, quas Idea continet objective.* i. e. quæ revera talia habeat, qualia Idea ista tantum repræsentat. Nolim equidem nunc negare, esse aliquod huic argumento robur. Illud tamen certum est, argumentum hoc esse admodum abstractum & Metaphysicum; perspicacem, attentum, æquum hominem, qui eo convincatur, requirere. Legat aliquis quæ, ad argumentum hoc roborandum & ab exceptionibus vindicandum, Cartesius & alii, præcipue Cl. Wittichius in exercitatione *de Providentia Dei*, scripserunt; & fatebitur, rem esse operosissimam, veram hujus argumenti vim monstrare, illudque adversus Atheos defendere.

Longe simplicius esset *alterum* Cartesii *argumentum à priori*: (si modo argumentum esset validum) quo probat, *Deum existere*, & quidem *necessario*, ex illo solo, quod *Existentia necessaria continetur in ipsa Idea Dei.* Optarem sane ut hæc demonstratio esset solida! Talis enim si foret, nullo alio in posterum argumento uterer. Imo si nullum hic sophisma lateret, Dei Existentia prorsus non esset probanda. Propositio enim hæc: *Deus existit*, esset axioma indemonstrabile; siquidem *prædicatum* ejus clare contineretur in *idea subjecti.* Propositio esset ejusdem generis; cujus sunt istæ: *Triangulum*

habet tres angulos, *Totum est majus sua parte*, quibus nemo non potest assentiri, qui subjectum & prædicatum intelligit, quasque adeo probare nemini non videtur supervacaneum, imo ridiculum.

Sed videtur ipse Cartesius de soliditate hujus argumenti dubitare. Cur enim tantopere laborat in probanda hac propositione: *Deus existit*, quæ, si solidum est ejus argumentum, non magis probatione indiget atque ista, *Triangulum habet tres angulos*? cur aliis utitur argumentis ad istud probandum, præterquam isto *à priori*? cur primo *Meditatione tertia* multis proponit, explicat, vindicat argumentum *à posteriori*, de quo locuti sumus, quod obscurius longe est isto, longe magis compositum, & pluribus exceptionibus obnoxium? Cujus fundamentum est, omnes nostras Ideas requirere caussam aliquam, quæ contineat *formaliter* aut *eminenter*, quod Ideæ continent *objective*. (a) Fundamentum, quod, si solidum, saltem non tam certum est, atque hoc ipsum, *Deum existere*: si hæc propositio per se nota est, ac ejusdem generis, cujus est ista: *Totum est majus sua parte.* Quid attinuit tam operose *à posteriori* probare rem per se notam, aut probare certius per incertius? Explicandi tantum fuerunt propositionis termini, & res jam demonstrata fuisset. Cur Cartesius *quinta* demum *Meditatione*, idque timide, (b) tanquam aliquid quod *prima specie sophisma* videtur, producit argumentum suum *à priori*: argumentum simplicissimum; argumentum, quo non modo probat, Deum existere, sed quo probat hanc propositionem, *Deus existit*, per se notam & adeo claram esse & certam, ut probatione non magis indigeat, quam ista: Triangulum habet tres angulos?

Denique si hæc propositio: *Deus est*, est axioma, ubi prædicatum clare & distincte continetur in Idea subjecti: quare non omnes homines, simulatque intelligunt vocabulorum vim, huic propositioni assentiuntur, ut assentiuntur his

(a) Definit Cartesius has voces Resp. ad Objectiones secundas p. m. 85. *Per realitatem objectivam Ideæ intelligo entitatem rei repræsentatæ per Ideam, quatenus est in Idea; eodem modo dici potest, perfectio objectiva, vel artificium objectivum* &c. (addimus nos *ens objectivum*, *corpus objectivum*, *essentiam*, *existentiam objectivam*, aut, quod idem nobis significat, *repræsentativam* & *idealem*) *nam quæcunque percipimus tanquam in Idearum objectis, ea sunt in ipsis Ideis objective. Eadem dicuntur esse in ipsis objectis* (i. e. rebus ipsis extra Ideas positis) *formaliter, quando talia sunt in ipsis, qualia illa percipimus: & eminenter, quando non quidem talia sunt, sed tanta ut talium vicem supplere possint.*

(b) Cartesius Meditatione V.: *Hoc prima fronte non est omnino perspicuum, sed quandam sophismatis speciem refert.* Idem Respons. ad Objectiones primas: *Neque hic diffitebor, hoc argumentum tale esse, ut qui non omnium, quæ ad ejus probationem faciunt, recordabuntur, facile illud pro sophismate sint habituri, & ideo me initio non nihil dubitasse, an illo uti deberem, ne forte iis, qui ipsum non caperent, occasionem darem, de reliquis etiam diffidendi. Sed quia duæ tantum sunt viæ, per quas possit probari, Deum esse, una nempe per effectus, & altera per ipsam ejus essentiam sive naturam, prioremque in meditatione tertia pro viribus explanavi, non credidi alteram postea* (meditatione V.) *esse prætermittendam.*

his: *Triangulum habet tres angulos*, *Totum est majus sua parte?* quare illius probationem exigunt, harum non exigunt? quænam est hujus diversitatis caussa? Vidit Cartesius, sibi aliquid hic esse respondendum. Quid igitur ait? Tametsi Existentia necessaria non minus contineatur in Idea Dei, quam tres anguli in Idea Trianguli, plerosque tamen homines non agnoscere prius, ut agnoscunt posterius: cum enim mens eorum assueta sit in omnibus rebus *separare Existentiam ab Essentia*; eos idem facere cum cogitant de Deo: atque hinc esse, quod non videant *Existentiam* ad *Essentiam* Dei pertinere; *aut existentiam necessariam esse de Dei essentia.*

Hic vero Philosophus, ut mihi quidem videtur, præsidium quærit in verborum obscuritate. Quid est, *Existentia est de rei essentia?* nempe hoc, *Essentia* rei alicujus *Existentiam* ejus *includit*, & *præsupponit*. Quid est *separare Existentiam ab Essentia?* nempe hoc, statuere, rem aliquam habere *Essentiam*, non item *Existentiam*. At ego credo, neminem hominum ita *separare Existentiam* ab ullius rei *Essentia*: omnes homines statuunt, *Existentiam* hoc sensu esse *de Essentia* cujuslibet rei. *Existentia* est attributum Entis per quod *simpliciter esse* cognoscitur: *Essentia*, per quod cognoscitur *esse hoc potius* quàm *aliud*, aut *esse id quod est*. Jam quis hominum est, qui non videat, fieri non posse, ut aliquid *sit hoc potius* quam aliud, sive ut *sit hoc quod est*, nisi etiam *simpliciter sit* aut *existat?* & per consequens nemo non cernit, *essentiam* rei cujuslibet *existentiam præsupponere*, ac includere, atque *hanc* propterea ab *illa separari* non posse.

At enim, inquis, *Rosa in hyeme* habet *Essentiam*, non item *Existentiam*. Nam & in hyeme verum est, *rosam esse florem*, falsum, *rosam esse*, aut *existere*. Sed ubi rosa in hyeme habet *Essentiam* suam, utrum *in mente eorum* tantum, qui de rosa cogitant: an vero etiam *extra mentes* omnium hominum & spirituum de rosa cogitantium? qualem habet Essentiam, an *objectivam* tantum, ut loquitur ipse Cartesius, aut *repræsentativam*, an *formalem* & *realem*. Quicquid dicatur: *Ubi* & *qualem* rosa habet *Essentiam*, *ibi* & *talem* habet *Existentiam*. *Ubi* & *quomodo est id quod est*, *est id* potius quam *aliud*, *ibi* & *hoc modo* est quoque simpliciter sive *existit*. Si *essentia* ejus est tantum *repræsentativa* in mente cogitantis, *Existentiam* quoque tantum *repræsentativam* habebit in eadem mente. Si *Essentia* ejus est *realis* extra mentem, extra mentem quoque *realiter existit*. Breviter, *ubi* & *quo sensu* rosa est *flos*; *ibi* & *hoc sensu* rosa *existit*. Si flos est *realiter*, existit *realiter*, si flos est *objective* in mente alicujus de rosa cogitantis, *existit* quoque *objective* in eadem mente.

Hæc si constans omnium hominum sententia est, non video, quomodo dici possit, plerosque assuetos esse, *existentiam in rebus ab Essentia separare*. Fateor, separant communiter homines & recte separant *Existentiam realem* ab *Essentia objectiva* & repræsentativa mentis. i. e. statuunt *Essentiam* rei alicujus posse menti objici, in mente repræsentari, ut tamen illa res extra

mentem *realiter* non exiſtat. Sed nunquam ſeparant *Exiſtentiam* ab *Eſſentia ejusdem generis*: *Exiſtentiam* vid. *objectivam*, ab *Eſſentia objectiva*, *Exiſtentiam realem* ab *Eſſentia reali*, i. e. non ſtatuunt, rem aliquam *objective* in mente *eſſe hoc potius* quam *illud*, & ibi *objective* non *exiſtere*, aut rem aliquam extra mentem *realiter eſſe hoc quod* eſt, & non *realiter exiſtere*.

Quod ſi igitur hic aliqua inter DEUM & res creatas eſſet differentia, in hoc eſſet, quod *Eſſentia Dei objectiva* in mente cujuslibet de DEO cogitantis includat *Exiſtentiam* non modo *objectivam*, ſed *Exiſtentiam realem* & *formalem*. Quod, ut mihi quidem videtur, nemo dixerit, ſi modo ad ſenſum horum verborum attendit. Hoc enim eſſet dicere, DEUM in mente cogitantis non tantum repræſentari ut exiſtentem, ſed DEUM ipſum *formaliter* in mente exiſtere, DEIque Ideam DEUM in ſe *formaliter* exiſtentem includere; quo neſcio an quicquam abſurdius dici poſſit. Concludimus hinc, *Exiſtentiam* non alio modo pertinere ad *Eſſentiam* Dei, quam *ad Eſſentiam* aliarum rerum; nempe ad *Eſſentiam* DEI *objectivam* pertinere *Fxiſtentiam objectivam*, ad *Eſſentiam realem* & *formalem*, *exiſtentiam ejuſdem generis*. Cumque adeo hic diverſitas inter DEUM & res alias ſit nulla, manifeſtum eſt, nullam quoque eſſe hanc rationem, quam reddit Carteſius, quare huic propoſitioni: *Totum eſt majus ſua parte*, intellectis terminis, ſtatim aſſentiamur, non item huic: *DEUS exiſtit*. Cauſſam quoque, quare Carteſii *argumentum à priori*, pleriſque hominibus *prima ſpecie ſophiſma* videatur, non eſſe hanc quam adducit; ſed veram fortaſſe hujus cauſſam eſſe, quoniam *reapſe ſophiſma eſt*: quod ut appareat, ipſum nunc argumentum excutiemus.

Argumentum in forma hoc eſt:

Quod clare & diſtincte percipio, in Idea alicujus rei contineri, id de illa reaffirmandum eſt.
At clare & diſtincte concipio, in Idea Dei contineri exiſtentiam neceſſariam.
Ergo, Exiſtentia neceſſaria de Deo eſt affirmanda, aut, quod eodem redit, Deus neceſſario exiſtit.

Major propoſitio eſt canon indubitatæ veritatis, imo veritas ejus eſt fundamentum omnis cognitionis *Metaphyſicæ* & *Mathematicæ*; omnis enim cognitio iſta nititur veritate axiomatum per ſe notorum. Axiomatum autem veritatem non aliunde cognoſcimus, niſi quod clare percipimus *prædicatum* illorum in ipſa *ſubjecti* Idea contineri. Valet hic canon *de omnibus Ideis*, quæcunque in mente concipi poſſunt, ſive aliquid ſit extra mentem, quod iis reſpondeat, ſive nihil ſit; ſive ſint innatæ ſive acquiſitæ, ſive ſimplices ſive compoſitæ, ſive fundamentum in rebus habeant, ſive ad lubitum ſint confictæ. Æque enim certum eſt, affirmandum eſſe de *palatio adamantino*, quicquid in Idea palatii adamantini continetur, ac certum eſt, affirmandum eſſe de *triangulo*, quod continetur in idea Trianguli: unde non minus certa eſt hæc propoſitio: *Palatium adamantinum eſt durum*; atque hæc: *Triangulum habet tres angulos æquales*

aequales duobus rectis. Cum itaque *Major* hujus syllogismi sit canon universalis indubitatae veritatis, *minor* etiam nullo modo negari possit, praeterea *in forma* vitium appareat nullum, videtur solide demonstratum esse, DEUM necessario existere.

Veruntamen, si argumento prorsus simili falsum concludere possemus, sequeretur, & hoc, modo propositum, esse sophisticum & vitiosum. En igitur argumentum simile; *Quod clare & distincte &c.*

At clare & distincte concipio, in Idea corporis perfectissimi contineri existentiam.

E. Existentia de corpore perfectissimo affirmanda est. Sive: quod idem est, *corpus perfectissimum existit.*

Major eadem est, quae syllogismi praecedentis. *Minor* quoque est certissima: *corpus* enim *perfectissimum* est, quod omnes habet perfectiones, *quaecunque in corpus cadere possunt*, prout *ens perfectissimum* est, quod omnes perfectiones habet, *quaecunque in ens cadere possunt.* Jam cum *existentia* in corpus cadat, siquidem multae corporum myriades *vere* & *actualiter existant*; sequitur, existentiam ad Ideam corporis perfectissimi ita pertinere, ut ab eo sit inseparabilis. Si quis enim conciperet *corpus perfectissimum non existens*, contradictorium conciperet, i. e. corpus quod simul esset perfectissimum, & tamen non haberet perfectionem innumeris corporibus valde imperfectis communem. Ex eo igitur, quod existentia ab Idea corporis perfectissimi est inseparabilis, efficitur, corpus perfectissimum existere: eodem modo, quo probatur, ens perfectissimum existere, quia existentia ab ejus Idea separari nequit.

Novi, propugnatores argumenti Cartesiani laborare, ut monstrent, hoc argumentum suo esse dissimile. Sed nullam hucusque videre potui *essentialem* inter ea differentiam. Cum enim dicunt, Ideam corporis perfectissimi esse *Ideam ad lubitum confictam*, Ideam vero DEI *Ideam innatam* & *immutabilem*; nihil dicunt, *quod ad rem faciat*. *Canon* enim ille, quo nititur hujus conclusionis veritas, qui major est utrique syllogismo communis, *verus est de omni Idea*, ut audivimus.

Respondent quidam, distinguendo *existentiam* in *necessariam* & *possibilem*: dicunt, *existentiam necessariam* contineri in Idea Dei, ac propterea inde recte concludi posse, Deum necessario existere; in Idea vero corporis perfectissimi contineri *existentiam* tantum *possibilem*; unde nihil aliud colligi possit, quam corpus perfectissimum *possibiliter* existere, atque hoc sensu utroque argumento verum concludi.

At male Existentia dividitur in *necessariam* & *possibilem*, cum *possibilis existentia* potius sit *non Existentia*: *possibile* enim dicitur, quod non existit, existere autem potest. Existentia potius dividenda est *in necessariam* & *contingentem*. Quae enim existunt, vel ita existunt ut non possint non existere, vel ita existunt *vere* & *actuali-*

actualiter, ut tamen possint non existere. *Illorum* Existentia *necessaria*, *horum* *contingens* est.

Hoc posito, concedo, ad Ideam corporis perfectissimi *existentiam necessariam* non pertinere, ut pertinet ad Ideam Entis perfectissimi: pertinet tamen ad Ideam ejus *existentia* non modo *possibilis*, sed *contingens* quidem, *actualis* tamen; talisque, qualis est existentia mei corporis & aliorum plurium. Nullam enim perfectionem corpori perfectissimo possum negare, quæ in meum aut aliud quodcunque corpus cadere potest: alias non esset corpus perfectissimum; sed darentur illo perfectiora saltem in hoc, quod *actu* existunt, non tantum *potentia*.

Jam si concludere possum, Ens perfectissimum *existere necessario*, ex eo, quod in Idea ejus *existentia necessaria* continetur; eodem modo recte concludo, corpus perfectissimum *existere contingenter*, ita nempe ut meum & mille alia corpora existunt [non tantum *possibiliter*:] ex eo quod *existentia contingens* (non tantum *possibilis*) in ejus Idea continetur.

Cum itaque hoc ultimum argumentum sophisticum sit, videndum primo, ubi lateat fallacia; deinde, utrum alterum simile eodem vitio laboret. Atque ad illud quidem quod attinet, supponitur in eo manifeste, Ideam corporis perfectissimi esse Ideam *Rei alicujus*. *Major* enim ita habet: *quicquid in Idea rei alicujus continetur* &c. *Rei* autem nomen duo significat. 1. *Ens reale*. 2. *Ens objectivum*, *repræsentativum*, & *ideale*. Illud *Essentiam*, *Existentiam* ac *perfectiones* habet *reales*; hoc nonnisi *objectivas* & *Ideales*.

Jam cum in hoc syllogismo supponitur, corporis perfectissimi Ideam esse Ideam *rei alicujus*, aut intelligitur Idea *Entis realis*, aut *Idea Entis objectivi* & *repræsentativi*: si prius, *supponitur* aperte *quod est in quæstione*. Hoc enim ipsum est, quod quæritur, an Idea corporis perfectissimi *sit Idea Entis realis*: sin, uti videtur, sensus est posterior; si, cum Idea corporis perfectissimi supponitur esse *Idea rei*, intelligitur *res* tantum *objectiva* & repræsentativa: nihil aliud syllogismo hoc concluditur, quam corpus perfectissimum, ut est *Ens ideale* & *objectivum*, ita *idealiter* etiam & *repræsentative* (c) *existere*, & quidem *contingenter*, sive *repræsentationem* corporis perfectissimi includere *repræsentationem* existentiæ contingentis.

Aut

(c) Ratio est, quoniam inter perfectiones *entis objectivi*, *perfectio realis*, quæ est alterius generis, numerari non debet; in genere *entium objectivorum perfectissimum* est, quod continet omnes *perfectiones objective*: hinc ad ejus perfectiones non pertinet actualis positio entis realis enti objectivo similis. Triangulum, quod est in intellectu *objective*, per hoc non fit perfectius, si triangulum à Deo creatur: neque fieret imperfectius, si omnia triangula annihilarentur. *Entis* enim *objectivi* perfectio non consistit in *actuali positione*, sed in nuda *repræsentatione* pauciorum aut plurium perfectionum. Hoc adeo valet de *ipsa existentia*, si illam inter perfectione numerare volumus, atque *ens objectivum* nullam aliam requirit, nisi *existentiam objectivam* & repræsentativam: sive illa sit necessaria sive contingens.

Aut igitur in hoc argumento est *petitio principii*, & supponitur id quod argumento est probandum, aut est *fallacia* ἑτεροζητήσεως, nec probatur id quod probandum est. Probandum erat, corpus perfectissimum *existere realiter* extra mentem, & nihil aliud probatur, quam illud *existere objective* & repræsentative in mente, i. e. in mente ut existens repræsentari.

Hæc unica & solida mihi videtur solutio *Sophismatis* illius, quo probatur *existentia corporis perfectissimi*. Probari hac ratione posset existentia cujuslibet *rei idealis*: quicquid enim positivo conceptu concipimus, illud concipimus tanquam existens aut necessario aut contingenter; aut per se aut in alio.

Ut soliditas hujus solutionis clarius pateat, lubet eam paulo aliter proponere. Antequam probata est *Existentia realis* corporis perfectissimi; corpus perfectissimum à nobis haberi debet pro *Ente* mere *objectivo* & *ideali*. Comprehendit igitur & *Essentiam* & *Existentiam* mere *objectivam*; si itaque nihil aliud de eo affirmare velimus, quam quod in Idea ejus continetur, nullam Existentiam de eo affirmare possumus, nisi mere *objectivam* & *idealem*. Ergo si *realem* Existentiam de illo affirmo, *plus affirmo* de eo, quam in Idea ejus continetur; & per consequens sophisma est, cum affirmo de corpore perfectissimo *Existentiam realem* ideo, quia in ejus Idea continetur Existentia; quæ tamen non nisi *idealis* est & *objectiva*.

Facile ex his videri potest, eodem prorsus vitio laborare argumentum Cartesii pro Existentia Dei. Supponitur & in hoc, Ideam Dei esse Ideam *rei*. Si nomine *rei* intelligitur *Ens reale* vere existens, petitur principium & supponitur, quod est in quæstione. Si intelligitur *ens ideale*, quod *objective* tantum *Ens est* in intellectu, nihil probatur hoc argumento, quam *Ens* hoc ideale *Idealiter* & *repræsentative* in intellectu existere, & quidem *necessario* i. e. tanquam necessario existens in mente repræsentari; ac propterea peccatur *ignoratione Elenchi*; nec probatur, illud *revera extra intellectum existere*, quod probandum erat.

Aut, ut aliter eadem responsio proponatur, antequam probatum est, Deum existere, Deus à nobis haberi debet pro *Ente* mere *objectivo*, unde *perfectiones* ejus omnes sunt perfectiones mere *objectivæ*, atque ideo *Existentia* quoque *necessaria*, quæ est inter has perfectiones, est *Existentia* mere *objectiva*. Quod si igitur nihil aliud de Deo affirmare volo, quam quod in ejus Idea continetur, nulla *existentia necessaria* de eo affirmanda est, nisi mere *objectiva* & repræsentativa. Ergo, si *realem* Existentiam etiam extra mentem de Deo affirmo, plus affirmo quam in Idea ejus continetur, & per consequens sophisma quoque est; cum affirmo de Deo existentiam necessariam *realem* ideo, quia in ejus Idea continetur Existentia tantum *idealis* & *objectiva*.

Si quis jam ex eo, quod Deus in mente nostra *existit repræsentative*, & *objective*, concludere vellet, illum existere quoque *realiter* extra mentem, no-

vum id esset argumentum, quod non amplius niteretur hoc fundamento, *affirmandum esse de Deo, quod in ejus Idea continetur*, sed hoc: *repræsentationem existentiæ in mente, semper inferre positionem ejusdem extra mentem*; quod falsum esse, manifeste videmus ex allato exemplo corporis perfectissimi.

Neque est, quod hic distinguamus inter Existentiam *necessariam* & *contingentem*: si enim à *repræsentatione Existentiæ contingentis* in mente non valet consequentia ad *positionem contingentis Existentiæ* extra mentem; non video, quomodo à *repræsentatione existentiæ necessariæ* in mente valeat consequentia ad hujus *positionem* extra mentem; nisi forte Idea *Entis necessarii* talis sit, ut in mente esse non possit, nisi producatur à causa aliqua, quæ revera est *Ens necessarium*, i. e. ut loquitur Cartesius, quæ continet *formaliter* omne id, quod Idea continet *objective*. Sed ita renuntiandum esset penitus argumento Cartesii, quo Existentiam Dei probare voluit *à priori*; & unice inhærendum argumento *à posteriori*, quo ab Existentia *effecti* [nempe *Ideæ Dei* quæ est in nobis] probat existentiam *caussæ*, nempe *Dei*, qui hanc nobis Ideam indiderit.

Sufficere hæc possent, ad demonstrandam *infirmitatem* argumenti, quo utitur Cartesius, ad probandam existentiam Dei. Cum autem Vir summus aliique Philosophi præstantes huic argumento multum tribuant, paucis discutiam quædam, quæ à Cartesio adducuntur ad illud roborandum.

Fatetur, hoc argumentum tale esse, ut *quidam illud pro sophismate sint habituri*. Sed quinam illi sunt judicio Cartesii? tales, ut non obscure insinuat, qui non *diligenter attendunt*, nam alias *omnia* iis essent *manifesta*; qui de rebus judicant ex *specie*, quam *prima fronte referunt*; qui *non omnium, quæ ad argumenti hujus probationem faciunt, recordantur*; qui denique *illud non capiunt*; h. e., ut scapham scapham appellemus, iis hoc argumentum videtur sophisma, qui non satis acuti sunt & perspicaces.

Sane, cum tantum Philosophum ita loquentem audio, quantumvis clare mihi videar videre, argumentum, de quo agimus, esse sophisticum, vix tamen id affirmare audeo; ac suspicor identidem, vitium fortasse non esse in hoc argumento, sed in me, quod non ea sum mentis perspicacia, quam Cartesius exigit, ad vim ejus sentiendam. Forsitan multis hic idem, quod mihi, accidit: forsan etiam sunt aliqui, qui demonstrationem istam utroque pollice probant, tantum, ut ne videantur requisito ad id capiendum ingenii acumine destitui.

Cum vero, seposita Cartesii auctoritate, ea examino, qua possum attentione, quæ in *responsione* ad *objectiones primas* ad roborandum & vindicandum hoc argumentum, pag. 60, 61, 62. ab ipso afferuntur, quorumque, ut conqueritur, *non omnes satis recordantur*: tantum abest, ut hæc me de soliditate ejus convincant, ut potius hæc ipsa nova sophismata mihi videantur. Hæret, ut mihi videtur, Philosophus, sicut solent, qui non possunt pedem

pedem referre & damnare thesin suam; diverticula quærit, verba & loquendi modos usurpat, quorum sensum clarum & distinctum difficulter invenias, iisque verbis tenebras potius materiæ offundit, quam lucem affert. Sentit denique, se his omnibus lectori cuivis non satisfacturum: quare tandem omnia de hac materia dicta artificiose ita concludit, ut, si illa non capias, tibi potius & tuæ hebetudini id imputes, quam argumento Cartesii, aut illis, quæ ad hoc roborandum ab ipso afferuntur. Judicem hujus rei appello quemlibet attentum paginarum à me citatarum lectorem: si modo nondum se ita parti alicui addixit, ut eas sine præjudicio amplius legere nequeat. Ego speciminis loco pauca tantum noto.

Ne quis simili argumento probet existentiam *equi alati*, *corporis perfectissimi*, aut cujuslibet rei, quæ in mentem nobis venire potest, magna solicitudine conatur Philosophus *Ideam Dei* ab *aliis Ideis* distinguere; quod certe ad rem non faciebat: de omnibus enim Ideis indiscriminatim verum est, ut jam audivimus, affirmandum esse de earum objectis, quicquid in harum Ideis continetur; *existentiam necessariam*, aut *contingentem*, prout aut *necessaria* aut *contingens* in eorum Ideis reperitur.

Audiamus tamen, quid Idea Dei, judice Cartesio, præ cæteris habeat eximium. *Idea Dei*, inquit, *continet naturam veram & immutabilem*: talem videlicet non continet neque *equus alatus*, neque etiam *corpus perfectissimum*. Hæ voces, *natura vera* & *immutabilis*, nescio quid hic significare videntur; sed nihil aliud notant, quam naturam talem, qualis est *trianguli*, *quadrati* (addere potuisset figuram decem, centum, mille angulorum & ita in infinitum) sive sint in rerum natura sive non sint. Quid? an horum omnium natura ita est immutabilis, ut nulli horum vel unum latus, vel unum angulum auferre possim? Non potes, inquiet, nisi velis *naturam eorum destruere*. Sed ita *equus* quoq; *alatus*, & *corpus perfectissimum* habent *naturas immutabiles*: si enim equo alato abscindis alas, æque destruis *naturam equi alati*, ac destruis *naturam chiliogoni*, si quem angulum illi adimis: si tollis à *corpore perfectissimo*, vel unam perfectionem, *quæ in ullum corpus cadere potest*, non minus evertis naturam *corporis perfectissimi*, quam, tollendo perfectionem, *quæ in ens cadit*, evertis naturam *Entis* perfectissimi. Omnium rerum, de quibuscunque cogitare possumus, naturæ hoc sensu sunt immutabiles.

Sed, inquit Cartesius, *cum cogito equum alatum* &c. *facile intelligo, me etiam ex adverso posse cogitare equum non alatum* &c. *nec proinde illum veram & immutabilem naturam habere: si vero cogito triangulum* &c. Ubi Philosophus decipi videtur re sane levi, imo ludicra: quod scilicet uno *nomine trianguli* naturam, *equi alati* duobus significemus.

Appellemus enim *triangulum* duobus nominibus *figuram triangularem*, & *equum alatum* uno nomine *Pegasum*. Annon eodem modo aliquis ratiocinaretur,

cinaretur, quo Cartesius, si quis diceret: *Cum cogito figuram triangularem, facile intelligo, me etiam ex adverso cogitare posse figuram non triangularem, nec proinde illam naturam veram habere & immutabilem: si vero cogito Pegasum, tum vero, quæcunque in Idea Pegasi contineri deprehendam, ut quod habeat alas, de Pegaso cum veritate affirmabo.*

Si ex hoc, quod *habere alas* non pertinet ad *naturam equi*, sequitur *Pegasum* sive *equum alatum*, non habere *naturam veram* & *immutabilem*: similiter, ex hoc, quod *habere tres angulos* non pertinet ad naturam *figuræ*, sequitur *triangulum sive figuram triangularem* non habere *veram & immutabilem naturam*. At, si è contrario natura *trianguli* vera est & immutabilis, quia, etsi *habere tres angulos* non pertinet ad naturam *figuræ*, pertinet tamen ad naturam *figuræ triangularis*, quæ uno nomine appellatur *triangulum*: pariter *Pegasi* natura vera est & immutabilis, quia, etsi *habere alas* non pertinet ad naturam *equi*, pertinet tamen ad naturam *equi alati*, qui uno nomine appellatur *Pegasus*. Ut verbo dicam, hæ Ideæ, si illas tantum *objective* consideramus, non distinguuntur *veritate* & *immutabilitate*, sed *simplicitate* tantum: quod illa longe minus, hæc plus comprehendat.

Addam ratiocinationem valde subtilem, quâ Cartesius utitur, ad argumentum suum confirmandum. *Si attente*, inquit, *examinemus, an Enti summe potenti competat existentia, clare percipimus, illi saltem competere possibilem existentiam. Deinde*, pergit, *quia cogitare non possumus ejus existenttiam esse possibilem, quin simul* AD IMMENSAM EJUS POTENTIAM *attendentes, agnoscamus, illud propria sua vi posse existere: hinc concludemus, illud revera atque ab æterno exstitisse. Est enim*, subjungit, *lumine naturali notissimum, illud quod propria sua vi potest existere semper existere.*

Quid vero hoc significat, *DEUS propria vi existit?* vi *immensæ potentiæ suæ*, ut explicat Cartesius. Ergo *potentia Dei* consideratur ab eo, tanquam aliquid, *saltem in conceptu, prius* existentia. Ego vero usque adhuc potentiam Dei concipere non potui, nisi præsupponendo existentiam tanquam aliquid saltem in conceptu prius. Potentiam Dei non consideravi, tanquam *caussam, cujus vi* DEUS ipse existit; sed tanquam caussam rerum omnium præter DEUM.

Sed tribuamus hanc *vim omnipotentiæ Dei*, ut, si tantum DEUS est *possibilis*, eum illico actu existere faciat: ubi inveniam illam *potentiam*, antequam scio DEUM omnipotentem existere? nusquam est, nisi *objective* in mente mea. An vero hæc *omnipotentia objectiva* caussa erit, quare DEUS, si modo possibilis est, *extra mentem existat realiter?* an *repræsentatio immensæ potentiæ* in mente *ponet* & *existere faciet* DEUM *realiter* & *formaliter* extra mentem? Hoc vero si esset, jam DEUS non *suâ* vi existeret realiter: sed *vi omnipotentiæ*, quæ reperitur *objective* in Idea meæ mentis.

Quo-

Quoniam Cartesius *à possibili Dei existentia* argumentatur ad *existentiam actualem*: videtur probare argumentum, quod multis placet, & quo sæpe argumento Cartesiano suppetias ferre volunt; quod huc redit: *DEUS est possibilis; ergo existit. Antecedens* credunt negari non posse; *consequentiam* inde probant, quia DEUS est ens *necessarium* & *æternum*, quodque idcirco si non est, nec esse quidem potest: unde efficitur, illud esse, si modo esse possit.

Sed hoc purum putum *sophisma* est: quod ut appareat, notandum, *possibile* aliquid dici, vel *revera & in se*, vel *ratione cognitionis nostræ. Reipsa* & *in se possibile est, cujus existentia cum n[illegible] veritate pugnat, neque cognita nobis, neque incognita. Possibile, respectu cogni[illegible]is nostræ, est, cujus existentia cum nulla veritate nobis cognita pugnat.* Jam cum *antecedens* ita habeat, *DEUS est possibilis*, intelligendum id est *ratione cognitionis nostræ*, nullam enim veritatem cognoscimus, cum qua Dei existentia pugnet. Sed tantum abest, ut ex hoc sequatur, DEUM revera existere, ut ne quidem sequatur, DEUM *revera* & in se *esse possibilem*.

Sed si quæstione, *an DEUS sit possibilis*, intelligitur, num hæc propositio, *DEUS est*, sit *reipsa* & *in se possibilis*; ad hanc quæstionem respondere non possumus, nisi prius cognoscamus, utrum DEUS existat nec ne: quod si enim verum esset, DEUM non existere, daretur veritas aliqua incognita, cum qua Dei existentia pugnaret, & ita hæc esset impossibilis. Unde si in antecedente DEUS dicitur *possibilis revera & in se*, probatur *incognitum* per *æque incognitum*, & per consequens argumentum hoc mera est *petitio principii*.

Hic vero si quis tandem ex me quærit: quomodo igitur *Existentia realis* alicujus rei, ac propterea Dei ipsius, sit probanda? respondeo: ex nuda rei alicujus Idea, *à priori*, contemplando tantum, quæ in illa Idea continentur, existentiam *realem* nullius rei probari posse: fieri enim non potest, ut *in Idea* contineatur actualis ejus *extra Ideam* in rerum natura positio: quemadmodum fieri nequit, ut in picta imagine contineatur positio actualis extra imaginem rei alicujus imagini similis. Ex imagine v. g. hominem referente duo possum cognoscere, 1. *Immediate*, quænam sint lineamenta, qui colores *picturæ* sive *hominis picti*. 2. Si non ex pictura sed aliunde cognosco, esse *hominem vivum picto* similem, *mediate* per picturam cognosco quoque, quæ sit forma *hominis* illius *vivi*. Esse vero hominem vivum picto similem, ex pictura cognoscere nunquam potero, si vel centies eam aspiciam.

Eadem est ratio *Idearum* nostrarum, quæ sunt velut *imagines* rerum in intellectu, aut quod idem est, *res in intellectu repræsentatæ*, quarum omnis *realitas* est *repræsentativa* & *objectiva*. Ex iis cognoscimus. 1. *Immediate*, qualia sint objecta immediata mentis nostræ, qualem essentiam & existentiam, quas proprietates, quas perfectiones *ideales* & *objectivas* contineant, quas non contineant. 2. Si, non ex Idearum nuda contemplatione, sed aliunde, cer-

tum est, esse extra mentem *Entia realia* his *objectivis* similia, tum demum per Ideas *mediate* cognoscimus quoque, quaenam sint *Entium* illorum *realium* proprietates & perfectiones *reales*. Concludere autem ex Ideis, idque *à priori*, esse aliquid extra Ideas Ideis simile, non possumus; nisi statuamus, *in ipsis* includi positionem rerum similium *extra Ideas*: quod non minus absurdum est, ac si quis diceret, animal vivum revera in animali picto contineri.

Hæc quilibet clarissime percipiet, si modo attente consideret, *existentiam repræsentativam*, sive sit necessaria sive contingens, non minus ab *Existentia reali* differre, quam *Essentia repræs[illegible]tiva* ab *Essentia reali*, quam denique differt homo pictus ab homine vi[illegible] i. e. imago à re.

Cognoscitur vero rerum existentia vel *immediate* vel *mediate*: *immediate*, per *sensum* & *conscientiam*: sic cognoscimus, mentem nostram & cogitationes ejus existere. *Mediate*, vel *à priori*; sic Deus cognoscit rerum creatarum existentiam, vel voluntate sua, qua vult, ut existant. *A posteriori*, sic cognoscimus existentiam plerarumque rerum, ab *Existentia effectus* concludendo *existentiam caussæ*. Atque hac sola ratione arbitror, nos Dei existentiam probare posse. Tales vero effectus, qui Dei Existentiam arguunt, in nobis & extra nos, credo esse innumeros. Num inter hos referenda quoque sit *Idea Dei*: num illa Deum solum pro caussa habere possit, nunc non disputo. Sed suum, uti ab initio dixi, *alteri* huic Cartesii *argumento* robur relinquo. Mallem tamen plerumque uti aliis, ad captum omnium magis accommodatis.

Manifestum est ex iis, quæ dicta sunt; me huc usque supposuisse, veram esse Cartesii sententiam *de natura Idearum*, Dei videlicet Ideam esse *aliquid in mente nostra*, ab ipso Deo non minus distinctum, atque est animal pictum ab animali vivo. Servata hac ipsius Cartesii & plerorumque ejus discipulorum hypothesi, puto, me perspicue monstrasse, argumentum ejus esse sophisma. Quod si vero quis *alia hypothesi* hoc argumentum roborare vellet, supponendo, cum Magno hujus ætatis Philosopho, *Ideas*, quas mens nostra contemplatur, *non esse in mente nostra*, *sed in Deo ipso*: is nobis viam, Dei existentiam probandi ex ejus Idea, haud parum difficilem redderet. Antequam enim hanc ingredi possemus, decidenda nobis prius esset intricatissima il'a quæstio de natura Idearum, à summis ingeniis nostro tempore agitata. Sed fac, decisam esse, & demonstratum, nos omnium rerum Ideas *in ipso Deo* contemplari: istud vero, cum Dei existentiam probare volumus, supponere, omnino videtur præposterum. Cum enim nemo statuere possit, nos *omnia videre in Deo*, nisi statuat, *Deum existere*; supponere, nos omnia in Deo videre, ad probandam ejus existentiam, est supponere, *Deum existere*, ut probari possit, *Deum existere*; quod nemo non videt, petitionem esse principii.

Si Argumentum Cartesii omne suum robur inde accipit, quod Ideæ rerum,

rum, & per conſequens Dei ipſius, non ſunt in nobis ſed in Deo ipſo: ideo argumentum Carteſii bonum eſſe cognoſcimus, quoniam jam ante cognovimus, illud *exiſtere*, cujus *exiſtentiam* ipſo hoc argumento volumus probare: atque ita *præmiſſæ* robur ſuum capiunt ex certitudine *concluſionis* jam ante demonſtratæ.

Hoc eſt meum de Carteſii argumento judicium, in quo ſcio me à Magnis viris diſſentire, quorum tanta eſt apud me auctoritas, ut ſi auctoritate hujusmodi res tranſigerentur, longe plus ipſorum judicio tribuerem, quam meo. Sed nolunt illi ipſi, ut cujusquam auctoritate ſtem; nolunt, ut judicem de rebus, niſi quatenus illas clare & diſtincte percipiam. Si igitur hæc regula in errorem me duxit; errorem ſpero, facile mihi condonabunt. Puto quoque, ita me ſententiam meam expoſuiſſe, ut ſi erro, clare videant, quare errem, & in quo errem; quo facilius mihi errorem meum monſtrare, monſtratumque adimere poterunt. Quod ſi fecerint verbis perſpicuis atque ad captum meum accommodatis; gratiſſimum mihi fecerint.

VINDI-

VINDICIÆ JUDICII
DE ARGUMENTO
CARTESII,
CONTRA
EPISTOLAM APOLOGETICAM
PRO HOC ARGUMENTO
VIRI CL. J. H. S.

D E O D U R Æ O
G E N T A N G U L O
V I R O C L A R I S S I M O
S. P. D.
S A M U E L W E R E N F E L S I U S.

ACCEPI *non ita pridem librum à te compositum, Vir Clarissime, quem Vir utriusque amantissimus Clarissimus Zvingerus tuo mihi nomine obtulit. Gratias ago pro munere, duplici nomine mihi gratissimo, tum quia ex Scripto hoc perquam ingenioso ac erudito haud parum proficere possum; tum quod liber iste honorificam mei mentionem non uno in loco continet: id quod non merito meo, sed affectui erga me tuo, acceptu refero. Nihil autem nobis in hac vita jucundius accidere potest, quam à tui similibus amari. At, sicut*

cut ego munus ab amicissima tua manu accepi; ita tu non contemnendum munus aliunde tenes, quod magna ex parte mihi debes; nempe Litteras *illas* Apologeticas pro argumento Cartesii *Tibi inscriptas Quid enim dissimulemus, cum in vulgus notum sit, à quo, cui, adversus quem Litteræ illæ sint conscriptæ?*

Verum, siquidem in controversia, quæ in litteris istis tractatur, Judex constituaris, putavi; quædam tibi à me suggerenda esse, quo æquius de omnibus judicare possis. De Refutationis q idem ipsius soliditate rogo, ut assensionem adhuc sustineas; dabitur tibi forte suo tempore occasio de hac materia accuratius cogitandi. De refutandi autem modo, patere, ut liberius sententiam meam tibi aperiam.

Ego, Gentangule Eruditissime, ridiculus essem, si ægre ferrem, quod Celeberr. Auctor litterarum tibi scriptarum à me dissentit, quod dissensum suum publice privatimque testatur, quod scriptum meum refutare dignatus est, quod Refutationem typis voluit excudi. Honorificum est à talibus Viris refutari, qui hunc laborem nunquam suscipiunt; nisi dignum inveniant vindice nodum. Vetus dictum est, erranti comiter monstrandam esse viam. Quando ergo Vir Clarissimus me errare credidit, recte egit, quod hoc mihi officium præstare voluerit.

Sed judica hic, Judex æquissime, annon idem potuisset fieri aliquanto majori cum comitate? præsertim cum Cl. Antagonistæ ignotum non fuerit, ut scis, sibi rem esse cum homine sui observantissimo, qui, si loco, quem tenet, est indignus, locum certe inter Doctores Reformatos aliquem tenet. Num credis argumentum Cartesii defendi non potuisse, nisi ego Lectorum contemtui & odio objicerer, & describerer non modo tanquam homo imperitus, nullius judicii, &c. sed etiam periculosus, & nescio quid monstri alens? An ego refutari non potui, nisi pateretur integra Schola Basiliensis, & tam atris coloribus depingeretur? Num ille contemtus Studii Prophetici, *qui nescio cui exprobratur, vim argumenti Cartesiani magnopere declarat? Num decessisset aliquid rationibus Viri Celeberrimi, si eas non acri illo sale, sed aliquanto mitiori, condivisset? Justumne fuit metus Clarissimi Viri, cum veritus est, ne, demtis ejus-*

modi salibus, quas tibi scripsit, litteræ viderentur insulsæ? An non tibi veritas nuda, præsertim in quæstione Metaphysica, fuisset acceptissima? An non gratius tibi munus missum fuisset, si nihil, quod ullum amicorum offendere potuisset, in illo conspexisses?

Quæro ex te plura, optime Judex, an non tibi jucundius fuisset spectaculum, si ita nos inter nos certantes vidisses, ut alius alium vincere annisus fuisset, non argumentis modo & ingenio, sed æquitate, humanitate, lenitate, mansuetudine, charitate & humilitate: si vidisses ab una parte minorem majori reverenter cedentem, ab altera majorem minori amicè parcentem. An non hac ratione magis ædificassemus Ecclesiam Dei, & minus offendissemus eos, qui foris sunt? Et, si nimius in pugnando fervor excusationem meretur, an non facilius excusari poterat in juniore, quam in seniore, qui moderatione sua juniorem intra limites continere debebat.

Cogita, quid ii de nobis judicaturi sint, quorum typis litteræ tibi scriptæ sunt excusæ, apud quos prostant & divendantur? Hinc, inquient, sunt illi, qui zelum sine charitate nobis identidem exprobrant, qui nobis offerunt tolerantiam & pacem? En specimen pacifici illius animi, quem nobis usque & usque jactant! en quomodo de rebus nihili inter se digladientur? Hi tolerabunt nos in dogmatibus (non quidem, ut putant, fundamentalibus, sed tamen, ut fatentur, gravibus,) à se dissentientes, qui tanta acerbitate levissimum, non de dogmate, sed de uno argumento, dissensum ulciscuntur.

Jam demum vivis coloribus nobis depingitur Basiliensis illa Schola, cum qua tot nobis adhuc intercesserunt negotia. Jam à Viro magni inter Reformatos nominis, objiciuntur ipsi censuræ haud paucæ iniquæ, acerbæ, in Viros graves contumeliosæ, plenæ denique atræ loliginis succo. *Jam depingitur ab ipsis Reformatis tanquam* Equus Trojanus *Civitati Christianæ flammas minitans. Recte igitur discipulos nostros adhuc monuimus, ut blanditiis Calvinistarum ne crederent; rectè in hunc usque diem clamavimus:* Equo ne credite Teucri. *Quid præterea sentient exteri de Patria nostra, qui nos alias, tanquam homines incultos & agrestes, præ se contemnere solent, cum audiunt ea, quæ in litteris ad te Scriptis ubique vident & legunt, & quæ ipsi longe alio nomine insignient, à nobis Helvetiis* pro urbanis jocis, & Atticis salibus *haberi?*

Quid

Quid denique sentient, (nam non modo de Patriæ sed & de tua etiam gloria hic agitur) quid, inquam, sentient de Deoduræo illo Gentangulo quibus ignota est ejus urbanitas, cum audient talibus condimentis opus fuisse, ut scriptum ad eum missum palato ejus satisfaceret? Perpende, obsecro, perpende hæc omnia seriò, & tum judica pro justitia tua & æquitate.

Temperantur, dices, temperantur, quæ in Te acerbius dicuntur, etiam laudibus. Quid est, quod conquereris de scripto, in quo vocaris Vir sapientiæ laudibus inclytus; *immò in ipso statim frontispicio* Vir inter Eruditos haud vulgaris, cui neque mens neque calamus sit hebes? *Sane, si laudes hæ serio mihi tribuerentur, satis magno mihi constarent. Sed quis non videt, Cl. Auctorem Litterarum Apologeticarum falsè, ut solet, ignorantiæ & stupiditati meæ illudere, cum dicit hoc, quod de me prædicat,* ex Scripto meo sibi liquere? *Quid? ex Scripto? in quo nihil aliud cernit, nisi* nugamenta, cospitationes, effata cruda, putida Sophismata, errores prodigiosos & monstrosos, *nosti cætera: Ex Scripto? ex quo ne sanam quidem esse mentem mihi liquet, ut in quo ea dicuntur, quæ* non nisi emotæ mentis homo proloqui potest: *Ex Scripto? in quo, ut à Viro Cl. depingitur, perpetua regnat* ἀκρισία, *quod tam crassam alicubi redolet inscitiam, ut Auctor ejus ad* Elementa *& Compendia* ablegandus sit, *eaque* non sine Commentario *legenda: Ex Scripto meo hoc collegit Vir, qui verè est, quod de me dicit per Ironiam, sapientiæ laudibus inclytus, ex hoc, inquam, Scripto collegit, Auctorem ejus esse Virum inter Eruditos haud vulgarem, cui neque mens neque calamus sit hebes? Credat Judæus Apella, non ego.*

Sed parcat mihi Vir Celeberrimus, neve illudat ignorantiæ meæ. Novi probe, me talem non esse, neque talem ab aliis haberi, & minime omnium à Viro Clar. Quod si jam me ipsum excutio, plurima in me reperio, quæ contemtum Viri Cl. mereantur & censuram; nihil verò, quod tantam mereatur iram & indignationem, quantam in Scripto suo testatur. Credit Argumentum Cartesii pro Existentia Dei esse solidum; mihi solidum non videtur. In hoc totum nostrum est dissidium. At veretur Vir Cl. ne, dum ita sentio, se & alios Viros graves,

qui

qui bujus argumenti soliditatem sibi videntur percipere, pro luscis reputem; sed nihil est quod metuat, quantamcunque mihi tribuat ἀκρίβειαν, non usque adeo ridiculus sum, ut credam, omnes à me dissentientes esse luscos. Et sane Vir Cl. qua est humanitate, non omnes luscos esse putabit, qui secum non in omnibus consentiunt. Dissentimus sæpe ab iis, quos maximi facimus, neque hoc minuit honorem aut amorem iis debitum.

At non opus erat scriptum meum typis evulgare, quod conjunctum est, ut queritur Vir Cl. cum cæcorum offendiculo, & reprehensione Virorum insignium. Si hoc omne meum crimen est, non ego propterea sum accusandus. Audi, quomodo factum fuerit, ut Scriptum hoc imprimeretur, & judica. Vir Eximius, præterito autumno nos invisens, inter alios sermones forte ex me quærit quid de hoc Cartesii Argumento sentiam? Dico quod videbatur, sed ita, ut non plene mihi visus sim sententiam aperuisse. Statuo igitur, post ejus discessum, lectionem de hac materia quondam habitam, inter schedas meas quæsitam, huic Viro mittere, & acutissimum de ea Judicium ejus experiri. Do amico describendam: promittit operam; sed postridie ex me quærit per schedulam, num, si quis Typographus reperiretur, qui Lectionem istam suis sumtibus excudere vellet, in id consensurus essem? Ego tribus verbis rescribo, hac conditione me consentire, ratus conditionem, ut sunt Typographorum nostrorum ingenia, esse impossibilem.

Amici interea, me inscio, inveniunt Typographum, & ei per Celebrem nostræ Academiæ Virum persuadent, ut hos sumtus faciat: cum ipso transigunt. Atque ita factum est, ut non nisi re transacta viderim, me ab iis esse circumventum. Caussa tamen, quare noluerim judicium hoc meum de Argumento Cartesii imprimi, non hæc fuit, quod existimarim quenquam hominum Scripto hoc meo offensum iri; sed quia mihi non satis elaboratum videbatur, & non dignum, quod lucem publicam aspiceret. Quædam igitur, cum jam in Typographi manibus esset, emendavi, & addidi, præcipue Epilogum, quo monstro, me meliora docenti cessurum. Hæc omnia, si opus est, testibus compluribus probare facillimum est. Unde cuilibet videre licet, quanta sit mea in Editione infelicis hujus partûs culpa.

Sed

Sed finge, omnem istius tam immaturæ impressionis culpam mihi unicè tribuendam esse. Quid tandem est in hoc, quod Virum Celeberrimum offendere potuit? Dissensum ab eo testor, non in sententia ipsi peculiari, sed in sententia ipsi cum mille aliis communi; inter quos plurimi sunt, quos amo, quos colo, & revereor, qui me amantem redamant, qui dum me refutant, (neque enim solus Vir Clar. hunc laborem suscepit) modestum judicium, ut vocant, meum, pari modestia se examinaturos dicunt; qui mihi, non obstante hoc dissensu, amicitiæ incolumitatem prolixe pollicentur.

Sed Errores tetros observavit Vir Clar. Finge ita esse, & Litterarum Apologeticarum Auctorem non loqui animo paulò commotiore. Scripsi, ut Errores mei mihi monstrarentur, & refutarentur. Sed hoc solis rationibus fieri potest: hyperbolis, exclamationibus, invectivis, scommatibus, formulis contemtum & indignationem exprimentibus, nihil refutatur. Potest his Vir Cl. me in odium & contemtum adducere apud eos, apud quos magna ipsius est Auctoritas: verum usque adeone utile esse credit Vir Cl. Ecclesiæ aut Rei litterariæ, ut contemnar & odio habear, atque ita in posterum sine ædificatione in munere à Deo mihi demandato verser?

Hæc omnia si probe perpendere dignaberis, Vir Eruditissime, non dubito, te agniturum, me aliquanto benignius debuisse tractari à Viro qui Benigni *nomen gerit. Et quidni agnosceres? cum id agnoscat ipse Clar. Auctor Litterarum Tibi scriptarum; fatetur enim tandem,* se liberius animi sui sententiam immò indignationem expressisse. *Et sane hanc indignationem verbis clarioribus, & ad captum omnium accommodatioribus, sæpe exprimit, quam rationes suas; hoc vero vult* ut imputem crudis meis effatis. *Sed, quod inter nos dictum sit, an non credis, mihi hic aliquid imputare licere ingenio paulo fervidiori Viri Celeberrimi? Forte, quamprimum Effata mea sedatiore animo examinaverit, non tam cruda amplius ipsi videbuntur. Stomacho, in quem aliquid bilis exundavet, cibi etiam bene cocti crudi & difficilis digestionis sunt.*

Vult denique Vir Cl. ut sibi condonem, si quæ gravius adversum me sint ab eo dicta; ego vero condono ipsi omnia, idque ex animo, non tam propter ejus candorem, quem desiderare possem, nisi sinistras

quan-

quandoque meorum dictorum interpretationes nimiæ ejus festinationi tribuerem; sed quia Dominus noster J. Christus vult, ut omnes offensas fratribus condonemus. Si hoc officium debemus omnibus nos lædentibus, quanto magis iis, quos Deus insignibus præ cæteris dotibus ornavit, quos in Ecclesia super alios extulit, quibus magnum nomen conciliavit, quorumque eximia in Rem litterariam extant merita? Ferenda nobis multa sunt in Viris egregiis, eadem prorsus ratione, ut ferimus sæpe morositatem parentum nostrorum.

Utinam Vir Cl. ut hactenus ingenium omnibus artibus excultum profundamque Eruditionem toti orbi probavit, in hanc curam, ætate ejus ad senium vergente, unice incumberet, ut nobis junioribus, utque posteris, post alias virtutes, exemplum quoque humilitatis, mansuetudinis & charitatis imitandum relinqueret! Absit ut suspicer Virum Cl. his virtutibus carere, sine quibus omnis nostra scientia est ventus nos inflans, immo sine quibus nihil sumus, tametsi non linguis hominum loqueremur sed Angelorum, etsi haberemus Prophetiam, & novissemus mysteria omnia omnemque cognitionem. Sed si hæ in ipso, ut non dubito, unà cum reliquis virtutibus Christianis reperiuntur, opto ut has quoque non minus lucere faciat coram hominibus, quam lucere facit Eruditionem hactenus, quam prædicant omnes, quamque posteri prædicare nunquam cessabunt.

Nescio Vir Cl. an aliquid in litteris hisce sit, quod faciat ad Clar. Auctorem Litterarum Apologeticarum mihi placandum. Si quid in iis invenis ad hoc idoneum, id illi occasione data, neque enim nunc id suaserim, eâ quâ polles prudentiâ, insinuabis: facies id, ut spero, tam apto tempore & loco, ut videam ac sentiam operæ tuæ pretium: quandoquidem ille, ut audio, solet

Te colere, arcanos etiam Tibi credere sensus;
Unde Viri molles aditus & tempora nosti.

Vale, Judex noster, & in hac caussa justitiam tuam & æquitatem fac discamus: in aliis conserva tuum erga me affectum. Vale.

VIN-

VINDICIÆ JUDICII DE ARGUMENTO CARTESII &c.

QUOD Cl. Auctor Epistolæ Apologeticæ adversus meum judicium, de Cartesii pro Existentia Dei argumento, in limine scripti sui profitetur, *se vix operæ pretium putasse, ut judicium meum paulo accuratius examinaret*, facile credo; neque levia, quæ à me proficiscuntur, tanti facio, ut illa attentionem illorum mereri existimem, qui longe melioribus curis occupantur. Utinam vero Vir Cl. aut judicium suum de scripto meo prorsus suspendere voluisset, aut illud paulo accuratiore examine dignum censuisset: non sane in illo vidisset multa, quæ vidit, aut se vidisse suspicatus est: & quod maxime me angit, non invenisset *absona* illa & *tetra, quæ non sine frigido horrore* aut *indignationis æstu legere potuit*: non invenisset *errores* illos *graves, qui serpere, & sui contagio nocere possint*: non detexisset denique nescio quam *radicem amaritudinis*, à qua ut sibi caveant, tam serio homines monendos censuit.

Ego facile patior, ut quilibet, collatis scriptis nostris, de argumenti Cartesiani soliditate pro captu suo judicet: facile etiam patior, ut Vir Clar. mihi

mihi exprobret quoslibet defectus ingenii, judicii & eruditionis. Quod vero ad illa periculosa attinet, quæ sibi Cl. Censor judicii mei in illo sibi vidisse est visus; feret, spero, animo non iniquo, si monstrem, hanc ejus suspicionem ex nimis festinanti scripti mei lectione esse ortam, atque inde, quia illud non dignum censuit, quod accuratius examinaret.

Pag. VII. Introducit me quærentem: Cum argumentum Cartesii à *posteriori* priori illo longe sit obscurius, longe magis compositum, & pluribus exceptionibus obnoxium; quid attineat, tam operose à posteriori probare rem per se notam, i. e. probare certius per incertius? Huic meæ interrogationi opponit aliam: *Quare igitur huic argumento à posteriori robur aliquod concesserim, illudque alteri à priori, quod purum putum sophisma edixerim, prætulerim: si longe obscurius, intricatius, & magis incertum hoc sit? An ergo purum putum sophisma clarius & certius sit argumento, utut composito, &, si lubeat addere, obscuro, quod tamen aliquod robur habet?*

Leve hoc est, & facile, ut multa alia, id præterire poteram: sed quia aliquis hoc legens suspicari posset, me nullum facere discrimen inter solida argumenta pro Existentia Dei & sophismata, imo sophismata bonis argumentis anteponere, paucis respondendum est.

Qui tantum legere dignatur verba mea, clarissime videt, me præferendum censere argumentum, quod oppugno, alteri, quod probo, non *absolute* sed *conditionate*: si, quod Cartesius & ejus sequaces volunt, esset solidum; si nullum in eo sophisma lateret, quam conditionem disertis verbis adjicio. Absolute, & sine hac conditione, præfero argumentum à posteriori, quod suum habet robur, argumento *à priori*, quod mihi sophisma videtur.

At, si crederem cum Cartesio, utrumque horum argumentorum solidum esse, neutrum sophisticum: inter hæc duo solida argumenta præferrem argumentum *à priori*, deductum ab ipsa rei natura, argumento *à posteriori*, petito extra rei naturam ab ejus effecto: præferrem argumentum simplicius, quod nihil aliud requirit, quam ut intelligatur quæstionis subjectum & prædicatum, argumento, quod præter hoc, requirit, plura, quodque propterea pluribus exceptionibus est obnoxium; præferrem denique argumentum, quod non modo veritatem propositionis probat, sed probat illam esse axioma per se notum, argumento, quod tantum probat propositionis demonstrandæ veritatem, & nihil præterea.

Hoc sane facerem, si cum Cartesio utrumque horum argumentorum æque solidum putarem. Miror non idem facere Cartesium; atque ex hoc inter alia conjicio, Cartesium ipsum argumento suo *à priori* non penitus fidisse. Num hæc mea conjectura *jocularis* & *nugatoria* sit, judicet qui voluerit: satis est monstrasse, Virum Cl. hic mentem meam non percepisse.

Pag. VIII. Cl. judicii mei censor me introducit aliam quæstionem moventem:

ventem: Quod si hæc propositio: *Deus est*, axioma sit, ubi prædicatum clare & distincte continetur in Idea subjecti; quare non omnes homines, simul atque intellexerunt vocabulorum vim, huic propositioni assentiantur? quare illius probationem exigant? Desiderasset, ut ad hanc quæstionem respondissem: *hoc provenire ex ingenti hominum corruptione*; usque adeo, *ut prodigio illi simile sit visum, me, hujus corruptionis non ignarum, mihi & aliis hunc nodum colligasse.*

Qui hanc quæstionem aliquo modo mutilatam, ut in scripto mihi opposito proponitur, & responsionem à Viro Clar. mihi præscriptam legit; crederet agi de caussa Atheismi, & me (rogatum, quænam ejus caussa sit) eam ponere non tam in corruptione Atheorum, quam in ipsa Existentiæ Dei incertitudine: à qua insania non minus abhorreo quam Clariss. Apologista.

Si quis ex me quærit: quare dentur Athei? respondere soleo, me adduci non posse, ut putem, quenquam eo impietatis venire, ut Deum nullum esse ex animo credat. Quod si vero Athei dantur, id nullo modo ex rei ipsius incertitudine provenire, sed ex insigni talium hominum perversitate. Innumera esse in cujuslibet hominis anima, in corpore, in toto homine, undique, circa, supra, infra nos, in vasto hoc universo, quæ Dei existentiam cuilibet non penitus stulto evidentissime persuadere possint & debeant; prorsus ut nemo huic tam certæ veritati non possit assentiri, nisi omnino perditus, qui de Deo ne quidem cogitare vult, aut ad ulla argumenta Dei existentiam probantia attendere; quique, sicubi hæc ei in mentem veniunt, ut vel corruptissimis sæpe accidit, ea procul a se facessere jubet: aut nescio quibus ratiocinationibus vanisve effugiis, conatur eludere. Ita respondere soleo, si quis me interrogat de caussa Atheismi.

At si Cl. Censori operæ pretium visum fuisset, dicta mea examinare, vidisset manifeste, quæstionem, quam citat, non esse de caussa Atheismi. Si argumentum Cartesii, quod refuto, solidum est, hæc propositio: *DEUS existit*, non tantum est certissima, sed insuper est axioma omnibus hominibus per se notum, cujus prædicatum non minus clare videtur in Idea subjecti, quàm in hac propositione: *triangulum habet tres angulos*, & similibus. Quæro igitur non; quare dentur Athei? sed quæro ex Cartesii sequacibus: quî fiat, quod non omnes homines, *simulatque intelligunt vocabulorum vim*, huic propositioni assentiantur, ut assentiuntur his: *Triangulum habet tres angulos; totum est majus sua parte*; & ita quidem, ut ejus probationem non magis exigant, quam axiomatum adductorum: quænam sit caussa hujus diversitatis, quam videlicet homines hic faciunt inter axiomata per se nota?

Ex quibus luce clarius est, non quæri à me, quare sint, qui existentiam Dei plane non credant: sed quare inter homines, etiam eos, qui de ea minimè dubitant, sint, qui propositionem, *DEUS existit*, non habeant pro axiomate per se noto; qui illi quidem firmiter assentiantur, sed tanquam conclu-

conclusioni plurimis, iisque evidentissimis, argumentis facilimè demonstrabili; non tanquam principio, quod ex sola terminorum intelligentia statim cognoscitur, qualia sunt: *Triangulum habet tres angulos, totum est majus sua parte*; quibus nemo non potest assentiri, qui subjectum & prædicatum intelligit; quæque adeo probare nemini non videtur supervacaneum, imo ridiculum.

Scopus hujus quæstionis neutiquam est, nodum nectere, quo cuiquam hominum suspectam reddam Dei existentiam: sed suspectum reddere argumentum Cartesii; quod si solidum est, hæc propositio *DEUS existit*, non modo certissima est, sed insuper est axioma, cujus prædicatum clarissimè continetur in Idea subjecti.

Quid igitur voluisset Cl. Antagonista, ut ad hanc quæstionem responderem? Dicendum ne erat, illos, qui huic propositioni, *DEUS existit*, non assentiuntur tanquam axiomati per se noto, quantumcunque alias de certitudine ejus sint persuasi, iis omnibus, qui eam pro axiomate habent, esse corruptiores? *Anselmus* voluit, hanc propositionem nobis esse per se notam: negavit id postea *Thomas Aquinas*. Num plus labis & corruptionis residuum fuit in omnibus illis Theologis & Philosophis, qui hucusque cum Thoma senserunt; quàm in iis, qui senserunt cum Anselmo?

Qui negant, hanc propositionem, *DEUS existit*, esse axioma, iidem pro totidem axiomatibus per se notis habent: *DEUS est bonus, est justus, est verax, est sapiens, est potens, &c.* Num id solum residuæ labi adscribendum erat, quod putant, hanc propositionem, *DEUS existit*, non esse ejusdem generis: esse illam quidem non tantum *objective* sed *subjective* etiam certissimam; at non ut principium homini per se notum, sed ut conclusionem ex innumeris aliis cognitu & probatu facilimam? Ita sane si judicassem, injurium fuisset hoc judicium in multos eximiæ pietatis viros, saltem temerarium.

Pag. X. Clar. Censor ait, *se non sine frigido horrore legisse hæc mea verba: Existentia non alio modo pertinet ad essentiam Dei, quam ad essentiam aliarum rerum.* Qui hæc verba legit, ut sunt ab antecedentibus & consequentibus separata, una cum refutatione eorundem, & audit de frigido horrore Viri Clar. putaret, me dicere velle, DEUM non magis à se & necessario existere, quam aliam quamlibet rem: quod sine dubio horridum foret. At legenda sunt omnia, quæ inde à paragrapho meo VI. usque ad X. dicuntur, ex quibus hoc dictum meum tandem concluditur: legenda quoque sunt verba sequentia, quibus id perspicuè explicatur, & nihil amplius horrendum in illo videbitur.

Inquiro in sensum effati quorundam Philosophorum satis ambigui, cum dicunt: *Existentiam esse de essentia Dei, aut existentiam pertinere ad essentiam Dei*: cui, tanquam fundamento, Cartesius argumentum, quod refuto, superstruit. Postquam duplicem sensum, quem dictum hoc recipere potest, detexi, concludo tandem, eos, qui ita loquuntur, nihil dicere de DEO,

quod

quod non de quavis alia re dici possit: Existentiam non *alio modo*, i. e. non alio sensu verborum, pertinere ad essentiam Dei, quam ad essentiam aliarum rerum; nempe, ut diserte addo, *ad essentiam Dei objectivam pertinere existentiam objectivam, ad essentiam realem & formalem existentiam ejusdem generis*; quod de aliis quoque rebus dici posse in antecedentibus probaveram. Quod si à terminis istis abstinere volumus, dictum meum breviter huc redit:

Quemadmodum Deus non est revera Deus, nisi existat; & in mente repræsentari non potest ut Deus, nisi repræsentetur ut existens; ita res quoque creata, v. gr. corpus non est revera corpus, nisi existat; & in mente repræsentari non potest ut corpus, nisi repræsentetur ut existens. Hæc est tota hæresis latens in verbis: *Existentia non alio modo pertinet ad essentiam Dei, quàm ad essentiam aliarum rerum;* hæresis, in qua credo omnes esse homines, qui verba mea intelligunt.

Horror vero Cl. Antagonistæ, ut mihi videtur, inde venit, quod non distinxit inter has duas quæstiones: *Quomodo* (i. e. quo sensu) *existentia pertineat ad essentiam Dei; & qualis existentia ad essentiam Dei pertineat?*

Ad priorem quæstionem respondeo: Existentiam ad *essentiam Dei realem* pertinere *realiter; ad essentiam objectivam*, pertinere *objectivè*, i. e. *positionem realem essentiæ divinæ* includere *existentiæ positionem; repræsentationem* verò *mentalem essentiæ divinæ* includere *tantum repræsentationem existentiæ*. Cumque idem de omnibus aliis rebus dici possit: dico, existentiam eodem modo, sive eodem sensu verborum, pertinere ad essentiam Dei, quo pertinet ad essentiam aliarum rerum: ubi id potissimum respicio, ut quilibet mediocriter attentus videt; *repræsentationem mentalem essentiæ Dei non magis includere positionem realem existentiæ Dei, quàm id faciunt repræsentationes mentales aliarum essentiarum.* Quod ultimum tamen requireretur, ut Cartesii argumentum, quod oppugno, esset solidum, ut in sequentibus clarius monstratur.

Ad alteram verò quæstionem, cum quæritur: *qualis existentia pertineat ad essentiam Dei?* respondeo, hic esse μέγα λίαν διάφορα inter DEUM & res creatas. Nam ad essentiam creaturarum pertinet existentia contingens, dependens ab alio, fluxa, inconstans, semper alia. Ad essentiam verò Dei pertinet existentia necessaria, à nullo dependens, æterna, permanens, sine partium successione, semper eadem, à qua existentiæ omnium rerum dependent. Et hoc sensu tota mente agnosco, solum DEUM dici posse JEHOVAM צור עולמים, cujus cognominis Divini nunquam obliviscar, dum mei cognominis recordabor: agnosco, solum DEUM hoc sensu dicere posse: *Ego sum;* proculque ab ea blasphemia absum, ut *DEUM coæquem iis, quæ nihil sunt coram ipso.*

Pag. XIII. ex iis, quæ de conceptu corporis perfectissimi Clar. Antagonista meus dicit, manifestissime videtur, eum non legere dignatum esse, quæ de hoc conceptu dixi. Ita enim de eo loquitur, ac si nusquam ex-

plicarem, quid per Ideam corporis perfectissimi intelligam; *ac lectoribus divinandum relinquerem*, quamnam ex tribus, ab ipso allatis, significationibus corporis perfectissimi sequar; immò ac si viderer per corpus perfectissimum intelligere, corpus tale, quod non tantum corporis, sed ἁπλῶς *omnes entis habeat perfectiones*: cui *Ideæ fictitiæ* &, ut recte appellat, *stultæ*, *secum pugnanti*, *blasphemiæ immexæ*, refutandæ integrum paragraphum impendit; in quo tandem concludit, *hanc fictionem confirmare idololatriam Gentilium.*

Nihil vero horum dixisset Cl. Censor, si modo hæc mea verba apertissima legisset: *Corpus perfectissimum est, quod omnes perfectiones habet, quæcunque in corpus cadere possunt: prout Ens perfectissimum est, quod omnes habet perfectiones, quæcunque in Ens cadere possunt.* Ubi clarissime ostendo, quid per corpus perfectissimum intelligam, & quomodo id ab Ente ἁπλῶς perfectissimo distinguam. Idem non minus clare videre poterat paragr. XIII. ubi dico, me concedere, ad Ideam corporis perfectissimi *non pertinere existentiam necessariam*, ut pertinet ad Ideam Entis perfectissimi: at pertinere tantum ad ejus Ideam *existentiam contingentem*, qualis est existentia mei corporis & aliorum plurium; cum nullam perfectionem corpori perfectissimo possim negare, quæ in meum aut aliud quodcunque corpus cadere potest. Cum umbra igitur hic pugnat Cl. Antagonista, non mecum.

Id solum me tangit, quod de illo ait, qui per corpus perfectissimum intelligit, quod omnes perfectiones habet, quarum corpus capax est (è quorum numero num ego sim, ita quærit, ac si hoc esset incertum) de hoc vero ait, *eum arbitrium de possibili rerum perfectione, adeoquè ædilitatem sine suffragio, sibi sumere, quasi divinæ mentis factus sit* ἐπόπτης. Quæ verba aliter intelligere nequeo, quam, à nobis ideo concipi non posse corpus perfectissimum, quia soli Deo cognitæ sint omnes possibiles perfectiones corporis, quæque propterea ab homine enumerari nequeant.

Sed ad hoc, ut concipiam *in genere* corpus perfectissimum, i. e. quod omnes possibiles perfectiones corporis habeat, utque sciam, existentiam contingentem esse inter has perfectiones, non necesse est, ut possim *speciatim* omnes corporis possibiles perfectiones enumerare: sufficit, ut noverim, existentiam contingentem esse perfectionem, cujus corpus sit capax. Quemadmodum, ut concipiam Ens perfectissimum, & sciam, existentiam necessariam ad ejus Ideam pertinere, non requiritur, ut omnes perfectiones Entis possibiles speciatim enumerare valeam; sed sufficit, ut cognoscam, existentiam necessariam esse perfectionem, cujus Ens sit capax.

Pag. XIV. Proponit tanquam assertum meum: *supponi, non constare quod Idea Dei sit Idea entis realis vere extra intellectum existentis.* Quis non hæc legens crederet, me statuere; non constare, an Idea Dei sit Idea Entis vere existentis? quod assertum non monstrosum tantum esset, ut à Viro Cl. vocatur, sed purus putus Atheismus. At legatur paragraphus meus XVI. nihil hujus apparebit. Agi-

Agitur de argumento Cartesii, quod refuto: dico, in illo supponi, Ideam Dei esse Ideam Rei: per rem vero si intelligatur Ens reale, vere extra intellectum existens; supponi id quod argumento est probandum, & peti principium. Num unum idemque est, dicere: *non constat, Ideam Dei esse Ideam Entis realis vere existentis*; & dicere: *hoc non supponendum est in argumento, quo existentiam Dei volumus probare?* Si dico, *existentiam Dei non esse supponendam, tunc cum illam demonstrare volumus*: num ea verba significant, *de existentia Dei nobis non constare?*

Sed quæro hic ex Cl. Antagonista meo, num igitur existimet, solidum esse argumentum ad probandam Dei existentiam, in quo supponitur, Deum existere, aut quod eodem recidit, *Ideam Dei esse Ideam Entis vere extra intellectum existentis?* At hoc vitio laborat Cartesii argumentum, quod clarissime videtur, si ita proponatur:

Ens, in cujus Idea continetur existentia necessaria, necessario existit.
Atqui Deus est Ens, in cujus Idea continetur existentia necessaria;
Ergo Deus necessario existit.

Quæro, num in minore, quando dicitur: *Deus est Ens, &c.* intelligatur *Ens repræsentativum* tantum, an *Ens reale* vere extra intellectum existens? si prius intelligis; nihil aliud probas, quam Ens hoc repræsentativum in intellectu existere repræsentative i. e. ut existens repræsentari. Si posterius, manifesta est petitio principii, aut nescio quid sit petitio principii.

Sed de soliditate argumenti Cartesiani judicet quilibet pro captu suo: manifestum est, nullum in paragrapho meo XVI. esse monstrosum assertum; cum nihil aliud dicam, quam *in argumento, quo probari debet existentia divina, illam non esse supponendam.*

Pag. XVI. Dicit Cl. Antagonista, *me asserere ea, quæ non nisi emotæ mentis homo vel asserat vel credat.* Quid vero illud est? Dico, ut ait, *equi alati Ideam non minus habere immutabilem naturam, quam Dei ipsius.* Qui hoc legit una cum elogio, quo exornor, existimaret, me Deum facere ex equo alato, aut ex Deo figmentum, quale est equus alatus. Sed legenda tantum sunt, quæ paragraphis XX. & XXI. à me dicuntur, & apparebit, nondum mihi de tutore prospiciendum esse.

Cartesius distinguit inter Ideas, *quæ continent naturam immutabilem, & quæ talem non continent.* Ad prius genus refert non modo Ideam Dei, sed Ideam trianguli, quadranguli & hujusmodi innumeras alias. Cum inquirimus, quid igitur *Ideam immutabilem* vocet, liquet, eum hac voce nihil aliud intelligere, quam Ideam, *cui nihil demi possit, nisi Ideæ natura destruatur.* Hic vero dico, fictas etiam Ideas *hoc sensu* esse immutabiles, v. g. corporis perfectissimi, equi alati, & similes: dempta vel una perfectione corporis, destru-

destrui Ideam corporis perfectissimi, & abscissis alis everti naturam equi alati. Hoc est assertum meum adeo insanum.

Sed quæro hic ex quolibet; an igitur dempta perfectione aliqua corporis, corpus perfectissimum sit etiamnum corpus perfectissimum; aut demtis alis, equus alatus sit etiamnum equus alatus? Non quæritur, *an equus alatus sit figmentum, an alas ei liceat multiplicare, aut minuere pro lubitu, an præter alas alia ipsi liceat affingere?* nec quæritur, *an equum possimus concipere sine alis*: sed an Pegasum, sive equum alatum, sine alis concipere possimus? Quæritur, an non æque veræ sint hæ duæ propositiones: Quadrangulum, demto uno angulo, non amplius est quadrangulum; & Pegasus abscissis alis, non amplius est Pegasus sive equus alatus: & consequenter, num vera esse possit propositio hæc: equus alatus manet equus alatus, etiamsi omnes alæ ipsi abscindantur?

Sed quidquid sit de hoc meo asserto, saltem hoc cuilibet perspicuum est, nihil eum dicere Deo indignum, qui dicit, Ideam Dei minime fictam, & Ideam aliquam fictam, v. g. Ideam equi alati, quantumcumque in aliis differant, tamen *in hoc tertio* convenire, quod, quemadmodum Idea Dei, nobis indita, demta aliqua perfectione, non sit amplius Idea Dei; ita Idea ficta equi alati, demptis alis, non amplius sit Idea equi alati.

Venio tandem ad pag. XIX. litterarum Apologeticarum, ubi habetur censura paragraphi mei XXIII. in quo invenit Cl. Antagonista, *quæ ipsum percellunt, quæ vix sine animi ea detestantis æstu & indignatione repeti possunt, absona denique & tetra, radicem amaritudinis, per quam multi inquinari possint.* Faciendum igitur ut, quid in illo paragrapho contineatur, clarissime appareat. Sed id melius discetur ex ipso paragrapho, & integro ratiocinationis meæ filo, quam ex Viri Cl. excerptis, & ad ea animadversionibus.

In istis enim animadversionibus nusquam cerno, quis sit scopus paragraphi XXIII. Tantum enim abest, ut ratiocinatio mea integra proponatur, ut ne verbo quidem indicetur, quid in eo, aut quomodo demonstrare velim. Video quædam verba, ex hoc paragrapho excerpta, quæ qua occasione, qua mente, in quem finem à me dicta sint, non apparet: video quædam, quæ odiosum possunt recipere sensum, majoribus litteris à ceteris distingui: inseri meis verba, quibus usus non sum: video refutari, ut meas sententias, à quibus abhorreo; addi denique formulas & signa affectus & indignationis.

Hæc sane qui legit, crederet, me nescio quid monstri alere, & lectoribus meis sequentes opiniones vafre instillare velle:

1. *Hanc propositionem: Deus est possibilis, posse cum ratione negari.*
2. *Clarum esse, Dei existentiam cum nulla veritate nobis cognita pugnare: sed nondum certum, Deum revera & in se esse possibilem.*
3. *Dari veritatem aliquam incognitam, cum qua Dei existentia pugnet.*

Quam

Quam vellem, ut saltem hunc paragraphum aliquanto accuratius examinare operæ pretium duxisset Cl. Antagonista meus! vidisset clarissime, me hæc tetra minime stabilire velle: quod sane si facerem, non jam indignationem V. Cl. sed supplicium meritus essem.

Docui semper, doceo etiamnum, & docebo, per DEI gratiam, dum spiritum ducam, sequentia dogmata inconcussæ veritatis:

I. Hæc propositio, *DEUS existit*, objectivè & in se, omnium propositionum est certissima. 2. Est veritatis absolutè necessariæ; ita ut absolutè & omni modo impossibile sit, eam esse falsam. 3. Est prima veritas, à nulla alia veritate dependens; & fundamentum omnis veritatis, sine qua quicquam verum esse simpliciter est ἀδύνατον.

II. Hæc eadem propositio *subjectivè* est certissima, certitudine quæ omnem dubitationem excludit, *in mente cujuslibet hominis sani*, ita ut, qui de ea tantum dubitat, non modo corruptissimus sit, sed fatuus & insanus.

Si quid in paragrapho XXIII. dixissem, quod cum his meis assertionibus pugnaret, id abominarer & detestarer, non minus quam Clar. Antagonista. Sed absit, ut quicquam hujus mihi in mentem venerit. Scopus hujus paragraphi minime est, has proprositiones, *DEUS existit*, aut *DEUS est possibilis*, dubias aut cuiquam suspectas reddere; sed monstrare infirmitatem argumenti, petiti à Dei possibilitate, quo quidam utuntur, ad Dei existentiam probandam. Notum autem est, nos, cum invaliditatem argumenti alicujus contra Atheos, Socinianos, Pontificios, monstrare volumus, excipere contra hoc argumentum debere, non quod nos verum esse credimus, sed quod adversarii, hoc argumento convincendi, convenienter hypothesibus suis, contra illud excipere possunt. Ita v. g. cum dico, in hoc ipso argumento, quod refuto, *probari cognitum per æque incognitum*, nemo tam iniquus erit, quin agnoscat, me non intelligere *incognitum mihi*; sed *incognitum iis, qui hoc argumento sunt convincendi.* Hoc posito, videamus de qua re in dicto paragrapho agatur.

Quæritur, quid sentiendum sit de illo argumento, quo quidam utuntur ad Dei existentiam probandam: *Deus est possibilis*, ergo *Deus existit*: num hoc argumentum bonum sit, i. e. ad convincendos Atheos aptum? Nego hoc in isto paragrapho; ratio est, quia in hoc argumento est petitio principii. Illi enim, cui persuadendo inservire debet hoc antecedens: *Deus est possibilis*, non est notius consequente: *Deus existit*. Unde, qui consequens non admittit, non admittet quoque antecedens; quod tamen, qui argumento isto utuntur, credunt negari non posse: nempe, ut quilibet videt, ab iis, contra quos disputant,

qui dubitant de conclusione, & qui hoc demum argumento de ejus veritate sunt convincendi: non à me & aliis, qui non modo de possibilitate Dei, sed de ejus necessitate plenissime aliunde sunt convicti.

Objici mihi poterat, notius esse, Deum esse possibilem, quam Deum existere; quia etiam Atheus, dum Dei existentiam negat, hoc saltem negare nequit, conceptum Dei non esse contradictorium: nullam enim cognoscit veritatem, cum qua existentia Dei pugnet.

Respondeo ad hanc objectionem, in dicto paragrapho, distinguendo *inter possibile in conceptu*, & *possibile in re*: possibile *ratione cognitionis nostræ*, & possibile *revera & in se*. Atheus argumento, de quo agitur, convincendus, etiam antequam admittat Dei existentiam, videt, hanc esse possibilem *in conceptu* suo, sed nondum videt, hanc esse possibilem *in re*: videt, se nullam cognoscere veritatem, cum qua existentia Dei pugnet; sed nondum videt, talem in re non esse, usque dum cognoscat, Deum revera & quidem necessario existere. Tum demum scit, Deum esse non modo *in conceptu*, sed etiam *in re possibilem*, concludendo ab esse ad posse, à necessitate existendi ad possibilitatem. Antequam vero cognoscat, Deum existere: putare potest, contradictorium ejus esse verum: quod si, ut stulte suspicatur, verum esset, daretur veritas, cum qua existentia Dei pugnaret, atque ita hæc esset impossibilis. Breviter, quamdiu aliquis dubitat, an Deus existat, dubitabit quoque, an revera & *in se possibilis* sit; cum, nisi existat, etsi in mente sine contradictione concipiatur, tamen *in re possibilis* non sit: & hinc est, quod vulgo Philosophi dicunt, *in divinis esse & esse posse, non esse & impossibile esse, æquipollere.*

Ad hanc responsionem nullam video in animadversionibus Cl. Antagonistæ instantiam, nisi hanc: Si hæc distinctio, *inter possibile in re* & *possibile in conceptu*, valeret, *nullum amplius judicium ferre possemus de rerum possibilitate: quoniam possibile aliquid esse, judicare non aliunde possumus, nisi ex eo, quod contradictionem in conceptu non implicat.*

Respondeo: Id solum, quod aliquid in conceptu nullam contradictionem involvit, non sufficit, ut concludamus, id esse *revera & in se possibile*. Etsi enim v. gr. partus virginis in conceptu nostro contradictorius non sit, ex eo tamen solo nondum sequitur, partum virginis *in se* esse possibilem: requiritur enim ad ejus possibilitatem realis existentia caussæ, quæ effectum hunc possit producere: hæc si non existeret, tametsi partus virginis *in conceptu meo possibilis* esset, tamen *in re* semper maneret *impossibilis*.

Nondum igitur cognosco rei alicujus possibilitatem, quamdiu nihil aliud, cognoscio

cognoſco, quam me illam ſine contradictione poſſe concipere: ſed tum demum, cum certo ſcio, DEUM exiſtere, qui omnia *in re ponere poteſt*, quæ ego *in mente ſine contradictione poſſum concipere.* Cumque adeo exiſtentia DEI ſit fundamentum poſſibilitatis; antequam hæc cognoſcitur, etiam ea, quæ in mente noſtra contradictoria non ſunt, à nobis poſſunt quidem haberi pro poſſibilibus *in conceptu*, ſed non pro poſſibilibus *in re*. Præpoſterum igitur eſt, ex poſſibilitate DEI concludere ejus exiſtentiam, cum illa, niſi ex hac cognoſci nequeat. Hanc diſtinctionem, *poſſibilis in re & in conceptu*, alio exemplo declarabo. Fingo hominem, ex verbo *Dei* de Trinitate perſonarum in una DEI eſſentia nondum convictum. Quæratur ex iſto, an DEUS non tribus perſonis ſit poſſibilis? In ejus ſane conceptu DEUS non trinus nullam implicaret contradictionem; nullus enim hominum, ſi Trinitas nobis revelata non fuiſſet, conceptum DEI non trini habuiſſet pro conceptu contradictorio. Poſſibilis igitur huic homini DEUS non trinus eſt, ſi omne, quod in conceptu contradictionem non involvit, ſit poſſibile. At, poſita noſtra diſtinctione, reſponſio facilis eſt: Nempe

DEUS non trinus eſt poſſibilis *in conceptu* eorum omnium, qui ex revelatione de Trinitate non ſunt convicti: ſed *in re, revera, & in ſe* eſt impoſſibilis: datur enim veritas in re, quanquam hæc ſit naturaliter incognita, cum qua hæc propoſitio pugnat: *DEUS non eſt trinus.*

Unde igitur, inquis, cognoſcimus, num aliquid ſit revera & in ſe poſſibile? Reſpondeo: Mallem, ut hac propoſitione, *DEUS eſt poſſibilis*, prorſus abſtineretur; cum poſſibilia proprie dicantur, quæ, cum non ſint, poſſunt tamen eſſe & à cauſſa aliqua produci; id quod de DEO cogitari non poteſt. Quod ſi tamen hoc ſano ſenſu de DEO poteſt dici, reſpondeo: quemadmodum non aliter ſcio, Trinitatem revera eſſe poſſibilem, niſi ex eo, quod novi, Trinitatem neceſſario exiſtere; ita quoque non aliunde cognoſcimus, DEUM eſſe poſſibilem, niſi ex eo, quod certo nobis cognitum eſt, DEUM exiſtere & quidem neceſſario. Unde recte obſervat Thomas Aquinas, poſſibile de divinis non dici, ut de aliis, *ſecundum quod poſſibile opponitur neceſſario, ſed ſolum ſecundum quod poſſibile continetur ſub neceſſario: ſic*, ait, *poſſibile eſt DEUM eſſe, Filium Dei generari à Patre.*

Quod vero ad alias res attinet, illas cognoſcimus eſſe revera poſſibiles, cum ab una parte videmus, eas in conceptu noſtro contradictionem non involvere: ab altera vero parte certo ſcimus, DEUM omnipotentem exiſtere, qui omnia revera poteſt facere, quæcunque nos, Angeli, immo DEUS ipſe, ſine contradictione poſſunt concipere.

Ex his attendenti perſpicuum eſt, nihil eorum contra me eſſe, quæ in

in notis Cl. Antagonistæ ad paragr, XXIII. moventur. Quæritur v. g. ibi, *an cum ratione quis negare possit, esse possibile, ut Deus sit?* ubi dixi, hoc *cum ratione* à quoquam negari posse? verbis *cum ratione* prorsus non utor: inseruntur meis tantum, ut odiose mihi opponi possint verba Psalmi: *Stultus in corde suo dicit, non est Deus;* atque porro addi, *me ea docere, ex quibus sequatur, ne quidem stultum esse, qui majora audet.* Quod si vero ad quæstionem istam, una cum hac additione, mihi respondendum est, respondeo: Si *cum ratione* significat sine insigni stultitia, nullum hominum cum ratione negare posse, possibile esse, ut Deus sit: quia ne quidem cum ratione quisquam negare potest, hoc esse necessarium, sub quo possibile continetur. Sin autem *cum ratione* significat, convenienter suis hypothesibus; dico, Atheum, quanquam in eo sit stultissimus, cum dicit in corde suo, non est Deus; in hoc stultitiæ huic & insanæ hypothesi convenienter agere, cum negat, Deum esse possibilem; quando hoc posterius illo priori notius ipsi non est; & alterum sine altero negari nequit.

Manifestum quoque hinc est, quo sensu hæc propositio, *DEUS existit,* sit prima veritas. Talis est *objective & in se*: ab hac enim veritate omnes ita dependent, ut, si hoc verum non sit, nihil sit verum. *Subjective* vero *respectu cognitionis nostræ* potest aliqua veritas hac esse prior, i. e. potest ante hanc à nobis cognosci; quemadmodum in systemate quoque Cartesiano hæc veritas: *Cogito, ergo sum,* prius cognoscitur; quam hæc, *DEUS existit.*

Subjective vero, in mente Atheorum, de quorum convictione in dicto paragrapho agitur, tantum abest, ut hæc propositio sit prima veritas, ut ne quidem veritas sit. Unde præposterum foret, si in argumento, quo Atheus est convincendus; hæc propositio, tanquam prima veritas, supponeretur: & quia id fit in argumento, quod paragr. XXIII. refutatur, ob id ipsum in eo committitur sophisma petitionis principii.

Manifestum denique est, me neque hanc propositionem, *DEUS est possibilis,* quatenus id sano sensu de DEO dici potest, neque hanc, *DEUS existit,* ullo modo labefactare, aut cuiquam suspectam reddere: sed omnia, in hoc paragrapho dicta huc tendere, ut monstrem; inter has duas propositiones, quarum utraque est certissima, priorem posteriori non esse notiorem, immo revera esse propositiones æquipollentes, aut quarum prior sub posteriori continetur: ac propterea eum, qui posteriorem non agnoscit, ex priori, tanquam notiori, convinci non posse.

Ex iis, quæ à me dicta sunt, tanquam ex specimine, judicium ferri potest de Epistola Apologetica Cl. Antagonistæ mei. Nolo suspicari, Virum Cl. in eum tantum finem legisse judicium meum de argumento Cartesii, ut in eo obser-

observaret dicta quædam, & loquendi modos, quorum exagitatione Auctorem contemptibilem, suspectum & invisum redderet.

Malim credere, quod charitas jubet, verum id esse, quod statim ab initio profitetur, *eum vix operæ pretium duxisse, scriptum meum paulo accuratius examinare.* Nimirum gravioribus occupationibus intentus, noluit se eo demittere, ut scriptum *hominis sine nomine* attentius legeret, sensum verborum ejus & scopum diligentius inquireret, conferret ubique antecedentia cum consequentibus, rationes ejus totas plene perciperet, vim earum expenderet, & earum inter se nexum comprehenderet. Raptim legendo, tanquam scriptum non magni momenti, uti revera est, visus est sibi hinc inde in eo deprehendere loquendi modos à formulis & placitis, quibus usque adhuc in docendo assuevit, abludentes; qui nunc risum & contemtum, nunc horrorem & indignationem ei expresserunt.

Scio, præ cæteris magni fieri à Cl. Antagonista *R. Cartesium* & *Job. Cocceium*, & summo quidem tantorum virorum merito. Optarem tantum, ut in epistola sua aliquanto exactius observare dignatus esset Cartesii regulam; *de nulla re* (adeoque nec de alterius sententia) *judicandum esse, nisi prius clare & distincte percipiatur;* in modo vero scribendi utinam imitari voluisset sui illius Cocceji in scribendo moderationem & mansuetudinem!

Optarem denique, ut mihi hoc unicum præstitisset, quod unicum in me laude dignum invenit, quod scilicet *Cartesium à tristi Atheismi subdole traditi crimine absolvam.* Hoc *veritatem* ait, *& charitatem me jussisse.* Beatus, qui se non condemnat, in eo quod approbat.

Nescio, an ad sinistram de me suspicionem aliquid contulerit, quod oppugno argumentum pro existentia Dei, quod tanti facit Cl. Antagonista, ut *cætera omnia præ eo vix claram ἀπόδειξιν habere credat:* unde forte suspicatur, fieri non posse, ut quisquam hoc argumento destitutus de existentia Dei firmiter sit persuasus. Qua de caussa quoque putat, me dissertatione mea *cæcis posuisse offendiculum, quo in pejus proruant; vel irrisorum petulantiam tædis accendisse, ut tantum non ferociant.* At vehementer hic dissentio à Viro Cl., persuasissimus enim sum, exploso hoc argumento, nobis restare innumera, in quæ ipsa S. Scriptura hinc inde digitum intendit, quæ clarissimam habeant ἀπόδειξιν, & argumento Cartesii longe sint solidiora. Quod, si DEUS mihi vitam & valetudinem concesserit, publice demonstrare sum paratus.

Nescio denique, an id suspicionem Viro Cl. de me moverit, quod existimat; me sententiam meam, ut ab initio innuit, didicisse à duobus viris, quorum neuter ipsi placet. Sed velim sciat, me publice Cartesii argumentum refutasse,

refutasse, eodem prorsus modo, quo nunc refuto, antequam scripta istorum de hac materia lucem viderunt, quæ, sancte testari possum, nunquam in hoc usque tempus legi. Si me ineptum putet ad vitium argumenti alicujus proprio Marte detegendum, dicam à quo id didicerim. Ab homine scilicet vivente, qui in seram usque senectutem laudem conservavit Theologi pii, orthodoxi, solidi, moderati, pacifici, cui vitam & omnia debeo; sine quo nihil molior, cujus judicio omnia meditamina mea submitto. Is jam ante quindecim annos argumentum hoc Cartesii refutavit, eodem ferme modo, quo à me refutatur: &, hoc non obstante, à Theologis, qui argumentum istud probarunt, immò systematibus suis, etiam ipsi dedicatis, inseruerunt, constantèr amatus est.

Quod si obtineri potest à Cl. Antagonista meo, ut dicta mea attente, sine præjudicio & sinistro affectu examinet, & ubique, sine asperitate verborum, cui me fateor non esse assuetum, nudis rationibus mecum agat, polliceor, me ipsi circa ea, quæ in scripto meo continentur, plene satisfacturum; aut saltem iniquas de me suspiciones omnes ex animo ejus exemturum. Hæc verò conditio si ipsi non placet, tacebo, Deoque omnia commendabo.

APPENDIX.

Cum quæritur, an ens aliquod existat, quæstio non est de ente aliquo *reali*, num videlicet existentia *realis* de eo sit affirmanda; hoc enim nemo in dubium revocabit. Neque de ente *ideali* quæritur, an existat in intellectu nostro, hoc sensu, an revera ideam hujus entis in intellectu habeamus, neque hoc sensu, num illud in intellectu, ut existens repræsentetur; aut num ejus repræsentatione comprehendatur quoque repræsentatio existentiæ; hæc omnia dubio carent.

Hoc vero est quod quæritur, num objectum immediatum cogitationis meæ, aut *ens ideale*, quod menti meæ objicitur, repræsentet ens aliquod in rerum natura *existens?* Huncque genuinum esse hujus quæstionis sensum patet ex similibus exemplis.

Cum v. g. aspiciens in tabella varia animalia depicta, ursum, leonem pardum, Pegasum, Minotaurum, Cerberum &c. cum, inquam, hæc picta anima-

animalia aspiciens, dico: Hoc animal *in rerum natura existit*; hoc *non existit*: nihil aliud verbis his innuere volo quam; Hoc animal pictum, v. g. leo pictus imago est animalis in rerum natura existentis; Hoc alterum v. g. cerberus pictus non est imago *entis* extra mentem *existentis*.

Eodem plane modo, cum ego contemplans objecta mentis meæ immediata, quæ soleo entia *idealia* vocare, quæ sunt quasi entia in mente depicta; cum, inquam, hæc contemplans, hoc, dico, *existit*, hoc *non existit*, nihil aliud dicere volo, quam hoc ens in mente pictum, hoc *ens ideale*, v. g. angelus *idealis*, repræsentat *rem*, aut est imago rei extra mentem in rerum natura *existentis*; hoc v. g. mons aureus, non est imago *rei* extra mentem *existentis*.

Ex quo manifestum est, *subjectum* talium propositionum, Ens aliquod, corpus, Angelus &c. existit; esse, *ens ideale*, i. e. immediatum aliquod mentis objectum; cumque dicitur, illud *existere*, aut esse *existens*, sensum esse, hoc referre, repræsentare, rem existentem, simile esse rei existenti. Atque ita ut cum de homine picto dico; hic est homo in rerum natura existens, verba mea hunc habent sensum; hic homo pictus refert hominem in rerum natura existentem; Ita cum de objectis cogitationum mearum, aut de entibus *idealibus* in mente quasi depictis dico, hoc est *substantia*, aut hoc est *ens* in rerum natura *existens*; sensus itidem hic est; hoc repræsentat substantiam, aut hoc habet in rerum natura aliquid existens sibi simile.

Videamus igitur nunc, num tales propositiones demonstrari possint *à priori*: argumento petito ex ipsa natura *subjecti* propositionis demonstrandæ. Sumamus e. g. hanc: *Angelus existit*. Hæc, ut probatum est, æquipollet huic; hoc objectum immediatum mentis meæ, cum de angelo cogito; aut, *Angelus Idealis* repræsentat *ens* extra intellectum in rerum natura *existens*. Jam nemo est, qui non videat, ad naturam *angeli idealis* non magis pertinere, ut ens in rerum natura vere existens repræsentet, quam pertinet ad naturam picturæ alicujus, aut hominis in tabella depicti, ut hominem aliquem realiter existentem. Cum igitur fieri nequeat ut in hac *enuntiatione*, Angelus idealis in intellectu repræsentat rem extra intellectum vere existentem, *prædicatum* pertineat ad essentiam *subjecti*; idem dici debet de propositione æquipollente; Angelus existit.

At vero idem judicium ferendum est de hac propositione; Deus existit, cujus non alius esse potest sensus, quam hic: Deus *idealis* repræsentat *rem* extra mentem *existentem*, aut similis est *rei* extra mentem *existenti*. Ubi sane non magis dici potest *prædicatum* enuntiationis pertinere ad naturam *subjecti*, quam in propositione modo dicta. Cum enim de Deo *ideali* dicitur illum repræsentare *ens* extra mentem vere *existens*; hoc *prædicato* non minus mera *relatio subjecti* ad aliud à se diversum significatur, quam cum idem dicitur de angelo

angelo *ideali.* Unde necessario sequitur, *prædicatum* in hac propositione ad naturam *subjecti* neque pertinere, neque pertinere posse; & proinde demonstrare hanc propositionem à *priori*, argumento ex ipsa *subjecti* natura petito, non minus esse ἀδύνατον quam si quis ex solis lineamentis humani vultus in tabella aliqua depictis demonstrare vellet, vultum hunc repræsentare hominem, aut esse imaginem hominis in rerum natura vere existentis.

Hinc manifesto apparet, eos omnes, qui huic argumento *Cartesii* tantum tribuerunt, propositionem hanc; *Deus existit*, ne quidem recte intellexisse.

PRÆFATIO
AD LECTIONES
DE
EXISTENTIA DEI
INTER SCHEDAS AUCTORIS REPERTA.

ANNUS *est & ultra, ex quo in hac Cathedra de* EXISTENTIA DEI *verba faciens, incidi in argumentum celebre* Renati Cartesii, *quo* Deum *existere probare vult ex eo, quod existentia necessaria in ipsa* DEI *idea contineatur. Dixi quænam sit mea de hoc argumento sententia, eamque, ut potui, probavi. Casu factum est, ut hæc prælectio mea imprime-*

retur. Postquam vero impressa est, videbatur Viros quosdam doctos in ea offendisse, tum alia, tum præcipue, quod existimant, præcipuum argumentum ad veritatem tam necessariam probandam à me hac ratione labefactari; id quod magno mercentur *Athei.*

Unde suaserunt Amici, ut dissertatione aliqua ostendam, non eo nos redactos esse, ut, amisso hoc argumento, de persuasione nostra, qua existentiam DEI *amplectimur, ejusque firmitate actum sit; Armamentarium Israelis non propterea esse exhaustum. Factum id est aliquo modo jam olim, sed potest id fieri aliquanto accuratius. Sunt mihi rationes non leves, quare publico scripto, quod suaserunt amici, hoc saltem tempore id facere, non consultum ducam.*

Statui igitur, ne caussa Dei desim, filum lectionum mearum paulisper interrumpere, vestigia jam olim pressa relegere, & antequam argumenta ipsa existentiam Dei *probantia proponam, insaniam Atheismi vobis, Auditores, aliquot lectionibus, Deo benigne adspirante, ob oculos ponere; unde videre possitis, quam verum sit illud, quod divinus Psaltes cecinit, eum qui* in corde suo dicit, nullum esse Deum, stultum esse.

Psalm. XIV.

PRÆ-

PRÆLECTIO
DE
STULTITIA ATHEISMUM
PROFITENTIUM.

CAPUT PRIMUM.

Demonſtratur, Atheiſmum profitentes toti hominum generi eſſe inimicos.

QUI eouſque impietatis veniunt, ut atheiſmum non modo profiteri, ſed aliis etiam perſuadere audeant, inimici ſunt *toti hominum generi*; ac præcipue *ſibi ipſis.* Dico eos *toti hominum generi inimicos eſſe*; rumpunt enim, quantum in ſe eſt, præcipuum Societatis & amoris vinculum, quod inter homines eſt; tollunt è mundo fidem & ſecuritatem; fraudibus, injuriis, perjuriis, rapinis, cædibus, latrociniis, omnibuſque criminibus portam aperiunt; ſicque tetris ſuſpicionibus, perpetua diffidentia, atque terroribus omnia complent.

Hoc, ſi quis forte me exaggeratione uti exiſtimet, demonſtrare haud dif-

facile est. Qui alios seque ipsum cognoscit, ignorare nequit, quantopere homo ad omne genus malorum propendeat; quot peccandi occasiones ubique inveniat; quantopere à cupiditatibus abripiatur, a malis exemplis sollicitetur, pravis colloquiis corrumpatur, inani specie boni præsentis fallatur, à sensibus, affectibus, pravisque ratiocinationibus excæcetur. Hic validissimo fræno opus est, quo homo à malo identidem retrahatur; nihilque, quod ad hanc rem efficax esse potest, negligendum.

Tria autem sunt potissimum, quæ hominem à malo absterrent: metus *ignominiæ*; metus *incommodorum & malorum*, quæ crimen post se trahit; in quibus eminet *vindicta*, cum *privata* tum publica; & denique metus *Numinis*, quod regat genus humanum, bonumque remuneretur & malum puniat.

Non equidem negaverim, metum *ignominiæ* & infamiæ, multum apud plerosque hominum posse, ut qui nihil magis cupiunt, quam ut magni fiant & laudentur. Sed nec desunt, qui aut propter superbiam aut stuporem, aut propter impudentiam, sæpe peccando contractam, aliorum de se judicia negligunt. Nec verisimile est, illum diu aliorum hominum judiciis & linguis territum iri, qui omnem Numinis metum excussit, eaque quæ de religione dicuntur, pro vanis terriculamentis habet.

Sed ponamus, Atheum, quem nihil divina movet remuneratio & ultio, imaginariæ gloriæ amore tangi, infamiæ metu terreri. Hic metus eum non tam à vitiis & criminibus retrahet, quam ad ea studiosius celanda incitabit. Notum autem est, quam sint homines in hac re artificiosi histriones. Aliud sunt, aliud esse videntur; blandiuntur sibi spe flagitia celandi; facile credunt, vitia quam maxime patentia toti orbi posse abscondi.

Denique quod hic potissimum considerandum, crimina & flagitia in populo aliquo non diutius ignominiosa habentur, quam dum sunt plurimi, qui ab iis abhorrent. Hic vero horror eo magis decrescit, quo magis crescit Atheismus. Qui enim Deum esse non credunt, utilitate & præsenti voluptate omnia metiuntur, nullumque discrimen honesti & turpis agnoscunt; a nullo crimine, dummodo utile videatur & jucundum, abhorrent; & cum Bruto morituro dicunt,

Te sequimur, virtus, ut rem, sed nomen inane es.

At alia, inquis, sunt incommoda & mala quæ hominibus à vitiis absterrendis sufficiunt. Intemperantiam sequuntur morbi & dolores; luxum paupertas; superbiam invidia; injustitiam odium; temeritatem pericula; perfidiam perjuria, fraudes universalis omnium hominum diffidentia, & quæ sunt hujus generis multa alia.

Sed hæc mala & incommoda non semper flagitia in his terris comitari & insequi solent. Unde communis illa querela, bonis in his terris male, malis

lis bene esse. Præterea cum hæc incommoda non statim, sed longo intervallo crimina sequantur, non nisi prudentes terrent, qui ea prævidere possunt, & prævident, qui sane sunt paucissimi; plerique enim in futurum non prospiciunt, sed tantum, quæ ante pedes sunt, vident. Atque illi ipsi, qui illa aliquo modo prævident, non tamen recte magnitudinem eorum malorum considerant. Quantacunque enim sint, cum non nisi è longinquo prospiciuntur, exigua videntur, quæ cum voluptate aut commodo præsenti nullo modo sint comparanda. Quam sæpe intemperans, cum intensissimos sentit dolores, quos intemperantia contraxit, vota concipit sanctæ frugalitatis & temperantiæ, quorum obliviscitur, quam primum dolores remittunt; cum voluptas præsens licet exigua hominem sollicitat, dolore absente, licet sit maximus, non movetur?

De *vindicta privata*, quæ ab iis, quos lædimus, metuenda est, idem dicendum. Hæc ab injuria alteri facienda absterrebit cautum & providum, non temerarium & stupidum, qui ex affectu omnia agit, nihil ex ratione; absterrebit timidum, non audacem; absterrebit tenuem & imbecillum, non validum & potentem; absterrebit hominem quietis & tranquillitatis amantem, non inquietum & eum, qui turbis alitur; non ferocem aut callidum, quorum ille vitibus suis confidit, hic versutiæ.

Majoris hic est efficaciæ *vindicta publica*. Tanta enim Supremi Magistratus potentia est, ut à nemine possit contemni; & exempla, quæ sæpissime statuit, non possunt non omnibus terrorem incutere. Sed & hic multa desiderari possunt. Nam præterquam, quod hæc non movent eos, qui supra leges sunt, & à nemine puniri possunt; sive suo jure, sive usurpatione, sive concessione regum & principum, qui sæpe servis supremam potestatem relinquunt, quorum crimina societati sunt perniciosissima; multa sunt vitia, sæpe etiam magna crimina, societati perquam noxia, quo puniri amplius non possunt ad vivum resecari. Tempori sæpe serviendum est; multa tolerantur, quæ non probantur. Præterea impudentia, calliditas, potentia, opulentia, innumeras habet vias, pœnas legibus constitutas eludendi; præsertim atheismo ita invalescente, ut neque judices, neque actores, neque rei, neque testes, neque advocati, ulla religione ab injustitia, à mendaciis, à fraudibus, à perjuriis, à corruptionibus absterreantur. Quo fit, ut leges civiles & earum pœnæ, jam non amplius sint metuendæ sceleratissimis; sed impotentissimis & pauperrimis, simplicissimis & timidissimis.

Thomas Hobbesius statuit, homines *in statu naturali* extra civitatem constitutos *in perpetuo bello versari*; atque in hoc bello *cuilibet quidlibet licere in quemlibet*. Quod certe verissimum esset, si nullus esset Deus, communis omnium Dominus, cui omnes homines etiamsi nondum in civitatem concessissent, essent subjecti. Sed ne quidem in *statu civili* bellum inter Atheos cessaret. Quam enim pacta ista etiam jurata securitatem mihi præstarent,

rent, si cuilibet liceret illa rescindere suadente aliqua utilitate? id quod liceret, si Deus non esset. Libertatem meam vendidi; jus vindictæ privatæ mihi ademi, quia promisit Magistratus & Civitas se injurias meas ulturam, promisit protectionem. Sed quid si hic meus Protector & injuriarum mearum vindex ipse mecum sentit; si non credit esse Deum; si non credit, pacta violare esse peccatum quod Deus puniat? Belli ille status semper manet, qui ante fuit, quam homines in Societatem coiverunt.

Unde videmus, religionem & Numinis metum unicum Civitatum omnium vinculum esse; & potentiam illam quam flagitiosi reformidant, absque religione esse nullam. Id quod probe viderunt omnes Civitatum institutores & legislatores, quorum nullus fuit, qui non viderit, numinis metum prorsus esse necessarium, ad homines in officio continendos, & subditos magistratui, magistratum subditis mutuo vinculo devinciendos, in quo omnis potentia civitatis consistit.

Hinc legibus quoque suis divinam originem tribuerunt, religionibusque populum imbuerunt & mitigarunt. Hinc fit, ut hodieque omnes Reges promissa populo facta jurejurando confirment. Hinc subditi principibus obedientiam jurejurando promittunt. Hinc omnis generis judices & magistratus jurant, se fideliter muneribus suis functuros. Hinc testi non creditur, nisi jurato. Hinc jusjurandum lites alioqui infinitas sæpe terminat.

Ex his omnibus attendenti facile patet, hostes esse generis humani, qui atheismum hominibus persuadere & insinuare moliuntur. Quantum enim in se est, omnes Civitates dissolvunt, & homines in eum statum conjiciunt, ut nunquam alter alteri fidere possit; ut homo homini lupus & pernicies fiat, qui nullius rei metu a criminibus amplius absterreatur. Potest itaque magistratus in eos qui atheismum profitentur, aut quoquo modo docent, animadvertere, tanquam in perturbatores pacis publicæ & hostes generis humani.

Neque enim hoc se excusare possunt, quod alias hæretici, fanatici imo pessimi idololatræ solent adducere; se conscientia obligari ad id docendum, quod verum iis videatur. Ridiculum enim esset, si atheus conscientiam allegaret, quæ se ad atheismum, quem verum esse credat, docendum obliget. Quæ enim conscientia esse potest, ubi Deus non agnoscitur? Aut quid, metu Numinis remoto, obligare potest hominem, ad veritatem perniciosam, mendacio, ut ipsi videtur, tam utili, imo tam necessario, præferendam?

Sed & ex hoc, si argumentum apodicticum pro existentia Numinis petere non licet; potest saltem peti præjudicium non leve, quod multum habebit ponderis in animo sedato & attento. Si enim persuasio ista de existentia Numinis tàm utilis est, imò tam necessaria, ad pacem, Societatem & tranquilitatem inter homines conservandam, num credibile est, eam falsam esse? Nihil homini veritatis

tatis cognitione dulcius est; ad hanc inquirendam natus esse videtur; ad hanc inveniendam rationis vim præ cœteris animantibus accepit.

Quis persuadere sibi potest, eam esse conditionem humani generis, ad veritatis inquisitionem nati, ut felix esse non possit, nisi omnes mendacium credant, huicque omnes actiones suas superstruant? Quis credat, mendacium esse fundamentum omnis boni, omnis virtutis, omnis honestatis, imo omnis pacis, tranquillitatis & felicitatis inter homines? Quis credat, illum appetitum veritatis cognoscendæ homini ad perniciem esse datum, cum reliqui omnes appetitus naturales manifeste ad hominis bonum tendant? An vero hominum Sapientissimi i. e. qui penitius cognoscunt veritatem, homines sunt perniciosissimi, imo hostes generis humani? Quod si ita nati sumus, ut sine errore felices esse non possimus, ad errandum nati sumus. Erremus igitur; vale perpetuum dicamus veritati tam noxiæ, tam periculosæ, tam omni paci, omni quieti & felicitati adversæ. Aut, si neque amorem felicitatis neque veritatis excutere possumus, credamus verum esse illud, quod nisi verum esse credamus, felices esse non possumus.

At enim atheismi suspecti, imo atheismum professi, non semper fuerunt omnium pessimi; nec qui credunt existentiam Dei semper sunt optimi.

Respondeo. Nihil certius est, quam atheum, qui nullum Numen veretur, cæteris paribus iis, qui Numen metuunt, pejorem i. e. perniciosiorem esse. Quod si vero unus atque alter repertus est, qui nihil damni generi humano attulit, qui pacifice vixit, & tranquilitatem publicam non turbavit, ex hoc nihil concludi potest. Si quis credit, Regem suum non esse Regem legitimum, sed usurpatorem, potest aliquando hæc tranquille credere, & nihil turbarum propterea concitare; inde tamen non sequitur, hanc persuasionem non esse pessimam & paci publicæ inimicissimam. Si atheus tranquille & pacifice vivit &, quod externa attinet, honeste; hoc ex temperamento ejus provenire potest, molli aut timido aut quietis amante; aut ex educatione, quæ ipsum externæ cuidam honestati assuefecit: aut ex defectu occasionis male agendi; aut ex defectu potentiæ; aut ex diffidentia quadam & metu. Cum enim paucissimi sint, qui eo impietatis veniant, comites & adjutores flagitiorum se inventuros desperant, inter homines Deum timentes. Quod si vero eadem persuasio incidit in hominem audacem, ferocem, qui occasiones & vires nocendi habet; si hæc persuasio invalesceret & pluribus fieret communis, quid non metuendum esset?

CAPUT

CAPUT II.

Examinatur quæſtio, utrùm hominum generi ſit pernicioſius, atheiſmus-ne an ſuperſtitio?

Hic vero paucis expedienda nobis videtur quæſtio, quæ noſtro tempore à Viro quodam docto mota eſt: Utrum ex vitiis pietati utrinque oppoſitis pernicioſius ſit, impietasne ſive atheiſmus, an ſuperſtitio, ſive idololatria? Quæſtiones hujuſmodi difficulter decidi poſſunt; cum enim ex utroque horum vitiorum iuuumera mala oriri queant, difficillimum dictu eſt, quænam præponderent; præſertim, ſi animus in alterutram partem inclinet; ſic enim fit, ut acutius videat mala, quæ ex altero horum vitiorum oriuntur, quam quæ poſt ſe trahit vitium oppoſitum.

Neque ab exemplis commoda hujus quæſtionis deciſio peti poteſt. Quod ſi enim plus mali hucuſque ortum fuiſſet ex ſuperſtitione, quam ex atheiſmo, illud per accidens fieri potuit, quoniam hactenus ſuperſtitioſorum numerus immane quantum fuit major, numero atheorum. Quid ſi unquam tantus in orbe fieret atheorum numerus, quantus in hunc uſque diem fuit numerus ſuperſtitioſorum?

Quod ſi tamen hic ſententia dicenda eſt, dico, atheiſmum mihi ſuperſtitione, ſi per ſe ſpectentur hæc vitia & cœtera omnia ſint paria, longe pernicioſiorem videri.

At enim, inquis, quæ non crimina hominibus ſuaſit ſuperſtitio, quantum bellorum movit? & ut alia taceantur, ſuperſtitio homines adduxit ut omni στοργῆ, qui affectus alias eſt tenerrimus, exuta, proprios liberos *Molocho* immolarent, id quod atheimus hominibus nunquam ſuaderet.

Sed hoc non obſtante mala, quæ ex atheiſmo oriuntur, mihi videntur longe magis generalia; non enim tantum pugnat ſuperſtitio cum ſocietate civili; non tantopere omnia ejus fundamenta ſubruit & labefactat, quam atheismus. Jam ſane quod totam ſocietatem evertit, longe majus malum eſt, quam quod uni & alteri aut paucis ſolum nocet. Diſſolutio enim ſocietatis omnia mala poſt ſe trahit, quæ ex ſuperſtitione oriri poſſunt. Sed ſuperſtitio, de licet privatis multa noxia afferat, non ſtatim tamen ſocietatem diſſolvit. Præterquam quod ſola ſuperſtitio, quantacunque etiam ſit, multa quidem ridicùla, ſed non tam horrida & immania producat, niſi cum inſigni animi feritate crudelitateque ſit conjuncta.

Fruſtra denique quæritur, quodnam horum pejus ſit, atheiſmuſne an ſuperſti-

superstitio? Cum pessimæ & perniciosissimæ superstitiones, non aliam habeant caussam, quam ipsum atheismum. Qui enim tales populis tradiderunt, non ipsi superstitiosi & creduli fuerunt, sed athei aliorum credulitate abutentes. Nihil minus enim crediderunt, quam quod aliis credendum obtruserunt, ut hos sibi magis obedientes & obnoxios redderent. Hæc potius in animis suis riserunt & subsannarunt. Et cur non riderent? *Mirabile videtur*, inquit, CICERO, *quod non rideat haruspex, cum haruspicem viderit.* Certe nullas non superstitiones hominibus propinabunt athei, dummodo illas ad dominatum suum stabiliendum utiles credant.

Lib. de Nat. Deor.

Sed, inquiet aliquis, testatur experientia, persuasionem illam de Dei existentia non tam efficax remedium esse, ad homines à criminibus absterrendos; cum ea non obstante regnent inter eos, qui de ea persuasissimi videntur, tot vitia & scelera, ut concipi nequeat, quomodo pejores esse possent, si quis eis hanc, quam de Dei existentia habent, opinionem ademisset.

Resp. Ex hoc potius concludi posset, eos qui ita vivunt, de Dei existentia, quam profitentur credere, non esse persuasos; siquidem in iis non cernitur effectus hujus persuasionis, quem, si adesset, haberet. Sed ponamus eos, qui ita vivunt, Dei existentiam imo & Providentiam credere. Quæ credimus nihil in nobis efficiunt, nisi de iis sæpe cogitamus, eaque serio perpendimus; id quod hic magna pars hominum negligit. Quid quod hæc persuasio non satis alte in plerorumque animum penetrat, ut amorem & metum Numinis in iis producat, aliosve affectus, qui affectibus vitiosis, crimina suadentibus & homines ad ea abripientibus, validè resistere, eosque retundere possint.

Denique non desunt, qui, cum Dei existentiam negare non possint, Deum sibi fingunt ad placitum, talemque ei tribuunt bonitatem, misericordiam & longanimitatem, ut nullam habeant caussam, justitiam ejus & pœnas scelerum tantopere metuendi?

Sed quantumcunque verus hujus fidei effectus in quibusdam hominibus impediatur; tamen apud plerosque populos, qui religione aliqua sunt imbuti, multum potest, & multum confert, ad eos in officio continendos. Imo de singulis quoque dici potest, neminem, qui Dei existentiam credit, tam malum esse, ut idem pejor non esset, si nullum Deum esse crederet; paucique adeo sunt impii, qui, si omnes vitæ suæ actiones examinent, non videant, se aliquando à vitiis, peccatis & sceleribus aliquo Numinis metu fuisse abstractos; aut quadam reverentia ad bonum aliquod fuisse compulsos.

Concludimus igitur tandem, verissimum esse, quod ab initio diximus, atheismi propugnatores, esse homines generi humano perniciosissimos, & propterea tanquam hostes omnis pacis esse detestandos.

CAPUT III.

Ostenditur atheismum profitentes hostes quoque esse sui ipsorum.

POstquam demonstravi eos, qui atheismum profitentur, hostes esse humani generis; demonstrandum nunc est, *eosdem esse hostes sui ipsorum.* Id quod in tribus potissimum apparet. 1. Quod persuasionem sibi utilissimam, imo necessariam ex animo suo delere student. 2. Quod atheismum suum & malitiam ex eo necessario provenientem non tegunt, sed aperte profitentur. 3. Quod ex aliorum quoque animis hunc Numinis timorem excutere laborant.

Ad *primum* quod attinet, notum est, Theologos locum Psalm. XIV. *Stultus in corde suo dicit; non est Deus;* ita explicare, ut dicant, sceleratos homines vehementer optare, ut nullus sit Deus scelerum vindex; & quoniam id optant, conari quovis modo id sibi persuadere. Qua in re stultissime agunt; non enim veritas, aut falsitas rei alicujus ab arbitrio nostro dependet, ita ut, si illam cupimus, vera; sin contrarium optamus, falsa fiat. Talibus votis non verum faciemus, quod falsum est; nec falsum quod est verum. Sed potius nos ita ad sane de rebus judicandum ineptos reddimus, ut non ex rei veritate, sed ex affectu judicemus. Quo in casu judicio nostro merito diffidimus, præcipue si pronuntiat sententiam in eam partem, in quam sentimus nos affectu propendere.

Sed ut ut sit, de ista perversa judicandi ratione, demonstrabo è re nullius hominis esse, ut desinat Deum timere. Pii quidem hoc facile admittent, qui non ita vivunt, ut hæc persuasio ipsis terribilis sit. Sed impiorum alia ratio est; non possunt non vehementer terreri, cum cogitant, Deum scelerum esse vindicem. Hunc vero terrorem conscientiæ duobus modis penitus ex animo suo eximere possunt; si resipiscunt; aut si sibi persuadent, persuasionem de Deo esse falsam.

Prior via cum sit certissima, tutissima & facillima, athei posteriorem eligunt, intutissimam, periculosissimam, imo impossibilem. Hac enim ratione se ipsos privant omnibus bonis, quæ reverentia Numinis sibi adferre potest; imo hæc pedibus conculcant, seque ita conjiciunt in gravissimum periculum, quod per hoc non minus fit, si, similes pueris oculos ad illud claudant. Atque insuper illud ipsum bonum, quod ex atheismo sperant, non consequuntur.

I. Timoth. IV. 8.

Quod Apostolus dixit, *pietatem habere promissiones hujus & futuræ vitæ*; contra gravissimas pœnas impios manere, ipsi saniores inter gentiles agnoverunt, ita ut hanc veritatem omnibus populis cultioribus notam fuisse recte dixeris.

dixeris. Hoc falsum esse athei nunquam demonstrarunt, neque demonstrare unquam poterunt. Et tamen omnia pietatis praemia ita abjiciunt, omnes pietatis pœnas ita contemnunt, quasi apodictice demonstrassent, omnes istas promissiones & comminationes esse falsas; & id tam certo scirent, ac sciunt, bis bina esse quatuor, totum majus esse sua parte. Cum vero has promissiones & comminationes credere homini sit utilissimum, quomodo fidem eorum abjicere, cum amore, quo se ipsos prosequuntur, consistere possit, equidem non video.

Sed & aliis bonis sese privant, quæ quotidiana experientia testatur, ex timore Numinis oriri. Vidimus supra prudentissimos Legislatores & fundatores rerumpublicarum credidisse, Religionem esse necessarium civitatum vinculum; homines regi & in officio contineri non posse, nisi feroces eorum animi religione mitigentur & molliantur. Quod necessarium est in regimine civitatis; id quilibet necessarium experietur in regimine sui ipsius; quod enim in civitate sunt homines feroces, turbulenti, id in quolibet homine sunt affectus, non minus indomiti & rebelles.

Ut pax & tranquillitas in homine conservetur, domandi sunt, moderandi & frænandi; quod nisi fiat, hominis animus est instar *maris inquieti, quod perpetuo agitatur*. Hic, aiunt Philosophi, rationem in subsidium vocandam; non male. Sed si rationem intelligunt amore Dei destitutam, videbunt, quam sit ea imbecillis. Affectibus, præsertim vehementissimis, contrarii affectus sunt opponendi. Nullus autem affectus est ad hæc sufficiens, quam timor Numinis. Hic ad cæteros debellandos tanto est validior, quo majores in animo radices egit; hic si regnat cæteros compescit, iisque silentium imponit. Sin abest, ratio non auditur, aut affectibus paret; imo ad affectus sese accommodare cogitur. Et hoc est, quod Salomon hominum sapientissimus vidit, cum *timorem Dei, omnis sapientiæ initium* esse ait. Quod si enim sapientia consistit in regimine nostri ipsius, & moderamine cupiditatum & affectuum; à timore Dei omnis nostra sapientia incipere debet; prorsus ut, qui hunc timorem ex animo suo excutere volunt, idem faciant, quod faciunt illi, qui in summa tempestate Palinurum ex navi ejiciunt.

Esai. LVII. 20.

Prov. I. 7.

Homo aut *secunda* fortuna utitur, aut *adversa* affligitur. In *secunda* fortuna indiget moderatione, sine qua nec vere, nec diu felix esse potest; quod auctoritate omnium sapientum, ratione & experientia facile potest comprobari. Ut autem in secundis hanc moderationem servet, se propterea non efferat, aut insolescat; fieri non potest, nisi consideret identidem, Deum esse, à quo habeat, quicquid habet; qui ima summis quotidie mutare possit; qui homini nihil eorum, quæ in eum contulit, debuerit; qui adimere possit, quando voluerit; qui tanto majori jure id faciet, quo magis iis abutatur, ad insolentiam, superbiam, luxuriam, intemperantiam & omnis generis flagitia, Deo, omnis boni fonti, inimicissima. Hac aut simili persuasione,

& ex hac ortis affectibus, homo felix in secundis cupiditates & affectus exultantes, si non moderatur & compescit, nihil erit, quo illa moderari possit. Hic omnia sapientum monita sunt, aut prorsus invalida, aut saltem non sufficientia.

Ut in secundis moderatione, ita contra in *adversis* consolatione & confirmatione indigemus. Hic vero longe magis homini opus est hac persuasione de Deo & ejus Providentia. Unde fit, ut homines etiam flagitiosissimi in adversis nullum, nisi apud Deum, refugium inveniant, quem omnibus modis placare student; ab hoc solatium & auxilium sperant. Sed quanto plus solatii in illo inveniunt pii, qui etiam in secundis eum perpetuo timuerunt, & amarunt; qui afflictiones considerant, tanquam paternas castigationes, in bonum suum brevi cessuras; qui firmiter credunt promissiones vitæ melioris & æternæ.

Hæc sane omnia, qui apud animum suum serio considerabit, agnoscet, ut ad pacem & tranquillitatem publicam Civitatis, imo totius Societatis humanæ religio est necessaria; ita non minus necessariam esse, ad pacem animi *cujuslibet hominis*, in prospera & adversa fortuna, conservandam. Ac propterea nemo non vehementer optare debet, ut persuasio hæc de Numine, res humanas perpetuo gubernante, altissimas in animo suo radices agat, eique perpetuo præsens & efficax sit. Cujus solius ope affectus suos compescere, tranquillitatem animi conservare, res secundas moderari, in adversis se consolari & sustentare possit. Quæ igitur stultitia eorum est, qui contrarium optant, ut omnem sensum Numinis ex animo exstirpare possint, & sibi persuadere, Rectorem hujus mundi nullum esse?

Sed ut hac ratione Athei se privant bonis, quæ ex Religione oriuntur; ita contra ea mala, quæ evitare volunt, non effugiunt. Volunt se liberare ab eo terrore, quem Religio incutit hominibus, præcipue flagitiosis & sui similibus. Atque in eum finem sibi persuadere conantur; Deum nullum esse. Præterquam quod hac ratione se non liberant à malo ipso, sed tantum à mali metu, ne hoc quidem consequentur unquam. Esto enim; eousque veniant, ut revera de Dei existentia dubitent. An propterea certe sciunt, Deum non existere? Hoc si apodicticis rationibus probari posset, jam diu probatum id esset, in tanta copia eorum, qui, ut hoc demonstrari possit, optant. Sed nihil hujusmodi in medium protulerunt.

Non possunt probare athei, Deum non existere. Quicquid hic possunt, ad hoc redit, ut de eo dubitent. Imo ne quidem probare possunt, verisimilius esse, Deum non existere, quam existere. Quamdiu igitur nesciunt, num Deus sit, nec ne? semper gravissimas caussas habebunt timendi, ne existat Deus flagitiorum vindex; & propterea fieri nequit, ut hoc se terrore penitus liberent. Quod non alia via consequentur, quam si ita vitam

vitam instituant, ut, si Deus est, nihil habeant quod ab eo metuant. Qui nescit, num loquens à potente aliquo rege audiatur, nec ne; non aliter tutus esse potest, quam si loquatur, ac si revera Rex ille præsens esset. Ita qui dubitat, sit ne Deus, nec ne; tum securus erit, si ita vivit, ac si Deus esset.

Hostis igitur est atheus *sui ipsius*, dum persuasionem de Deo, tam hominibus salutarem, ex animo suo delere conatur. Sed & in hoc sibi ipsi vehementissime adversatur, si atheismum, tam sibi perniciosum, non tegit; sed quoquo modo, aut verbis aut factis, præ se fert; imo diserte profitetur se Dei existentiam non credere. Cum enim in atheo nihil sit quod eum efficaciter à maximis sceleribus retrahere possit, ut supra demonstravimus; qui se fatetur atheum, se fatetur ad omnia crimina paratum, dummodo detur ei occasio id impune faciendi. Quam certe opinionem cuilibet vehementer noxiam esse, nemo est, quin videat. Quid enim judicarent homines de eo, qui fateretur, se neque mendacium & fraudem ullam, neque adulterium, neque furtum, nec depositi abnegationem, nec latrocinium nec cædem, nec perjurium &c. esse crimen, agnoscere; dummodo hæc clam fiant, & ita, ut nullum homini inde incommodum aut molestia proveniat. Sed hæc omnia de se fatetur, qui fatetur, aut præ se fert se esse atheum. Facit igitur hic homo, quicquid potest, ut in se omnium odium concitet; monet omnes ne inposterum suis verbis, promissis, jurijurando, fidem habeant; ne quis sibi quicquam credat; ne quisquam se tutum à se esse putet: ne quis se aut Dominum, aut servum, aut magistratum, aut subditum, aut vicinum, aut civem, aut popularem habere velit. Imo monet homines, ut sibi omnes vires aliis nocendi adimant; imo tanquam prædonem publicum è medio tollant, si securi esse velint.

Quod si igitur summa stultitia est, dicere *in corde suo*: Non est Deus: Furor est & insania, si quis eo usque venit, ut id *verbis* fateatur, & *factis* præ se ferat; prorsus ut non satis mirari possimus eos, qui tum demum se vulgo sapientiores haberi putant, si pietatem & Religionem omnem rident, tanquam plebeculæ nimis credulæ vana terriculamenta. Quid enim est hæc vana gloriola, aut inepta sæpissime distinctio, quibus paucissimis sui similibus placent, si comparetur, cum malis gravissimis, quæ quis sibi hac gloriola attrahit apud plurimos, imo apud totum genus humanum?

Ne vero isti homines jactent suam hac in re veracitatem, candorem & sinceritatem; quæ omnia tum demum virtutes sunt laude dignæ, si Deus est. Quæ persuasio si falsa est, non ii sunt Sapientissimi, qui vera dicunt. Sed qui ea dicunt, quæ sibi dictu sunt utilissima. Nemo magis ridiculus est, quam atheus, qui existimat, honestum esse, atheismum profiteri; turpe, sententiam celare, aut contrarium simulare. Quis tulerit atheos de virtute, honesta-

honestate, & turpitudine loquentes? Quare summa fuit insania in *Lucio* illo, aut ut se vocavit *Julio Cæsare Vanino*, qui *Tholosæ* combustus impietatem suam ad extremum vitæ halitum conservasse dicitur. Aut enim hoc, quod professus est, credidit; aut non credidit. Si non credidit, quæ insania fuisset, ab aliis se distinguendo in tantum se periculum conjicere. Si credidit, quid ipsum impedivisset, contrarium mentiri & simulare? Gloriam sinceritatis & constantiæ reportare voluit. Quasi aliquid inter sinceritatem & fraudem, constantiam & levitatem interesset, si Deus non esset. Quasi ab atheo fraus utilis perniciosæ veritati, levitas utilis damnosæ constantiæ, non sit præferenda. Omnes virtutes religionis sunt consectaria, quam qui dedidicerunt, si consequenter agere velint, virtutem quoque & vitiorum discrimen dediscant necesse est.

At vero si stultum est, atheismum sibi persuadere velle; stultius eum apud alios præ se ferre & profiteri; stultissimum est, si quis atheismum aliis instillare, aut persuadere conatur. Excusari aliquo modo possunt, qui in aliis opinionibus discipulos & sectatores quærunt. Sed in atheismo tales quærere prorsus insanum est. Nam præterquam, quod hoc difficillimum sit, & cum summo periculo conjunctum; fingamus talem impietatis magistrum, multos discipulos & sectatores invenire; fingamus omnem populum ipsi assentiri. Num felicior erit & tutior inter discipulos suos, inter tot atheos, quam inter homines pios & Deum timentes? Num eorum verbis, promissis, juramentis, melius fidere poterit? Num, quod sibi carissimum est, tutius apud ipsos deponet? Num in familiam, in consortium, in amicitiam securius admittet? Num minus metuet eorum linguas, manus, pocula, cultra, pugiones? Num iis stipatus tranquillius dormiet?

An non contraria omnia vero sunt? An non is omnes, quos omni religionis & numinis metu liberavit, hostes sibi fecit? An non eos docuit, quemlibet hominem, etiam Præceptorem suum, imo hunc ante alios, si impunitas sperari potest, & magna utilitas, fallere, spoliare, lædere, infamare, vexare, torquere, occidere? An non eos docuit, civitatem, in qua tranquille vivit, dissolvere, leges ejus omnes conculcare, magistratus jugum excutere, omnia sursum deorsum vertere?

Nihil est quod ex hoc à discipulis emolumenti atheus sperare potest, nisi quandam sapientiæ & ingenii gloriam; & forte, ut quosdam inveniat inter eos scelerum adjutores & socios. Sed nulla in re gloriæ cupido magis vana est, quam hic, ubi non nisi pessimis placere homines student, cum summa infamia apud omnes bonos; imo cum summo periculo.

Quod vero ad alterum attinet, nulli magis inimici hominum sunt, quam qui eos in sceleribus adjuvant; præterquam enim, quod hoc ipsum jam inimici est, amicum à scelere non retrahere; quomodo sperare potest aliquis, fidum

fidum ſibi ſocium futurum, qui & ipſe ſceleratus eſt, qui ſe quoque ſceleratum eſſe cognoſcit? Quid ipſum impediet, quominus ſceleratum animum in ſocium vertat: & quidem in ſocium, qui, cum ipſe ſceleratus ſit, de ſcelere alterius conqueri non poterit? Quod igitur de omnibus flagitioſis dici poteſt, id præcipue verum eſt de atheis, nihil magis utile ipſis eſſe, quam ut homines, inter quos verſantur, iis ſint quam maxime diſſimiles.

Unde denuo concludimus, ſummam eſſe inſaniam, ſi impietatem ſuam aliis hominibus inſtillare & perſuadere laborant, & per conſequens, inſanire quoque eos, qui tales homines, tanquam ſupra rudem plebeculam ſapientes, conſiderant.

PRÆLECTIONES DE EXISTENTIA DEI.

CAPUT PRIMUM.

Demonstratur dari Ens independens & æternum, a quo omnia entia, quæ in mundo sunt, dependent.

POSTQUAM monstravimus, quam perniciosa res sit atheismus; accedimus ad argumenta, quibus tam pestilens opinio profligatur.

DEI nomine nihil aliud intelligimus, quam *ens independens, à quo dependent plurima alia.* Quod enim ad reliquas perfectiones attinet, in hoc conceptu omnes involvuntur. Dari vero Ens independens haud difficulter probamus. Quod si enim ulla dantur entia, de quo nemo sanus serio dubitare potest, necesse est, ut inter illa detur ens aliquod, quod ab aliis non dependet; quod si omnia ab alio dependerent, omnia entia non essent omnia entia; sed præter illa omnia, daretur aliud independens, quod manifestissime est contradictorium.

Hocque

Hocque adeo verum eſt, ut omnes Philoſophi, quotquot fuerunt, ne *Epicuro* quidem excepto, in hoc conſenſerint; *dari* ſcilicet *primum aliquod rerum omnium principium*, quod propterea ab alio nullo ſit ortum, & à quo orta ſint cetera omnia. Hoc tantum inter eos quæſitum eſt, quodnam ſit hoc principium.

Quod ſi vero Ens illud independens exiſtit, exiſtit *neceſſario*, & non poteſt non eſſe, & per conſequens *fuit ab æterno*, & ſemper eſt futurum.

Et quia Ens neceſſarium non modo neceſſario exiſtit, ſed neceſſario eſt id quod eſt; non enim poſſumus concipere *neceſſitatem exiſtentiæ*, ſine *neceſſitate eſſentiæ*; hinc quoque efficitur eſſentiam ejus eſſe *immutabilem*. Quod ſi enim mutari poſſet, aut à ſeipſo poſſet mutari aut ab alio. A ſeipſo non poteſt mutari, quia neceſſario eſt id quod eſt. Neque etiam ab alio, quia à nullo alio, neque quoad exiſtentiam, neque quoad eſſentiam, dependet.

Quod ſi vero ab hoc *Ente independente* plura alia dependent, hoc quoque inde ſequitur, nullam perfectionem eſſe in entibus iſtis dependentibus, quæ non ſit in Ente independente, à quo producta ſunt: idque ita, ut hæ in ipſo ſint independenter, neceſſario, immutabiliter, fuerintque in eo ab æterno.

Quando dico, nullam harum perfectionum ab hoc Ente abeſſe poſſe, intelligo id eo ſenſu, quo vulgo Philoſophi intelligunt, illa eſſe in eo, ſi non *formaliter*, certe *virtualiter* & *eminenter*; *virtualiter*, i. e. in Ente illo independente tantam eſſe perfectionem, quanta requiritur ad omnia entia à ſe dependentia producenda. Deinde eſſe in hoc Ente, ſi non ipſas has perfectiones rerum à ſe productarum, ſaltem aliquid his perfectionibus excellentius, quod earum locum ſupplere poſſit.

Cum igitur demonſtravimus dari Ens aliquod independens, à quo alia multa dependent, demonſtravimus ſimul, dari Ens aliquod neceſſarium, æternum, immutabile, quod ab æterno, neceſſario & immutabiliter habuerit, & habeat, omnes perfectiones rerum à ſe dependentium; imo excellentiores, atqui hoc Ens Deum vocamus.

Ne vero Deum cum aliis entibus ab eo dependentibus confundamus; inquiramus porro quodnam illud Ens independens ſit, quod eſſe neceſſario demonſtravimus.

Occurrit primo hic nobis mundus materialis & aſpectabilis cum omnibus ſuis partibus. Quæritur an non totus iſte mundus ſit illud ens, quod quærimus? Sed probabimus in ſequentibus planius, mundum hunc formam, quam habet, non habere a ſeipſo, quod nunc tanquam demonſtratum ſupponimus. Hoc vero ſi eſt, minime dici poteſt, mundum hunc corporalem & materialem eſſe Ens illud independens, æternum, neceſſarium &, immutabile, quod quærimus

mus. Quod enim alteri Enti ita ſubſuit, ut ab illo potuerit moveri, dividi, fingi, & formari in infinitas formas; illud certe minime Ens independens poteſt dici, multo minus immutabile.

Dicet aliquis, mundum hunc materialem, non quidem ens independens eſſe, ratione *formæ*, quam nunc habet: ſed tamen reſpectu *materiæ*. Quemadmodum in arte factis videmus, materiam non dependere ab artifice, ſed tantum formam.

Reſp. 1. Ita ſaltem ſequeretur dari Ens independens æternum & immutabile, à quo forma mundi dependeat, qualis nunc eſt, & per conſequens à mundo diſtinctum, & id ipſum eſt quod Deum vocamus. An vero præter Deum detur æterna aliqua materia, à Deo illo non aliter dependens, quam ut ab ipſa pro lubitu formari poſſit, hæc vero alia quæſtio eſt.

2. Concipi nequit, quomodo forma mundi dependere potuerit à Deo, niſi concipiamus, ipſam quoque materiæ exiſtentiam ab eo dependere. Nam cum corpus non poſſit eſſe ſine aliqua forma, neceſſe eſt, ut materia, ſi æterna & independens fuit, ab æterno quoque neceſſario & independenter habuerit formam aliquam. Et cum immutabile ſit, quod independenter, neceſſario & ab æterno eſt; conſequens eſt, formam illam materiæ æternæ fuiſſe immutabilem. Sicque non poteſt concipi, quomodo ab alio ente diſtincto potuerit mutari. Si v. g. omnes partes mundi fuerunt independentes; i. e. immutabiliter quiescentes; non videmus, quomodo ab alio ente potuerint moveri; aut ſi fuerunt motæ velocius, tardius, quomodo earum motus potuerit ab hoc ente tolli aut minui aut accelerari.

Unde tandem concludimus, mundum hunc materialem, neque quoad *materiam*, neque quoad *formam*, eſſe independentem; ac proinde Ens illud independens, quod quærimus, & quod non poteſt non exiſtere, eſſe *Ens à mundo materiali diſtinctum*.

Fuerunt quidam Philoſophi, qui finxerunt mundum eſſe magnum aliquod animal, quod animam habeat, & ab ea regatur; & hæc forte mundi anima eſt Ens illud independens, quod quærimus. At ſi cui libet Deum, hujus mundi originem & rectorem, ejus *animam* appellare; quia eſt aliqua inter animam, quæ corpus regit & movet, & inter Deum hujus mundi rectorem & motorem, ſimilitudo, de nomine non magnopere litigabimus; dummodo ne analogiam illam inter animam & Deum latius extendat. Quod ſi enim mundus animam haberet, ut homo; i. e. ſi Deus id eſſet mundo, quod anima eſt noſtro corpori, minime Deus eſſet independens; non enim corpus noſtrum tantum ab anima, ſed viciſſim anima à corpore in innumeris rebus dependet; eſtque hæc conjunctio inter duas partes mutua. Deinde forma corporis noſtri ab anima noſtra originem minime duxit; tantum enim abeſt, ut ratio noſtra hanc tam artificioſam machinam formaverit,

verit, ut nemo hominum totum ejus artificium mente complecti adhuc potuerit; plerique vero hominum hoc artificium, imo partium etiam præcipuarum conformationem & usum penitus ignorent. Aliud igitur ens sit oportet, quam quod ad mundum ita se habeat, ut anima hominis ad ejus corpus, quod sit Deus, i. e. Ens independens, quod quærimus.

Si quis tandem diceret, neque corpus hujus mundi, neque animam entia esse independentia; sed totum compositum ex mundo & ejus anima; statueret compositionem partium diversarum sine causa componente.

Hæc vero si alicui nimis viderentur subtilia, alio modo respondebimus. Si mundum statueremus animal homini simile; neque anima mundi, neque totum compositum esset caussa excellentissimæ illius formæ, quam in mundo conspicimus. Quemadmodum neque anima hominis, neque totus homo caussa est formæ corporis sui, & miræ illius compaginis, totque partium pene innumerabilium. Quod si igitur hæc forma à caussa aliqua dependet; ab alia caussa dependet, quam vel ab anima mundi, aut ex aliquo, ex materia mundi) & ejus anima, composito.

Unde tandem manifeste concluditur, *Deum* sive *Ens independens existere*, quod neque sit mundus materialis, neque mundi anima, si qua ejus esset; neque etiam compositum ex anima mundi & corpore, si tale compositum daretur.

CAPUT II.

Probatur existentia Dei ex ordine, qui in mundo observatur.

PRomisimus, nos probaturos, mundum formam, quam habet, non habere à se; id nunc aggrediemur.

Hoc primum probamus ex ordine partium hujus mundi. *Ordinem* vocamus *certam dispositionem partium secundum normam aliquam & regulam.* Hoc certe arguit caussam aliquam, & quidem caussam intelligentem, quæ normam sibi proponere, & secundum illam multas partes inter se disponere & ordinare possit. Ita sane nemo aspicit Bibliothecam aliquam, in qua libri secundum certam aliquam regulam, v. g. aut secundum variam magnitudinem, ut secundum materias; aut secundum tempora, in quibus scripti sunt, aut secundum auctores, aut alio aliquo modo sint dispositi; quin statim cogitet, fuisse aliquem ratione præditum, qui hæc ita disposuerit, conjunxerit quæ sunt ejusdem generis, magnitudinis &c. heterogenea à se invicem disjunxerit. Ita homines de omnibus rebus judicant ex variis rebus constantibus, in quorum dispositione certam aliquam normam observatam vident, quod mille exemplis illustrari potest.

Et quidem, quo plures ſunt ejuſmodi partes, certa quadam ratione, inter ſe diſpoſitæ; aut quo plura ſunt entia, in quibus eadem norma obſervata eſt in diſpoſitione; eò certiores ſunt, ſe non errare, cum exinde concluſerunt, cauſſam aliquam intelligentem fuiſſe, quæ hæc in hunc ordinem redegerit. Ita quanquam, cum tugurium aſpiciunt homines, & hoc Architectum aliquem habuiſſe judicant; longe tamen certius ita judicant, ſi magnum aliquod Palatium conſpiciunt, pluribus conclavibus conſtans, pulcherrima partium Symmetria exſtructum; certius hoc ipſo, ſi vident urbem talibus ædificiis plenam.

Jam vero, ſi talem, imo longe pulchriorem ordinem in mundo & ejus partibus obſervamus, neceſſe eſt, ut hic quoque agnoſcamus, fuiſſe aliquem hæc ordinantem, & quidem cauſſam intelligentem, quæ certam ordinis normam aut normas ſibi proponere, & juxta has, partes innumerabiles artificioſiſſime diſponere potuerit. Ex quo conſequens eſt, mundum hunc materialem intelligentia per ſe carentem, non ſibi ipſi hanc, qua tam eximie gaudet, formam dediſſe; ſed eſſe præter illum Ens aliquod ſumme ſapiens, à quo rudis iſta maſſa formam ſuam acceperit.

Pſalm. XIX v. 1. Job. XII. v. 7. Act. XIV. v. 17. & XVII. 27. 28. Rom. I. v. 10.

Et hoc eſt illud argumentum, quo Scriptura S. i. e. Deus ipſe ad exſtentiam ſuam probandam utitur, cum ait: *Cælos enarrare gloriam Dei*; cum nos ad *bruta animantia*, atque omnia *opera Dei* remittit, cum dicit: *Deum non ſiviſſe in hoc mundo ſe* ἀμάρτυρον; eum *vel palpando inveniri poſſe*; *cum non longe abſit ab unoquoque noſtrum*, *in ipſo ſimus*, *vivamus & moveamur*; *ipſius inviſibilia*, *æternam nempe ejus potentiam & divinitatem ex iis*, *quæ fecit*, *animadverſa pervideri*; atque alia multa, quæ hinc inde, præſertim in *Jobo* & *Pſalmis*, de operibus Dei habentur.

Hoc argumentum captui omnium hominum eſt accommodatiſſimum. Si enim quilibet, viſo horologio, judicat fuiſſe aliquem ejus opificem; quid impedit, quo minus, cum oculos aperiens, mundum & innumera, quæ in in mundo ſunt longe magis admirabili arte coagmentata, aſpicit, eodem prorſus modo ratiocinetur. Hoc argumentum à Deo non tantum iis ſuppeditatatur, qui Scripturam S. legunt; ſed cæteris omnibus; in hunc enim finem mundum creavit, & animalia ratione prædita in illo collocavit, ut opera ſua aſpicerent, atque ex iis Creatorem & Rectorem hujus mundi agnoſcerent.

Hoc vero argumentum, ut magis reddamus ſenſibile & palpabile, oculos aliquantulum in mundo circumferamus.

CAPUT

CAPUT III.

Probatur idem ſpecialius ex pulcherrima creaturarum ſtructura, earundemque admirabili partium diſpoſitione.

OCcurrunt nobis primo in hac noſtra tellure innumerabiles animalium & plantarum ſpecies; innumerabilia individua ejuſdem ſpeciei; innumerabiles partes in quolibet individuo, quæ tam admirabili arte coagmentatæ & diſpoſitæ ſunt, ut nulla ars humana eo uſque adhuc pertingere poſſit, nec unquam poterit. In harum diſpoſitione certam aliquam normam & regulam obſervatam eſſe, nemo tam ſtupidus eſt, quin ſi vel obiter ea aſpiciat ſtatim agnoſcat. Sed longe melius vident, qui eas attentius contemplantur, qui corpora animalium aperiunt, diſſecant; qui quod viſum effugit, aſpiciunt oculo, *microcoſcopio* aliquo, ut loquuntur, *armato*. Non tantum pulcherrimam diſpoſitionem animadvertunt, in conformatione partium animalium integrorum; ſed in quibuslibet partibus, imo partium partibus.

Ut de una tantum parte loquar; quid artificioſius eſt oculo, non hominis modo, ſed cujuslibet animalculi. Si conſideramus ejus humores, ſi tunicas, ſi totam ejus ſtructuram, quis non cernit, hanc ſtructuram factam eſſe accuratiſſime ad leges *Opticæ*? Si quis muſculorum tantum ſtructuram & vim conſiderat, eorumque per tendines cum oſſibus connexionem, an non fatebitur leges artis mechanicæ tam accurate eſſe obſervatas, ut melius obſervari non potuiſſent.

Conſideret mihi aliquis ſtructuram cordis, atque inde omnium venarum & arteriarum in univerſum corpus expanſionem; cerebrum unde nervi omnes per corpus protenduntur; non poterit non agnoſcere, ſummam quandam intelligentiam eſſe, quæ hæc fabricaverit. Ut verbo dicam, poſſet aliquis totam vitam conſumere in unius animalculi conſideratione, & quotidie nova in eo admiranda inveniret.

Si quis nondum his eſſet convictus, innumerabiles partes, quas in eo conſpicit, ad certam normam eſſe ordinatas & diſpoſitas, conſideret innumerabilia in terris eſſe animalcula his ſimilia, ubi eadem prorſus partium prope infinitarum diſpoſitio eſt obſervata. Conſideret alias eſſe ſpecies innumerabiles quadrupedum, avium, piſcium, inſectorum, maximorum, minimorum, viſum omnem effugientium, in quorum individuis mira quoque partium & particularum eſt diſpoſitio. Conſideret, habere omnes has ſpecies ſimul ſumtas aliquid in quo conveniant; habere ſingulas, quibus ab aliis differant; in ſingulis quoque individuis unius ſpeciei & convenientiam & differentiam quandam animadverti. In horum omnium & ſingulorum partibus ordinandis con-

tantem aliquam normam & regulam tum generalem, tum in singulis speciebus specialem observatam esse, tam certum est, quam quod certissimum.

Quod si animalibus jungere volumus omnes plantarum species & specierum individua, idem prorsus videbimus, cuncta videlicet in singulis partibus sine numero admirabili ordine esse disposita; eundem partium ordinem constanter observatum esse in arboribus, fruticibus, herbis; imo radicibus, truncis, caulibus, foliis, floribus, fructibus ejusdem speciei; ubique esse aliquam convenientiam in plantis omnibus: esse tamen diversitatem inter species. Unde concludet, regulam aliquam generalem fuisse, secundum quam plantæ in genere disponi debebant. Deinde normas speciales, secundum quas disponi debebant singulæ species, specierumque species.

Etiam in rebus aliis vita omni destitutis pulcherrima observatur structura, ut in conchis, lapidibus, mineralibus, metallis, animadvertunt, qui ea accuratius contemplantur, quorum omnium textura non sine certis legibus est facta.

Quod si majora mente velimus complecti; tellurem v. g. totam; aut alios orbes telluri similes; si astrorum posituram, motus, communes, proprios; si denique possemus angusta mente nostra totum mundum perfecte comprehendere, aut saltem ut partes comprehendimus; videremus in omnibus his eorumque dispositione certas leges, certam partium magnitudinem, figuram, situm, distantiam esse observatam, certos motus inditos ab Ente aliquo sapientissimo & intelligentissimo.

Sed duo hic nobis obstant, quo minus hæc perfecte cognoscamus; angustia mentis nostræ, quæ vastam hanc mundi machinam comprehendere nequit; & præterea longinquitas infinitarum partium hujus mundi, quæ facit, ut sæpe nihil certi de iis dicere possimus: sed acutissimi hariolari de iis cogantur. Sed hoc tamen non obstante, nemo tam stupidus est, quin aspiciens mundum non æque concludere possit, fuisse aliquem sapientissimum & potentissimum ejus opificem; atque concludit urbem videns, fuisse aliquem ejus conditorem, qui artem domos struendi cognoverit.

Vide Hugenij Cosmotheron.

Quod si vero jam consideramus, qualis ille fuerit mundi Opifex; videmus eum, si in toto ponendo fuit admirabilis; in singulis, etiam minimis fabricandis, non minus infinitam potentiam & sapientiam monstrasse. Ut enim redeamus ad animalculi structuram, qui eam contemplatur attentius, facile agnoscet, eum qui hoc potuit facere, hujus generis plura posse, imo posse alia his similia i. e. cetera omnia animalia facere, imo & plantas, & sic deinceps. Facile agnoscet tandem, Ens istud quod unum horum fecit, aptum esse ad totum mundum faciendum, atque ita nullam tandem videbit caussam quare existimet, plura fuisse entia, quæ mundum fabricarunt; cum unum quod infinitam sapientiam & potentiam in uno tantum opere monstravit, hac eadem sapientia & potentia mundum totum producere potuerit; imo credet,

propte

propterea tantam ſapientiam & potentiam in ſingulis hoc Ens exeruiſſe, ne quam cauſſam haberemus alium opificem *omnium* quærere, quam qui *ſingulorum* eſt.

Quod ſi vero neceſſario eſt aliquis mundi opifex, habemus Ens independens, quod quærimus; æternum, neceſſarium, immutabile, diſtinctum à mundo materiali, & mundi anima, ſi qua daretur; Ens infinitæ potentiæ & Sapientiæ, qualis ad mundum producendum neceſſario requirebatur; Ens quod *virtualiter* & *eminenter* habet omnes perfectiones, quæcunque in toto mundo & omnibus ejus partibus reperiuntur. Et hoc Ens perfectiſſimum Deus eſt, quod erat demonſtrandum.

CAPUT IV.

Oſtenditur omnia in hoc mundo, ad certum finem tendere a Creatore intentum.

SED ſi facile demonſtrari poteſt, mundum ab Ente aliquo intelligente eſſe formatum, quod in ejus fabrica certam quandam normam ſibi propoſuerit, & ſecundum eam infinitas partes digeſſerit: non minus perſpicuum eſt, Ens illud intelligens, certum ſibi *finem* in agendo propoſuiſſe, & ad eum exequendum opus ſuum direxiſſe. Propter finem agere non niſi Entis eſſe intelligentis, quilibet agnoſcit, qui modo perpendit, quid ſit finis.

Finis eſt *bonum aliquod non præſens ſed futurum & ſperatum, cujus aſſequendi cupiditate cauſſa efficiens ad agendum permovetur.* Ex quo facile cognoſcitur, finem ſibi proponere, cauſſæ eſſe intelligentis; quæ ſola futurum aliquod bonum ante proſpicere; quæ ſola illud concupiſcere & ſperare; ſola bono ſperato ad aliquid faciendum permoveri, poteſt.

Sed quomodo, inquies, certo cognoſcere poſſumus; mundum & ejus partes habere auctorem, qui certos ſibi fines in ejus fabrica propoſuerit?

Id vero cognitu non difficile eſt, ſi modo ita ratiocinamur, ut in mille aliis rebus ratiocinari conſuevimus. Quando videmus ſocietatem plurium hominum ita inſtitutam, ut ſinguli aliquid conferant ad commune aliquod bonum, nempe ad totius Societatis conſervationem, defenſionem & incrementum; colligimus Societatem iſtam inſtitutam eſſe ab uno aut pluribus viris prudentibus, qui commune illud bonum ſibi propoſuerint, mediaque ad illum ſcopum utilia ordinaverint.

Si videmus ingens aliquod ædificium ex multis conclavibus conſtans, ita inter ſe coagmentatis, ut numeroſa familia in eo tuto & commode habitare, omniaque ad vitam ſuſtentandam, protegendam, atque jucunde tranſigendam neceſſa-

necessaria, apte peragere possit; statim judicamus, hoc ædificium habuisse architectum aliquem, qui, postquam hanc habitationis commoditatem intenderit, domum ad hunc scopum, accommodatissimam exstruere voluerit.

Si consideramus horologium ex variis rotis & partibus, apte inter se dispositis, ita constructum, ut nihil in eo reperiatur, quod non aliquid conferat, sive ad motum indicis, quo hora diei, dies septimanæ aut mensis indicantur; aut ad sonum campanæ, quæ pulsu suo idem indicat; concludimus inde artificem quendam hunc scopum, ad quem omnes horologii motus constanter tendere videmus, sibi proposuisse.

Eodem certe modo judicare possumus, mundum esse ab Ente aliquo intelligentia infinita prædito, quod in eo construendo certos fines eosque optimos sibi proposuerit, adque hos obtinendos innumerabilia prope media ad unum concurrentia destinaverit. Enimvero si totam hanc mundi fabricam animo complecti possemus, totumque ejus artificium contemplari; stuperemus sine dubio ad tot finium & scoporum, tot mediorum finibus suis subordinatorum, quæ omnia ad unum finem tendunt, contemplationem. Sed nimis angusta est mens nostra; tam compositam, tam vastam machinam comprehendere non potest; idemque illi evenit, quod gregario militi; videt aliquo modo ordinem & subordinationem militum in centuria sua; sed quomodo centuria quælibet subordinetur legioni; quomodo legio quævis toti exercitui, id vero captum ejus longe superat. Judicat tamen ex iis, quæ in centuria sua fiunt, nihil frustra fieri, in integrarum centuriarum & legionum motibus.

Ita sane nobis usu venit, cum partes hujus mundi consideramus, videmus illas ex plurimis aliis & prope innumeris partibus coagmentatas, quarum singulæ tendunt ad finem aliquem, aut bonum quoddam commune totius; quod ipsum quoque una cum aliis pars est totius adhuc majoris: ut adeo in hoc mundo minima, parva, magna, majora, cuncta denique ad eundem finem artificiosissime conspirent.

Consideremus igitur partes aliquas mundi, quæ etsi cum hoc universo comparatæ perquam sunt exiguæ, immensam tamen partium habent multitudinem. Sumamus v. g. animal sive magnum sive parvum illud sit, perinde erit. Si quærimus ex anatomico perito, ex quibus illud partibus componatur? enarrabit nobis incredibilem numerum; monstrabit partes partium, omnia pulcherrime inter se disposita. Deficiente visu, oculum microscopio quodam armabit, tumque plura alia deteget. Hæc tamen omnia postquam detexit, fatebitur plura admiranda aciem omnem oculorum, quantumlibet armatorum, effugere. Si quæres ex ipso, quis tot partium sit usus? monstrabit, nihil inter tot partes, in earum figura, situ, distributione, non suam habere utilitatem, ad nutritionem, ad motus omnibus animalibus communes, aut certæ speciei proprios; ad sensus, ad generationem, & quæ sunt hujus gene-

generis; omnia denique tendere ad animalis conſervationem, tutelam, incrementum & propagationem: uno verbo, ad commune ejus bonum.

Quis non inde concludet; hoc animal opus eſſe Sapientiſſimi alicujus artificis, qui hunc ſcopum ſibi propoſuerit, huic media innumerabilia tam apte ſubordinaverit, præſertim ſi infinitas animalium ſpecies, ſpecierum infinita individua eſſe, conſiderat, in quibus eadem occurrit finium & mediorum ſubordinatio? Tum vero fatebitur, hæc non modo ab Ente intelligente eſſe omnia, quod fines prævidere & animo concipere, ſperare & ſibi proponere potuerit, & innumerabilibus mediis aptiſſime diſpoſitis fines ſuos poteſt attingere. Hoc ſane fatebuntur omnes tanto magis, quo magis artificioſas illas machinas agnoſcunt, quæ animalia vocamus. Unde concludimus, eos ipſos longe etiam magis id agnituros fuiſſe, niſi hæc eorum cognitio, quantacunque ſit, admodum tamen eſſet imperfecta.

Ac ſane, quis conſiderare poteſt immenſam illam animalium & animalculorum terreſtrium, aquaticorum, volatilium, reptilium multitudinem, quæ omnia ſunt totidem ex innumerabilibus partibus conſtantes machinæ, quarum omnes tendunt ad commune bonum totius, & ita tendunt, ut ad finem illum acquirendum nihil aptius excogitari potuerit? Quis, inquam, hæc omnia, & præſertim *microcoſmum* illum, hominem & ejus fabricam, attente conſiderare poteſt, quin ſimul infinitam Creatoris Sapientiam in his agnoſcat, & cum divino *Pſalte* admiratione plenus exclamet: *Quam ampla ſunt opera tua o Jehova! quam ea omnia ſapienter feciſti! quam plena eſt terra poſſeſſione tua!*

Pſalm. CIV. 24.

Quod ſi nunc ab animalibus ad plantas animum avocamus; ſi conſideramus in arboribus radicum conformationes; truncum, corticem, medullam, ramos in alios minores ramuſculos diviſos, folia, flores, fructus, ſemina; in herbis præter radices, caules, folia, florum infinitas & ſeminum ſpecies. Si libros evolvimus, qui nobis plantarum anatomiam pandunt; obſervamus & in ſingulis ſpeciebus, ſpecierumque individuis, omnes partes, partiumque partes ad eum finem concurrere. Deprehendimus & in his, cuilibet particulæ ſuum in his uſum eſſe, omnes partes & partium texturas & configurationes tendere ad commune aliquod bonum totius, ad plantæ nutrimentum, conſervationem, defenſionem adverſus aëris injurias, incrementum; ad productionem florum, fructuum, foliorum, quorum quodlibet proprium habeat ſaporem, odorem, vires in corporibus animalium alendis, ſanandis, denique ad ſpeciei per ſemina propagationem.

Atque hic, quod ſæpe mirum tibi videbitur, in pulcherrimis fructibus quod edere non potes, quod abjicis tanquam inutile & ingratum, in terram projectum, plantam tibi producit ſimilem, in qua innumeros fructus iis, quos ediſti ſimiles, ſuo tempore recuperas. Huic ſimile eſt, quod in herbis obſervas, quarum ſapor eſt gratiſſimus: Si expectas donec ſemina fe-

rant,

rant, incipiunt esse asperiores, ad esum ineptæ & saporis ingrati; ut intelligas plantas has non alimentum tuum, sed ad speciei conservationem à sapientissimo Creatore esse destinatas.

Hoc nobis occasionem præbet cogitandi de eo, quod in omnibus animalibus, quorum sana est & recta corporis constitutio, deprehendimus; quod nimirum omnia quodam naturæ instinctu appetant alimenta suæ quoque naturæ convenientissima. Quid? hæccine bruta animalia discernere possunt vires herbarum, fructuum, frugum, carnium, aquarum, & quæ sunt hujus generis innumera, quæ in cibum & potum vulgo ab iis adhibentur? Noruntne earum texturas? Sciunt-ne, quid sibi maxime conveniat, ad nutrimentum corporis & incrementum, ad sanitatem conservandam; ad augendum lac, quo nutriuntur homines, ad vim prolificam, qua species eorum conservatur?

Quid dico de animalibus brutis, norunt id homines? Si hæc sibi nosse videntur, dicant, quæ sit caussa, quod alii cibi salubres, alii insalubres, alii prorsus ad alimenta inepti sint. Deducant hæc omnia ex veris & perspicuis Physicæ principiis. Sane ingeniosissimis hic aqua hæret. Sane animalia cuncta, ipsique adeo homines, utuntur cibo & potu, atque de his nunquam cogitant; gustum suum sequuntur & odorem, qui ab auctore suo cuilibet datus est, ut salutaria & sibi convenientia appetat, sibi adversa aversetur. Necesse tamen est, ut ille, qui suum cuilibet animali gustum dedit, ab una parte omnium alimentorum, ab altera omnium animalium alendorum, naturam penitissime habuerit perspectam.

Sunt præterea in animalibus motus innumeri, qui omnes rationes suas habent, & ad animalium bonum aliquod tendunt, quos motus sæpe penitus ignorant; & si eos cognoscunt, nesciunt tamen, quare illos in corpore suo excitent; necesse est igitur, ut ille id sciat, qui hæc animalia formavit. Quia quod non sine ratione fit, id necessario producitur à caussa aliqua rationali; sive caussa illa agat *immediate*, dirigendo caussam irrationalem, sive *mediate*. Jam cum animalia, quatenus illos motus cient, caussæ rationales non sint, horum enim motuum caussas ipsa nesciunt; necesse est, ut alia caussa rationalis sit, à qua facta sint, & à qua agantur.

Hujus generis innumera depromi possunt ex eorum libris, qui, animi caussa potius quam serio, probare voluerunt, bruta esse rationalia, imo in multis homines ratione superare. Inveniunt enim in brutorum actionibus summam sæpe rationem, atque humana longe majorem. Hæc vero ratio in brutis non est, sed in eo, qui bruta creavit, dirigit & conservat. Observatum est à quibusdam, anseres cum tectum aliquod subeunt, corpus versus humum incurvare, ne, quod ridicule metuere videntur, ad postes portæ limini imminentes offendant. Quare hoc fiat, multi interrogati respondent, quia anseres sunt, i. e. ut intelligunt, animal stultum, quod metuit ubi

ubi nihil est metuendum. Sed hæc responsio, si serio fit, anserina prorsus est; fit enim hoc summa ratione, non anserina illa quidem, sed ejus qui machinam anserinam construxit; Hac enim ratione casum evitant, qui contingeret limen ascendentibus, pedemque elevantibus, nisi caput in ulteriorem partem protendendo æquilibrium servarent. Quod si anseribus cognitum hic foret, quid facerent, & qua de caussa, minime anseres essent, sed homines plerosque ingenio anteirent.

Tales etiam motus innumeri sunt in hominibus, qui summa ratione fiunt, sed ad quos hominum ratio nihil confert. Non jam loquor de motu cordis, pulmonum, pulsu arteriarum, atque aliis hujus generis innumeris. Loquor de motibus externis, qui in cujusque sensum incurrunt. Sunt motus, qui ipsam voluntatem hominis præcurrunt. Ad adspectum rei noxiæ homo contremiscit. Infans, qui vix gradi potest, viso serpente palpitat, exclamat, aufugit; è contrario viso pomo renidet, accedit, manum ad eum prehendendum protendit; necdum experientia, multo minus ratione didicit, illud noxium esse, hoc salubre.

Nullæ hic sunt rationis nostræ partes; à machinæ dispositione motus hi dependent unice; sed rationi hi motus, inquis, convenientissimi sunt. Fateor; sed ratio non in infante, sed extra eum in auctore machinæ quærenda est. Et hinc est, quod vulgo Philosophi actiones hominis dividere solent in *animales* & *humanas* sive *rationales*. Illæ ex instinctu, procedere dicuntur, qui nihil aliud est nisi ea corporis structura & dispositio, quam ab opifice suo accepit. Hæ ex prævia deliberatione judicii, & voluntatis rationalis appetitu, oriuntur.

Sed in illis etiam actionibus, quæ à ratione maturaque deliberatione proficiscuntur, plus semper rationis est alienæ, quam propriæ. Audio hostes esse in procinctu, quibus par non sum; statuo, mihi esse fugiendum, voluntas imperat, ut fugiam. Pareo. Sed scione, quid faciam, aut quid faciendum sit fugienti? ubi sint spiritus illi animales? ubi sint musculi illi, in quos influere debent, ut pedes eo modo moveantur, qui ad fugam corripiendam requiritur? per quas vias, qua copia fluere debeant in musculos; quomodo in hanc aut illam partem determinandi? Res certe est summi artificii, ambulare, currere. Sed quotus quisque est, qui hoc artificium cognoscit, aut de illo cogitat? Machinæ dispositio nobis insciis hæc omnia, peragit, & tamen summa ratione peragit. Accuratissime in his observantur mechanicæ leges. Sed quis observat? Non ille, cui hæ prorsus sunt ignotæ; Sed sapientissimus corporis nostri Opifex.

Vultis aliud exemplum, Auditores; Nunquam-ne animadvertistis, hominem ad lapidem, aut aliud quiddam offendentem; Quid non agit? quomodo corpus suum modo in hanc, modo in illam partem contorquet, ut lapsum corpori noxium evitet? Cognoscit-ne ille homo, quomodo lapsus sit

ſit cavendus; aut ſcit-ne quid agat? Ut homo erectus in terrâ ſtare poſſit, neceſſe eſt, ut perpendiculum à centro gravitatis ad terram ductum intra pedes, quibus corporis pondus innititur, cadat. Si hic ejus ſtatus mutatur, caſus metuendus eſt, & quidem in eam partem, in quam cadit perpendiculum à centro gravitatis ad terram ductum. In hoc vero ſtatu, quid agit homo? Corpus ſuum protinus ita movet, ut centrum gravitatis in partem ei, in quam caſurus eſt, oppoſitam torqueatur. Sed quoniam id fit non ſine impetu, qui corpus nimis in alteram partem inclinat, ita ut lapſus non minus in illam ſit metuendus, protinus ex hac in aliam partem idem gravitatis centrum determinatur; ex quo multæ oriuntur corporis librationes, donec tandem in quiete poſſit conſiſtere.

Hoc facit rudis legum mechanicarum, in quo tamen illæ omnes accuratiſſime obſervantur. Sed ille nimirum accuratiſſime has intellexit, qui corporis machinam ita conſtruxit, ut quando opus eſt, ſponte ex ſolis naturæ regulis, omnes motus ad machinæ conſervationem neceſſarii oriantur, utque ita machina ſe ipſam conſervet, ſe ipſam defendat, ſe ipſam ex omnibus periculis eripiat; quod ſane ſtupendi alicujus artificii fuit.

Sed redeamus nunc ad bruta animantia, atque eorum inſtinctum, ut vulgo vocatur. Quot eorum ſunt actiones, quæ non modo rationem arguant, ſed rationem humana longe majorem? Contemplemur animo aves nidificantes, ſtatis temporibus nidum, pullis excludendis aptiſſimum, conſtruentes. Si hirundo, tempore quo ova parienda ſunt, ad artificem, quendam inter homines non poſtremum accederet, eumque rogaret, ut ſibi nidum faceret, ex materia ad id aptiſſima, illum loco affigeret firmiter, eoque contra injurias aëris tutiſſimo, in quo victus pro pupillis commodiſſime peti poſſit; juſtæ magnitudinis & figuræ, ut ova in eo commode poſſit ponere, incumbendo calefacere, pullos excludere, eoſque, donec ad eam veniant magnitudinem ut evolare poſſint, victumque proprio marte quærere, capere poſſit. Num quiſquam artificum facere poſſet huic aviculæ habitaculum tam commodum, quale ipſa ſibi exſtruit? Num hirundo ratione vincit hominem? Cur igitur ingenium tam acutum ad unum hoc valet, in aliis omnibus deficit? Cur quæ avis poteſt majus & difficilius, innumera alia & faciliora perficere nequit? Unde architecturam hirundo didicit, num à parentibus? At quomodo tam brevi tempore artem hanc haurire potuit? Sed pono, hanc nunquam nidum hirundinis vidiſſe, in peregrino nido ab alia ave eſſe excluſam; hæc tamen eodem modo ut aliæ hirundines, cum tempus pariendi appetit, nidificabit. Et ne hic caſui aliquid tribuas, omnes hirundines ſimili modo nidulantur.

Diriguntur ſcilicet hæc à ratione, quæ conſtanter ad certam normam agit, quæ finem ſibi in agendo proponit, quæ media ad finem aptiſſima excogitare & eligere poteſt. Sed ſtultum eſſet hanc rationem in bruta avicula

cula quaerere. In opifice ejus, in Creatore ejus invenitur. Hic machinam exstruxit, quae certo tempore nidum aedificet, ova in eo ponat, iis incubet, donec excludantur pulli, i. e, machinae similes; hos ad certum tempus nutriat, usque dum avolent, victum quaerant, & post annum simili modo genus propagent.

Quod si nunc ad alia animalia cogitationem applicamus; si curioso v. g. oculo spectaremus examen apum aut formicarum, ordinem quem inter se servant, summum aedificiorum, quae exstruunt, artificium: quis non exclamaverit: A ratione haec omnia diriguntur; non tamen ea, quam his animalculis tribuere possumus, sed humana infinities majore.

Si ita percurrimus cogitatione nostra terrae universam superficiem; si penetramus in ejus viscera; si in aquas mentem demergimus: si in aëra extollimus; si planetas & stellas omnes; si universum denique mundum peragramus, ubique similia nobis occurrunt argumenta, Dei existentiam probantia. Argumenta palpabilia; ut recte Apostolus inquit, Deum ab unoquoque *palpando inveniri posse.* Et cum tot argumentis abundamus, nos nescio quas aranearum telas teximus; argumenta quae vix capi possunt, ex *Metaphysica* petimus; quasi res sit admodum difficilis cognitu, & subtilis inquisitionis. Nimirum dubitamus etiamnum, an detur mundus & innumera corpora. Sane qui serio de mundi existentia dubitare potest, dubitet etiam de Dei existentia. Sed vix crediderim, esse hominem usque adeo delirum, qui mundi existentiam serio in dubium vocet. Potest quidem aliquis suppositione plus quam *Metaphysica* fingere, nullum esse coelum, nullam terram, nullum mundum, se non habere corpus, manus, pedes. Requiratur, ut quibusdam placet, ab eo, qui vult *ordine philosophari*, ut existentiam Dei probet, dum dubitat, an mundus sit. Nos sane ab eo, qui Theologiam Christianam discere incipit, tam hyperbolicam disputationem, quae non caret periculo, minime requirimus.

Vid. Judic. de argum. Cartesii. ab init.

CAPUT V.

Probatur existentia Dei, ex contemplatione mundi spiritualis, & ex admiranda mentis humanae cum corpore unione.

DEmonstravimus hactenus ex contemplatione operum Dei, esse horum aliquem Opificem potentissimum, sapientissimum, optimum, i. e. qui *eminenter* habeat omnes perfectiones, quaecunque in mundi partibus sunt. Hoc argumentum plurima alia complectitur. Quot enim sunt in mundo opera Dei, tot argumenta sunt divinitatis, secundum illud,

Præsentemque refert qualibet herba Deum.

Ac sane, si mentem à materiali mundo ad immaterialem, à corporibus ad spiritus deflectimus, innumera & in illis reperimus hujus veritatis argumenta. Esse mentes substantias cogitantes dubitare nullo modo possumus, dum cogitamus; neque etiam sanus dubitare potest, cum corporibus hominum, cum quibus conversatur, conjunctas esse mentes suæ menti similes. Unde vero est mens illa nostra, quæ intelligit, quæ infinitas rerum ideas contemplatur, easque aut in se ipsa videt, aut in aliis; quæ totum mundum cogitatione complectitur; quæ ratiocinatur; quæ alia appetit, alia repudiat, quæ futura prævidet, quæ præteritorum recordatur, quæ innumeris modis variatur? Unde, inquam, illa mens est? non à se certe; secus enim semper fuisset, cujus rei non recordatur; haberet quoque facultatem seipsam conservandi, hujusque sibi conscia esset; immutabilis esset, cujus contrarium singulis momentis videt; sentit enim in se perpetuas mutationes, etiam contra voluntatem suam; sentit denique se nescio quomodo affixam esse corpori, à quo in mille operationibus dependeat; sentit in sua potestate non esse, sentire quæ sentire vult; cogitare quæ vult cogitare; mentem suam hic necessario sequi debere motus corporis sui, tametsi cogitationes illæ, & sensus sibi sint ingratissimi.

Quis igitur auctor ejus *mentis* est? quis auctor illius *unionis*, quæ est inter *corpus hoc meum* & ejus organa, & inter *mentem meam*? Quis auctor omnium ceterarum mentium, & similis earum cum corporibus conjunctionis? Sane Ens est intelligentiæ summæ, à quo omnium entium intelligentia emanavit; Ens perfectissimum, quod tam arcte res quæ nullo modo componi posse videbantur consociavit; quod inter innumerabiles motus corporis, singulos certæ alicui cogitationi respondere voluit; & tot cogitationibus vicissim tot motus.

Sed præterea, si consideramus quosdam ex sensibus animæ, negare non possumus, eos à summa quadam sapientia illi esse inditos, sive ad conservationem corporis, ut pro illo vigilent, sive ad conservationem speciei; sive ad conservationem societatis, quæ inter homines esse debet. Huc enim faciunt tot varii appetitus cibi, potus, aliarumque rerum; sensus doloris, voluptatis; huc faciunt affectus animæ inditi; omnia, ut se & suam speciem conservet; ut noxia fugiat, utilia appetat. Hæc omnia anima non sibi indidit, sed ab auctore suo indita accepit; ab auctore sapientissimo, qui quid ad conservationem hominis faciat, perfectissime scivit; ab auctore optimo, qui amat opera sua, & de eorum conservatione sollicitus est.

Quare, quæso, dolorem cum sentimus, membro aliquo læso, sentimus, ac si in ipso illo membro læsio esset; cum contra calorem, quem sentimus, in igne esse putamus; tristitiam in mente? Nulla alia de caussa, ut acutissimis Philosophis videtur, quam ut mens statim de salute & conservatione illius membri, quod læditur, sit sollicita, & celerrime ei conservando remedia

dia adhibeat? Quare grata ſenſatio oritur in corpore aut potius in anima, cum pars ejus aliqua placide movetur & mulcetur; ſi motus ille vel tantillum augetur, cur oritur dolor? Nulla alia de cauſſa, quam ut ſenſatione grata mens commonefiat, ab una parte, motum corporis, quo impellitur, ei noxium non eſſe; ab altera, ſatis firmam eſſe corporis ſui conſtitutionem ut illi motui ferendo ſufficiat; dolore vero ingrato; noxium eſſe hunc motum & corpori periculoſum.

Cur in nobis, aut potius in animo noſtro, tantus eſt appetitus cibi, cum corpus noſtrum alimentis ad ſui ſuſtentationem indiget? Cur corpore ſaturato ceſſat appetitus, cur faſtidium ei ſuccedit? Cur in homine ægroto appetitus idem proſternitur? Non alia cauſſa eſt, quam ut homo eſuriens, de corpore ſuo cibis fulciendo & conſervando cogitet; eo vero ſaturato, cibos noxios potius ei, quam ſalubres eſſe; denique ſtomachum vix inutilibus humoribus digerendis ſufficientem, ad cibos concoquendos inhabilem eſſe, cognoſcat.

Facile monſtrari poſſet, omnibus appetitibus, omnibus ſenſibus, miram eſſe ad corpus conſervandum utilitatem. Ut taceam de iis, qui ad conſervationem & propagationem ſpeciei eidem ſunt inditi; qui omnes ejuſdem ad hunc ſcopum ſunt utilitatis & neceſſitatis. Ut vel unum afferam, unde eſt in conjugatis affectus ille, qui zelotypia vocatur; affectus, uti videtur, irrationalis; & qui nihil aliud niſi inutile conjugatis tormentum afferre videtur? Sane ſi hic affectus intra terminos continetur, nihil concipi poteſt magis accommodatum ad fideliter amorem conjugalem conſervandum, atque ordinem à Deo ad propagandnm genus humanum conſtitutum. Quod ſi enim conjuges eo uſque inſenſibiles omnes eſſent, ut exiſtimarent nullam ſibi fieri injuriam fieri, ſi alter conjux fidem frangeret conjugalem, oriretur brevi ea inter homines confuſio, quæ inter bruta eſt animantia, ſi non multo major.

Sed etiam ad ſocietatis humanæ conſervationem multæ ſunt hominibus propenſiones naturales inditæ, quas recenſere longum eſſet. Huc potiſſimum facit aliorum hominum approbationem obtinendi, iiſque placendi, ſtudium. Vanum illud videtur, & revera concipi non poteſt; quare homo tantopere de aliorum de ſe judiciis ſit ſollicitus, nequenegari poteſt hunc affectum in pleriſque eſſe nimium. Sed tamen hoc quidquid eſt, ſi intra terminos ſuos continetur, ad ſocietatem inter homines conciliandam cum aptiſſimum, imo neceſſarium ſit, nullum eſt dubium; eum affectum à naturæ Auctore in hunc finem animis hominum inſtillatum eſſe.

Fateor, præcipuam cauſſam, quæ homines movere deberet ad proximum ſublevandum juvandumque, deberet eſſe amor Dei & ſtudium huic placendi; & quando amor hominibus placendi hunc ſuperat, aut ſaltem ei non

non subordinatur, corruptum esse hominis statum, Deoque invisum. Sed & illud certum est, in corrupto hoc statu, vix quenquam quicquam facturum, quod in alterius emolumentum cedat, si studium aliis hominibus placendi prorsus ex hominum animis tollatur; ut adeo hic affectus, qui vanissimus videtur, si quemlibet hominem seorsim spectes, sit utilissimus, si totam hominum societatem consideres.

Deus ipse igitur non sine caussa alios aliorum judiciis subjecit; cui subjectioni frustra se in solidum Philosophi subtrahere conantur. Unicum tantum remedium est, se aliquo modo in libertatem vindicandi, & hoc jugum, quod hominum judicia nobis imponunt, excutiendi; fervens studium placendi Deo; hoc enim quo magis crescit, eo magis studium hominibus placendi in nobis, si non exstinguit, saltem moderatur eousque, ut nullis hominibus placere studeamus, nisi qui & ipsi Deo placent; atque approbationem solorum hominum piorum, & vere sapientium appetamus, eum tantum in finem, ut tanto magis eorum judicio confirmemur in via justitiæ & sanctitatis, & ad majorem pietatem continuo excitemur.

CAPUT VI.

Quomodo appetitus felicitatis, à natura homini inditus, & conscientia, existentiam Numinis probet, ostenditur.

HUic studio aliis placendi possemus adjungere *pudorem*; qui affectus sine dubio ideo ab Auctore naturæ hominibus inditus est, ut caveantur innumera mala & noxia hominum societati, imo hominibus singulis, nisi hic affectus maximam hominum partem contineret. Ut verbo dicam, qui animam suam cognoscere studet, innumera in ipsa deprehendet, quæ eam ab Ente sapientissimo conditam esse clamant.

Duo tantum præter cetera observabimus. 1. *Appetitum felicitatis*, qui est in homine. 2. *Conscientiam*. Quod ad *appetitum felicitatis* attinet, tantus ille est, ut nullum bonum finitum illum satiare possit; quod quotidiana probat experientia. Da enim homini Mundum & omnia, quæ in mundo sunt, nihilo felicior erit, quam si minimam mundi particulam possideret; imo hic verissimum est illud,

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Hunc appetitum homo sane sibi ipsi non indidit; Est enim in homine invito sæpissime; vellet satiari bonis finitis, si modo posset. Unde igitur est? sine dubio ab Auctore, qui non potuit non esse infinitæ bonitatis. Cur enim menti indidisset, ut aliquid majus appeteret se ipsa? Cur animam crearet ad alterius potius, quam ad sui, gloriam? *Anima*, inquit *Augustinus*, *est à Te, neque*

requie-

requiescit, nisi in Te. Recte sane. Ideo anima non requiescit, nisi in Deo, quia est à Deo; quia hic desiderium sui, boni infiniti, illi indidit; quia animam propter se creavit, non propter creaturam aliquam; & hinc vult, ut in se solo & nulla creatura acquiescat.

Ad *conscientiam* vero, quod attinet, est illa in omnibus hominibus, etiam iis, qui legem scriptam non acceperunt. Quo facit, quod Apostolus ait de gentibus: *Nam*, inquit, *quum gentes, quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciunt; isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex; ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus aut etiam excusantibus.* Est in gentibus & omnis generis hominibus, non modo aliquod discrimen honesti & turpis, quod Apostolus, *opus legis* vocat, *scriptum in cordibus eorum*, & quod omnium populorum experientia confirmat; licet in quibusdam hæc cognitio & discretio admodum obscura sit & imperfecta; sed etiam se ipsos homines accusant, si male; excusant, si bene egerunt.

Roman. II v. 14. 15

Quid est illa lætitia, quæ oritur ex conscientia recte facti? Illa animi tranquillitas, quid aliud quam quoddam virtutis præmium. Quid illa tristitia, quid illi morsus conscientiæ, cum homo ab officio recedit? Quid aliud, quam peccati & sceleris pœna? Quis igitur hujus præmii, hujus pœnæ caussa est, nisi Deus, qui animam ita condidit, qui non solum ejus auctor est, sed etiam supremus legislator & judex?

Quod si exempla adducere vacaret, facile probari posset, quanta vis sæpe conscientiæ fuerit in hominibus sceleratissimis quomodo illos terruerit, quomodo illos adegerit ad peccatorum etiam secretissimorum confessionem, quomodo eos cruciaverit, imo quosdam eo perduxerit, ut violentas sibi manus intulerint? Quid metuunt scelerati cum peccarunt? Non infamiam, qui omnem pudorem deposuerunt, quorum crimina sæpe tecta sunt; non pœnas hominum quas mille modis subterfugere possent, quas in summo fastigio supra pœnas humanas positi non est quod vereantur. Metuunt tamen & ii; qui dudum nihil metuebant, qui omnia, quæ de Deo, de futura vita, de cœlo, de inferno dicebantur, ridebant; & tanto magis metuunt, quo magis Deum ante contemnebant; adeo ut neque fulguris aspectum, neque tonitrui auditum ferre possint, quin toto corpore contremiscant; quod de *Caligula* legitur. Sane hunc metum sibi non indiderunt; vellent enim eum omnibus modis excutere. A Deo est inditus; Deum vindicem metuunt; etiamsi distincte quid metuant dicere non possint.

Hic vero non possum satis mirari, profanorum quorundam hominum ἀσυλλογηστίαν; dicunt ex *Lucretio*:

Primus in orbe Deos fecit metus.

Dicunt, metum Deos fecisse, i. e. quia homines metuunt nescio quid, ideo finxisse

finxisse Deos esse. Utrum probabilius est, metum illum esse caussam persuasionis, qua quis credit, Deum esse? An persuasionem quandam, licet in multis hominibus admodum obscuram & confusam, esse caussam illius metus? Verum esto; metus iste fecerit Deos, i. e. persuasionem de Diis. Sed quis fecit in hominibus illum metum, quod cum male agunt, metuunt nescio quod Ens invisibile & potens, quod existimant, hoc Ens sibi placandum? quis dubitet illum metum hominibus inditum esse, ad eos in officio continendos, quod à nemine fieri potuit, nisi à supremo Legislatore, qui singulis officium suum præscripsit.

CAPUT VII.

Probatur idem ex innumeris Providentiæ divinæ indiciis, quæ passim in historiis inveniuntur.

NEque contemnendum pro existentia Dei nobis suggerunt argumentum, omnes omnium populorum historiæ, ubi sane videmus manifesta Providentiæ divinæ indicia. Unum atque alterum forte casu accidere potuisset; sed tot res casu accidisse, quæ Providentiam Numinis arguunt, res est ab omni verisimilitudine aliena.

Si historiam S. Scripturæ consideramus, non tanquam verbum Dei, sed tanquam historiam fide dignam, aut tantum non penitus falsam; dubitare non possumus, divina gubernatione omnia geri, & peculiarem quandam fuisse Dei circa populum Judaicum providentiam. Etsi enim præcipua peccatorum vindicta reservetur seculo futuro, quando fiet omnibus justa meritorum compensatio; tamen in hoc seculo sæpe eduntur exempla, ut homines intelligant, Deum non dormire, sed excubare in rebus humanis, & omnia animadvertere; secumque reputent, quàm gravia post hanc vitam omnes iniquos maneant supplicia.

Atque integras quidem gentes, quod attinet, etsi aliquandiu laxæ admodum habenæ, & magna pro arbitratu vivendi licentia iis sæpe concedatur; Etsi impii aliquandiu pro lubitu agant, & pii ab iis opprimantur; si quis tamen temporis decursus consideret, videbit Providentiam non ita quiescere, & ita esse absconditam, quin post aliquod intervallum (mensura peccatorum in aliqua gente completa) sese prodat gravi & notabili supplicio. Cujus generis plurima exstant exempla, cum in S. Literis, tum in profanis historiis.

Hoc probant diluvium; excidium Sodomæ & Gomorræ; multiplex Pharaonis & Ægyptiorum castigatio, & tandem plenus illius interitus. Pœnæ Israe-

Israelitarum ipsorum in deserto, in terra Cahaanis sub Judicibus, sub Regibus; captivitas Babylonica, omnimoda denique hujus populi rejectio, propter crucifixum & rejectum Messiam. Quod exemplum irae Dei etiamnum, in miseris hominibus conspicitur, extorribus ex patria, nullum Dominum, nullum Regem, nullum magistratum habentibus, servientibus iis, quos Gentes vocant, contemtis & quasi stigmate aliquo notatis.

Monstretur populus hujus antiquitatis in mundo; monstretur populus aliis permixtus, sed tamen ab iis perpetuo discretus: Monstretur tam diuturnum populi alicujus exilium & dispersio; Populus inde à septendecim seculis ubique serviens, nusquam dominans, ubique contemtus, nusquam conspicuus. An non quilibet palpare potest, hunc populum propter magnum aliquod scelus commissum, à Deo peculiari ratione puniri, prout ante prae aliis omnibus populis à Deo fuit amatus.

Sed tanto magis confirmabimur, Providentia Numinis omnia geri & gubernari, si consideramus, ea praecipue peccata graviter puniri, quae quam maxime sunt contra Numinis Reverentiam, ut sunt idololatria, blasphemiae, perjuria, sacrilegia. Exempla in S. literis habemus insignia, in *Pharaone*, *Sennacheribo*, *Nebucadnezare*, *Balthasaro*, *Antiocho*, *Herode*. Neque sine divina permissione factum est, quod & falsorum Deorum contemtores gravissime fuerunt puniti; ut historiae referunt de *Xerxe* fanum *Apollinis Delphici* spoliare volente, & *Appio Claudio* propter contemtum Religionis oculis orbato, de *Pyrrho Epirotarum* Rege aliisque plurimis.

Justin. Lib. II. cap. 12.

Fateor quidem non esse existimandum, vindictam hanc his falsorum Deorum contemtoribus immediate à vero Deo fuisse immissam, sed à Daemonibus divinitatis aemulis; qui, ut Dii haberentur & divinos honores ab hominibus extorquerent, veri Dei instituta & mores conati sunt imitari. Sed permittebat haec verus Deus non sine caussa, tum propter alia istorum hominum scelera, quae tyrannidem Daemonum merebantur; tum quia in hujusmodi facinoribus Ethnici vel peccabant contra conscientiam, quia illis inesse aliquid divinitatis credebant; vel quia non solum falsorum istorum Numinum, sed absolute omnis Numinis & divinitatis contemtum, furore isto prodebant. Cum enim verum Deum omnium conditorem ignorarent; & rationis luce cognoscerent, vulgaria illa numina, quae à plebe colebantur, vana esse; facile in eam sententiam adducebantur, ut crederent, nullum esse omnino Numen, quo hic orbis regeretur; sed omnia vel fatali necessitate vel temeritate fortunae geri. Qua ratione de hodiernis *Sinensibus* dicitur, quod plebs quidem inter eos multiplici idololatriae dedita sit, sed doctiores plerique sint athei, & omnis Numinis contemtores, aut saltem de negotio divinitatis admodum animo fluctuent.

Lubet hic elegantissimos versus adjicere, quibus *Claudianus* suam in *Rufinum* invectivam orditur:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque maris fines, amnique meatus,
Et lucis noctisque vices; tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sydera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igni
Compleri, solemque suo: porrexerit undis
Littora: tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios; rursus labefacta cadebat
Religio; caussæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi: quæ Numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant.

Nescio, Auditor. an singularis judicii divini exemplis adjungere possim, recentissimum illud, quod Deus in regno *Hispanico* nobis monstrat. Quanta fuit superiori seculo hujus gentis potentia in omnibus orbis partibus? universalis illa monarchiæ spem non frustra concupiscebat. Quid non sperare poterat *Carolo quinto* gubernante, *Rege Hispaniæ* simul & *Imperatore*? Quid non speravit sub *Philippo* ejus filio? Sed ubi nunc sunt tantæ spes? in servitutem redigi videtur gens superbissima, & humilimam servitutem, ut serviat iis, quos tanquam hostes capitales per duo secula consideravit, & quos opprimere suoque imperio adjicere toties tentavit; ut serviat genti non modo diversæ à se linguæ, sed cujus genius suo è diametro videtur oppositus; ut *gravis illa gens* serviat alii, cujus *levitatem* & inconstantiam toties risit; ut prudens ista & circumspecta natio, & quæ sola omnia Politicæ arcana in pectore circumferre sibi videtur, serviat genti, quæ omnia improvide & tumultuose gerere, & sine consilio omnia moliri hactenus illi est visa. Quæ major, quæ pro genio Hispanicæ gentis sensibilior pœna ipsis potuit irrogari?

Lectio hæc habita fuit statim, postquam Hispani Gallorum imperio se subjecerunt.

Sed quis neget, hanc esse pœnam divinam, tam superbæ genti irrogatam, propter intolerabilem fastum, cui Deus resistit, & insatiabilem ambionem; propter inauditam crudelitatem exercitam in *Mauros*, in *Americanos*, in *Belgas*; propter *tyrannidem Inquisitionis*, qua nihil crudelius unquam

quam ab ullo *Phalaride* inveniri potuit; propter perfidiam Regum ejus & perjuria, qui nullo jure jurando se adstringi posse credebant; præsertim si hæreticis, ut credunt, fides data fuit; propter ingratitudinem in homines, qui quamplurimum ad potentiam & gloriam hujus gentis contulerant. Quid dico? propter impietatem hominum, qui Inquisitionis metu non amplius loqui de Religione audebant, ut observat auctor modernus historiæ Inquisitionis; imo de ea non amplius cogitabant: Ubi omnia denique licita fuerunt scelera, præterquam de Religione loqui. Sane pœnam Dei hanc adeo conspicuam esse judico, ut paucæ in historiis huic similes reperiantur.

CAPUT VIII.

Ex Providentia, quæ singulos homines, spectat, colligitur existentia Numinis.

AT non tantum Providentia Dei, quæ versatur circa totum genus humanum, atque integros populos, sed & quæ singulos spectat homines, Deum aliquem mundi Gubernatorem esse testatur. Nemo nostrum est, qui, si totam vitam à se hucusque actam consideret, non videat in illa haud obscura Providentiæ Dei indicia, nisi forte ita sit corruptus, ut ipsi expediat, nullum Deum, nullam Providentiam credere.

Perpendat tantum aliquis, quomodo ab utero matris ad hoc usque tempus pervenerit & conservatus sit, de peculiari Dei cura dubitare non poterit. Consideret in quibus periculis sæpe fuerit, & quomodo ex iis fuerit liberatus; quomodo à peccatis nonnunquam fuerit præservatus, quomodo sublevatus; quomodo correctus, quomodo castigatus, si in peccata incidit; quomodo excitatus; quot modis officii sui admonitus; quo modo ad Deum Creatorem suum tractus, nunc per beneficia, nunc per judicia in se & aliis; quo modo preces suæ sæpe fuerint exauditæ; quibus casibus obnoxius fuerit, quam diu in precibus segnis extiterit. Quomodo Deus bonum ipsius quæsiverit, etiam cum ipse aut alii malum ejus quæsiverunt. Quomodo inimicos ejus Deus coërcuerit, aut sibi nonnunquam præter expectationem conciliaverit. Quos fructus viderit fiduciæ suæ in Deum, si posthabitis omnibus humanis remediis, in eum solum recubuit; quomodo sæpe plus effecerit, Deo soli fidendo, quam alii, omnes nervos intendendo, omnemque lapidem movendo. Quomodo voti compos sit factus; sed per media diversa, aut contraria iis, quæ adhibuit. Quomodo denique, si quæ forte præter spem suam atque desiderium evenerunt, omnia sapienter, &, ut ipsemet postea agnovit, ad bonum suum fuerint directa.

Hæc & hujusmodi alia, si quis conjunxerit, agnoscet certe, Deum fuisse, qui se

se hucusque conservaverit, hucusque rexerit; qui omnia facta sua, & quicquid sibi contigerit, disposuerit & constituerit; qui plerumque longe melius, atque ipse sibi, consulere potuit.

Neque vero existimandum, esse hoc Deo indignum, si illum ita singulos homunculos curare dicimus, quia vilissima res, imo nihil homo sit, si cum Deo conferatur. Nam certe, primo, totus mundus nihil quoque est cum Deo collatus; atque propterea, si Deum mundum curare absurdum non est; non est absurdum, Deum quemlibet hominem curare, aut si quid est, homine longe vilius. Neque indignum Deo est, hominem creare, cui animam intelligentem & volentem rationeque præditam indidit; quem creavit ad imaginem suam, ut non tantum Scripura S. testatur, sed Ethnici quoque Poetæ crediderunt. Neque eo indignum est, minima quæque & singularia curare; Qui infinitum habet intellectum, sapientiam infinitam, qui ita minima & singula curat, ut propterea maximorum & universi curæ nihil decedat.

Novi *Epicurum* agnoscere quidem, Deum esse, sed rebus humanis se non immiscere, se ipso beatum & contentum; æternum ævum ducere, semotum à curis mortalium. Tum quia indignum videtur ejus majestate, ad tam vilia & minuta descendere; tum quia Numen ex seipso beatum nihil extra se quærit; tum quia per res humanas, utcunque se habeant, nulla potest ei fieri accessio & decessio.

Sed quis primo non videt, ita ratiocinari *Epicurum*, quia divinam mentem angustiis mentis suæ metiebatur. Et sane, si mens divina foret limitata, neque vim intelligendi infinitam haberet, ratio illa esset valde probabilis. Tunc enim longe melius esset ipsam rebus humanis non attendere; tum quia molestia tam multiplici, *tristi ministerio*, ut *Plinius* loquitur, *non posset vacare*; tum quia à melioribus & jucundioribus avocaretur. Sed nimis rudis Deoque indignus hic de Deo est conceptus. Neque enim, ut modo diximus, infinita mente, multiplicitas rerum impedit attentionem ad singula; sed potius mens infinita tam perfecte considerat singula, ac si illa sola proposita haberet. Quo quidem pertinent verba *Syracidis*: *Oculi Domini decies millies sole lucidiores, inspicientes omnes vias hominum, & considerantes in absconditis partibus*, i. e. omnia, quæ in penitissimis cordis recessibus latent. Itaque hæc consideratio minimorum non est indigna divina majestate, sed maxime digna, imo necessaria, quia alioqui in Deo esset multarum rerum ignorantia. Et quamvis res & actiones humanæ viles sint, non tamen vilis est earum intelligentia, & dijudicatio; non vilis Dei justitia, bonitas, misericordia, longanimitas, quæ in minimorum quoque cura elucescit.

Nec obstat, quod Deus in seipso plenissime sit beatus. Hoc enim solum probat, Deum extra se nihil agere & curare in eum finem, ut inde beatior

beatior reddatur, aut ſibi aliquid commodi acquirat; non autem probat abſolute, Deum nihil extra ſe moliri. Quia cum ſit ſummum bonum, atque adeo totius bonitatis plenitudo, totum univerſi bonum *eminenter* in ſe continens; congruentiſſimum ipſi viſum eſt, ut illum fontem, ut ita dicam, apud ſe concluſum non retineret, ſed ſineret emanare in creaturas, ſecundum varios gradus & ſpecies rerum, & menſuram capacitatis cujuſque, ſingula in ſuo ordine creando, formando, & ſuum in finem dirigendo. *Bonum* enim, ut Philoſophi loquuntur, *ſui eſt diffuſivum & communicativum.* Nulla itaque inopia, nulla propriæ utilitatis aut commodi ratio, Deum impulit ad res creandas, conſervandas & gubernandas; ſed ſupereminens ipſius bonitas; nimirum ut ea in res creatas pro ſingularum captu diffunderetur, & cum iis communicaretur.

Sed aliud eſt, inquis, dicere, Deum ſcire quid homines agant, cogitent, dicant; aliud eſt dicere Deum hæc curare, ſicut magni Principes, quorum ſtatus eſt in tuto, parum curant, quid plebs de illis dicat. Sed hoc abſurdiſſime dicitur. Cum enim homo ſit opus Dei, cujus menti ipſæ leges juſtitiæ omniſque virtutis impreſſæ ſunt, maxime ad Deum pertinet, illius curam gerere, ut ſecundum illas leges vivat. Ad opificem enim pertinet, curare, ut opus ſuum evadat perfectiſſimum; ad legislatoren, ut leges quas ſuis ſubditis tulit, diligenter ſerventur. Parentis intereſt, quomodo ſe gerant filii. At Deus communis omnium Parens eſt. Nemo architectum probaverit, qui palatium à ſe conſtructum impolitum relinquit & conſervare negligit. Nemo legislatorem, qui, conditis optimis legibus, nullam curam adhibet, ut executioni mandentur, ſed omnia permittit ſubditorum arbitrio. Nemo parentem, cui nulla de filiorum moribus & vita eſt cura. Quanto minus de Deo cogitandum eſt; eum tam eximium opus à ſe factum negligere, & nullam rerum humanarum curam gerere; præſertim cum facillime & abſque omni labore poſſit ea optime gubernare?

Denique quis eſt Principum, qui non curet, quo modo ſubditi in ſua præſentia & conſpectu ſe gerant, quid dicant, quid agant? An leges ſervent, an eas violent & contemnant; honorem laudeſque debitas ſibi tribuant, an potius contumeliis & conviciis ſe proſcindant? Imo qui privatus adeo contemtibilis eſt, ut injurias ſibi præſenti illatas non curet? Atqui Deus ubique præſens eſt; omnia audit, omnia videt; omnes cordis latebras introſpicit. Homines ubique ſunt in præſentia & in conſpectu Dei; quicquid agunt, quicquid dicunt, quicquid cogitant; agunt, dicunt, cogitant in ejus præſentia, in ejus oculis. Quis crediderit igitur, illum nihil curare, non tangi, non delectari, non offendi iis, quæ in ſuo conſpectu & præſentia geruntur, dicuntur, cogitantur. Imo vero, quo major eſt illa majeſtas, illa ſapientia & potentia; quo majora ejus ſunt erga nos beneficia; eo magis & acrius omnes legum ſuarum tranſgreſſiones in conſpectu ſuo, in oculis ſuis commiſſas, ſentit & ponderat, ſuoque tempore vindicabit.

CAP.

CAPUT IX.

Occurritur objectioni, quod piis in hac vita sæpe male & malis bene sit.

QUia vero athei præcipue triumphare videntur in hoc, quod Deus maxima scelera non semper in hac vita punit, & ne atheismum quidem; sed sæpe in ea bonis male & malis bene est; videndum, quid hic responderi debeat.

Primo quidem, Deum scelera in hac quoque vita punire, innumeris exemplis probari potest; quæ sane non omnia casui possunt adscribi. Quod vero id non semper observetur, hujus multas Deus, ens illud sapientissimum, potest habere rationes. 1. Ut homines ad virtutem ferantur, non solo metu præsentis pœnæ, sed ipso virtutis amore. Hinc est quod Deus pœnam sceleribus non statim infligit, & virtutem non statim remuneratur. 2. Quia dignitas æterni præmii tanta est, ut abunde sufficiat, si bene consideretur, ad nostros affectus sui amore inflammandos, nosque ad omnem virtutem & sanctitatem excitandos. Qui hoc præmio non moventur, indigni sunt, ut aliis, longe minoribus, ad pietatem excitentur. 3. Æterna quoque supplicia abunde sufficiunt, ad hominum animos ab omnibus flagitiis deterrendos. Unde etiamsi Deus non castigaret homines in hac vita, non ideo ejus Providentia cessat. Sufficit enim, ut promittat præmia, & minetur supplicia in futurum.

Porro si pro meritis Deus plecteret flagitia in hac vita; in hac corruptione mundus jam dudum fuisset exhaustus. Unde paucissimi essent pietatis cultores, & sceleratis aditus ad resipiscentiam nullus esset. Et hoc est, arbitror, illud, quod divinus Psaltes nobis ob oculos ponere vult, cum ait: *Si iniquitates observaveris, ô Jehova! Domine, quis stabit?* i. e. quis superstes relinqueretur in terra; *quia tecum est venia, ut timearis*; i. e. sed non tanta severitate in homines animadvertis, ut sint adhuc aliqui, qui te colant.

Ps. CXXX. conf. Ps. VI.

Adde quod per iniquorum, diu in hac terra felicium, malitiam, excitatur, illustratur, & probatur virtus piorum, quorum virtuti materia ita præbetur. Tolle tyrannos; tolles martyres; tolles eorum patientiam, mansuetudinem, constantiam, fortitudinem. Infinita seges bonorum deerit in mundo, si Deus malos semper, ut merentur, in hac vita coerceret. Quid quod hac malitia improborum Deus utitur, ad peccata Ecclesiæ suæ punienda, quod illi utilissimum est. Cujus rei exemplum habemus in Cananæis populis, aliisque Judææ finitimis; item in Assyriis, Chaldæis, Persis, Ægyptiis, Græcis, Romanis, qui populi identidem fuerunt Ecclesiæ peccantis flagellum.

gellum. Imo utitur Deus impiis his, ad puniendos alios, quorum impietas mensuram suam complevit; ut Persis usus est, ad puniendos Chaldæos & Assyrios; Græcis ad puniendos Persas; Romanis ad puniendos Græcos; barbaris omnis generis ad puniendos Romanos.

Docet nos quoque hæc Dei Providentia, temporalia bona non esse magni facienda, ut quæ bonis & malis sunt communia; imo quibus sæpe mali magis abundant, quam boni. Deinde, quanta sint bona, quæ Deus suis cultoribus promisit. Si enim inimicis suis, qui ipsum assidue injuriis afficiunt, tribuit ista temporalia, quæ multis adeo videntur splendida; qualia & quanta sunt ea, quæ suis amicis & filiis toto corde ipsum colentibus conservabit?

Imprimis verò hinc discimus, expectandam post mortem alteram esse vitam, ubi Deus retributurus sit unicuique secundum opera sua; hanc vitam esse vitam probationis & *vitam viatorum*; alteram esse *vitam præmii & pœnæ*; imo hanc nihil esse, si comparetur cum altera. Et quemadmodum *afflictiones* piorum non *comparandæ sunt cum futura ipsorum felicitate*; ita vicissim impiorum voluptates & commoda temporalia comparanda non esse, cum futura eorum miseria.

Ex quibus omnibus patet, hanc Providentiam, quæ tantam perturbationem in rebus humanis videtur permittere, ut nullum sæpe in hac vita observetur discrimen inter justos & injustos; imo his quam illis melius esse videatur, sapientissimis optimisque rationibus esse subnixam. Illa enim apparens perturbatio est temporalis, brevissima & quasi momentanea; brevique æterna ἰυλαξίᾳ commutabitur. Hoc qui considerat non solum hac rerum humanarum jactatione non offendetur, sed admirabitur & laudabit divinam Providentiam, quæ tam sapienti consilio illam permittit.

CAPUT X.

Quomodo existentia Dei ex variis, quæ in S. Scriptura continentur, demonstrari possit, ostenditur.

His rationibus pro existentia Numinis addi possunt multa ex S. Scriptura petita. Equidem scimus, contra atheos non pugnandum auctoritate S. Scripturæ. Sed hic Scripturam S. consideramus, ut alium librum; qui multa facta continet, de quorum veritate dubitari non potest. E. g. si miracula S. Scripturæ vera sunt, fieri nequit, quin sit Deus aliquis. Sed non possunt non esse vera, quia sine magna absurditate non potest fingi, ea ad unum omnia esse ficta.

 Deinde

Deinde si hæc omnia, quæ in Scriptura S. prædicta leguntur, eo tempore prædicta sunt, quando prædicta dicuntur, & impleta suo tempore, ut testantur historiæ Sacræ & profanæ, docetque experientia; non potest non esse Ens aliquod omniscium, quod futura, etiam illa quæ quam maxime contingentia nobis videntur, præscit, & hoc Ens Deus est.

Quod si quis dubitet, an ea quæ in S. Scriptura prædicta leguntur, revera sint prædicta; prædictionibus addere possumus promissiones & comminationes in S. Scriptura factas; quæ si rem recte perpendimus, totidem sunt prædictiones. Qui enim & illas quotidie in se impleri vident, non dubitare possunt, illas revera à Deo venisse. E. g. promittitur vere in Christum credentibus incredibilis quædam tranquillitas animi, & pax superans omnem intellectum. Quicunque hanc pacem in se sentit, aut in aliis non obscura ejus indicia videt; non potest de veritate & divinitate illarum promissionum dubitare, & proinde ne quidem de Dei existentia.

Promittit Evangelium exauditionem precum rite precantium. Quicunque animadvertit, preces suas præter omnem exspectationem suam à Deo esse exauditas; non potest dubitare de Deo, qui se rite precantem exaudivit. Ita qui judicia Dei, quæ in S. Scriptura peccatoribus insignibus denuntiantur, in se aut aliis cernit; divinum S. Scripturæ librum dicet, & denuntiatorem horum judiciorum Deum ipsum.

Imo, si S. Scriptura non minus à Deo provenit quam mundus & ejus compages; prout ex diligenti contemplatione mundi probari potest esse Deum hujus mundi opificem; ita ex diligenti lectione & consideratione Scripturæ probari potest esse Deum hujus libri auctorem. Ita ut quemadmodum in mundo tot sunt argumenta divinitatis, quot sunt opera, in quibus divinitatis caracteres relucent; ita ex S. Scriptura tot depromi possint argumenta pro existentia Numinis, quot sunt in ea dicta divinitatem spirantia.

Franc. Junius in vita sua operibus ejus præmissa.

Fatetur insignis Theologus in vita sua, se seductum ab hominibus quibusdam profanis revera in atheismum fuisse prolapsum, & in eo aliquandiu hæsisse; postmodum vero subito conversum ex lectione initii *Evangelii Johannis: In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Adeo divinam quandam ἐνέργειαν in his verbis invenit, ut de eorum divinitate, & propterea de existentia Numinis, ab hoc tempore dubitare non potuerit.

Vid. Joh. VII.

Verum quidem est, talia argumenta apud homines profanos non semper magnam vim habere: sed ad eos, quorum corda Deus ipse rite disposuit, in hac veritate confirmandos, plus sæpe efficaciæ habent, quam subtilissimæ ratiocinationes. Dubitabitne v. g. homo afflictus, num sit Deus aliquis; qui frustra alibi consolationem quærens, incidit in dictum unum atque alterum S. Scripturæ, quod omnem prorsus tristitiam ex animo ejus abstergit, eamque in summum gaudium convertit? Num dubitabit de hac veritate, homo qui

qui jam jam in peccatum prolapsurus, mira quadam vi dicto aliquo S. Scripturae, quod ipsi in mentem venit, quod legit aut audit, à peccato ita retrahitur, ut subito ejus horrorem concipiat, quod modo tam delectabile ipsi visum est.

Argumentis quoque divinitatis addi possunt subitae & mirabiles hominum profanorum, aut crudelissimorum Ecclesiae persecutorum conversiones; martyria constantissime à Confessoribus Christi perpessa; etiam ab iis, qui neque ipsi unquam se his perferendis pares credidissent; neque pro talibus ab aliis haberi poterant: Omnes denique motus heroici, qui hominibus non nisi divinitus inditi videntur. Haec enim omnia arguunt virtutem plusquam humanam, à qua haec proveniunt.

CAPUT XI.

Refutatur hypothesis Epicuri, qui, ex concursu fortuito atomorum mundum productum esse, statuit.

HIs denique argumentis ad probandam existentiam Dei adjicimus aliud, quo ostenditur, quam absurdae sint de origine mundi atheorum hypotheses. Horum opiniones sunt praecipue duae. Altera mundi ortum tribuit *casui & nescio cui fortuito concursui atomorum.* Altera *mundum statuit esse aeternum.* Prioris hypothesis falsitas in superioribus satis demonstrata est, cum clare monstravimus, non esse opus casus, sed opus consilii & sapientiae, & sapientiae quidem summae.

Ac sane nihil magis probat, quam certa res sit existentia Numinis, quam quod Epicurus, postquam solide probavit, mundum incepisse, Deo constructionem hujus mundi non aliter adimere potuerit, quam casui illum adscribendo: immani saltu, à caussa nobilissima, ad caussam omnium maxime contemtibilem, *casum.*

Si quis v. g. diceret, mundum non habere caussam sapientiae infinitae; sed finitam sapientiam: v. g. sapientiam humanam illum construere posse, sine dubio tanquam absurdum dicens, ab omnibus, qui sanae mentis sunt, rideretur. Sed quid dicendum est de eo, qui non tantum dicit, sapientiam hominis stupidissimi huic tanto operi sufficisse, sed caussam ejus esse omni prorsus consilio, ratione, & cogitatione, carentem?

Et quod mireris; Is qui tam ignobilem mundi caussam statuit, audet etiam irridere, qui Deo aut Providentiae mundi fabricam adscribunt. Tam frigidi sunt ejus contra veram sententiam joci, ut non abs re sit illos hic recensere. *Audite*, inquit homo *Epicureus* apud *Ciceronem*, *non commentitias futilesque sen-*

De Natur. Deorum Lib. I.

tentias; non opificem ædificatoremque mundi Platonis de Timæo Deum. Quibus enim, pergit in sequentibus, *quibus oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi à Deo atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti operis fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati architecti, aer, ignis, aqua, terra potuerunt? Unde vero ortæ quinque illæ formæ, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosque sensus? Longum est iter ad omnia;* Hæc contra *Platonem.* Stoïcorum πρόνοιαν ita exagitat idem Epicureus: *Pronœa vero si vestra, est eadem; requiro ministros, machinas, omnem totius orbis designationem atque apparatum;* & paulo post. *Sciscitor, cur mundi fabricatores repente extiterint, innumerabilia ante secula dormierint?* Et inferius; *Isto igitur tam immenso spatio quæro, cur Pronoea vestra cessaverit? Laboremne fugiebat? At iste nec attingit Deum, nec erat ullus, cum omnes naturæ numini divino, cœlum, ignes, terræ, maria, parerent.*

Qui tantopere ridet, quod Philosophi plerique iique nobilissimi Deum aut providentiam statuunt caussam mundi; atque existimat, Deum huic fabricæ non esse parem, sine dubio aliam in ejus locum debuisset substituere caussam longe nobiliorem. Quid igitur substituit?

Spectatum admissi risum teneatis amici. Casum & fortunam. Quod Deo impossibile fuit secundum Epicurum, id felicius *casus* præstitit. Nimirum atomi in magno inani temere discursitantes post innumeros motus & concursitationes, tandem in eum, quem nos cernimus, mundum coaluerunt; felicior fuit casus in tam apta dispositione, quam ulla sapientia. Imo omnis sapientia casui quoque originem suam debet; cum secundum Epicurum quicquid mentium est in mundo, non minus ex hoc fortuito atomorum concursu ortum fuerit, quam cœlum, astra, elementa, terra, animalia, plantæ, & omnia, quæ in mundo sunt.

O felicem casum, qui nobis tam admirabile ædificium peperit! Jam non desperandum est, fore aliquando tempus, cum fortuitus typo um chalcographicorum jactus Biblia sacra integra, aut integram Bibliothecam efficiat; dummodo diu continuetur. Ex jactu lapidum fortuito egredietur aliquando ædificium secundum omnes architecturæ regulas constructum; aut si modo pergas lapides jacere, integra urbs, in qua admirabilis symmetria manifeste sit conspicua. Erit, cum nescio quis rusticus, temere quatiens varias particulas ferri, construat horologium, quod horam, diem, mensem, annum, & quid non exactissime indicet. Erit etiam quando casus exstruet navigium cum omnibus necessariis, quod sponte sua sine ullo rectore in novam quandam terram navigabit; ibi sine ullius opera instrumenta expediet, ad aurum ex fodinis eruendum; hocque auro onustum sponte ad nostras oras remeabit; ibique merces suas non modo sponte exonerabit; sed simul varia instrumenta, quorum parte sine ullius hominis opera monetæ cudentur omni variæ; parte omnis gene-

ris

ris vasa ad hominum usum conficientur; parte aurum in tenuissimas laminas & fila tenuissima in vestium ornatum diducetur. Et si quæ alia his addere placet. Hæc enim omnia non tam admirabilia essent, quam totus mundus, in eoque omnia; mentes, corpora, animalia, plantæ, ex fortuito atomorum concursu facta.

En quo homines delabuntur, qui nolunt Deum tanquam caussam hujus mundi agnoscere!

Sumamus animal unum, & consideratis innumeris ejus partibus, quarum nulla frustra posita est, & posita hoc loco in quo est; consideremus ex illo animali, si mundus in infinitum duraret, infinita ejusmodi animalia proditura; in quibus omnibus eædem partes eodem modo semper dispositæ invenientur: Quis sanæ mentis dicet, hoc animal, hanc partium dispositionem, hanc facultatem innumerabilia animalia per longam temporis successionem ex se pariendi, fortuito cuidam atomorum concursui deberi. Miror certe Epicurum, postquam totum mundum ex atomorum isto concursu produxit, non inde quoque produxisse Deos suos, præcipue cum mentes quoque ex atomis concursantibus ortas statuit; nam sane mundus hic est opus longe nobilius, Diis illis otiosis & perpetuo dormientibus Epicuri.

Sed quid quæso afferunt Epicurei ad ridiculam istam sententiam stabiliendam. *Muscæ*, inquiunt, *& insecta ex luto oriuntur.* Egregia vero probatio! Hoc ipsum est, quod ab omnibus sanioribus philosophis negatur. Ex semine omnia animalia nascuntur; quod aut ipsa animalia in se jam continet formata, aut virtutem quandam animalia ex se formandi aliunde accepit: & accepit sive *immediate* sive *mediate* à caussa aliqua intelligente.

Proferunt quoque Epicurei exempla rerum casu productarum, in quibus non minor nonnunquam ordo & concinnitas videtur. Sed, præterquam quod casui adscribant multa, in quibus consilium agnoscere debebant: etiamsi daretur unum atque alterum, in quo mira partium concinnitas videtur; num ex eo probari potest, integrum mundum sic esse formatum? Si ex temerario typorum chalcographicorum in terram jactu exsisteret versus aliquis Virgilii; an credibile est totam Æneida ex tali jactu unquam extituram? Ita quoque, si foret in mundo tantum unum & alterum corpus, ubi partes bene multæ non inconcinne inter se essent dispositæ, non multum adhuc inde concludi posset. Sed in uno tantum animalculo infinitæ sunt partes, ita inter se digestæ, ut hoc quemlibet eas considerantem in stuporem dare possit. Nihil frustraneum est in illa innumerabili partium multitudine; nihil non ejus magnitudinis, ejus figuræ, ejus coloris, aliarumve qualitatum; non in eo loco, non in eo situ positum, non ad eam functionem, ad quam destinatum est, aptissimum; nihil denique non tantum, tale, ubi, quomodo, esse debet.

Jam consideret mihi aliquis omnium animalium species; specierum individua; jungat animalibus omnes species & individua plantarum; addat alia corpora, in quibus plurimarum partium aptissima dispositio, non minus quam in viventibus, cernitur. Consideret inde immensam mundi magnitudinem, & cogitet, nullam esse caussam, quare in innumeris aliis orbis partibus non minus artificiosa innumera esse credamus, quam in hoc, quod incolimus terræ puncto. Consideret denique machinam mundi totius, in quo amplitudo certat cum pulchritudine. Quam difficile est concipere, tot minuta corpuscula per universi inanitatem temere huc illuc discurrentia, eo coivisse numero, qui terræ, qui lunæ, qui soli, qui tot illis syderibus, quorum multitudo est, innumerabilis, & magnitudo inexplorata; qui denique omnibus spatiis ea cingentibus; qui toti huic mundo cujus terminum nescimus, cujus vastitas videtur immensa, sufficere potuisset.

Sed fac, numerum atomorum ad hoc fuisse sufficientem, quomodo in tanta illa laxitate & infinitate spatiorum; nam & hodie extra mundum infinitum spatium Epicurei superesse somniant; quomodo, inquam, tot atomi convenerunt? quomodo tam valide cohæserunt? quo modo tam apte dispositæ fuerunt absque ulla caussa? Sane si mundus foret nihil aliud nisi

> ——— *rudis indigestaque moles,*
> *Nec quicquam, nisi pondus iners, congestaque eodem*
> *Non bene junctarum discordia semina rerum,*

difficulter concipi posset, quomodo atomi in infinito inani dispersæ, in unum convenissent, & tam arcte inter se cohæsissent; fuissent enim innumerabiles atomi, infinitis spatiis, in infinito vacuo, inter se dissitæ. Sed tamen demus talem confusam molem ex concursu atomorum existere potuisse. Quis credat inde fieri potuisse, sine ullo disponente, machinam, tam innumerabilibus partibus, tam apte inter se dispositis, constantem? Sic quis post dissectionem animalis, congestas in unum particulas varias ossium, carnium, medullarum, humorum, nervorum, arteriarum, venarum, membranarum, cartilaginum, tendinum, cæterorumque varie, permistas, & sine ullo ordine confusas, casui hunc concursum partium adscribere potest? Sed quomodo casui adscribet, qui hæc omnia suo loco, suo situ, videt in animali integro? Et si hanc dispositionem caussæ, eique admodum sapienti & potenti adscribit, cur non potius agnoscet caussam sapientissimam simul & potentissimam, quæ omnes mundi partes in hunc, quem videmus, tam artificiosum ordinem, compegerit?

Hic adjicio elegantissima *Balbi* Stoici apud *Ciceronem* verba. *Qui convenit*, inquit, *cum procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur; aut cum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere horas declarari arte, non casu. Mundum autem, qui & has ipsas artes & earum artifices & cuncta complectatur, consilii & rationis esse expertem*

partem putare ; i. e. ut interpretor, sine consilio factum. Quod si in Scythiam aut in Britanniam Sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Possidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in sole & in luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus & noctibus, quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo & oriantur & fiant omnia; casune ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione & mente divina. Et Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis Sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis; præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata, solertius.

Et rursus; *Hæc omnis descriptio syderum, atque hic tantus cæli ornatus ex corporibus huc & illuc casu temere concursitantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest? Aut vero alia qua natura mentis & rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modo ut fierent ratione eguerunt, sed intelligi, qualia sunt, sine summa ratione non possunt.*

Concludimus igitur tandem cum *Lactantio*: *Tanta qui videat & talia, potest existimare nullo effecta esse consilio, nulla providentia, nulla ratione divina; sed atomis subtilibus, exiguis, concreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est aut natum esse hominem, qui hæc diceret, ut Leucippum, aut extitisse qui crederet, ut Democratem, qui auditor ejus fuit, vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit.*

Sed non tantum concipi nullo modo potest, quomodo ex fortuito atomorum concursu mundus hic tam ornatus, in quo omnia tam admirabili ordine disposita sunt, potuerit formari; Sed innumera quæri possunt ex Democriti & Epicuri discipulis, de principio rerum quod statuunt, ad quæ nihil respondere poterunt. Quid enim est magnum illud & infinitum inane, in quo atomos suas ab æterno motas fabulantur; ensne est, an non ens? Si posterius dicitur, habebimus non ens, non modo longum, latum, & profundum, imo non ens infinitum; non ens, quod omnia entia ambitu suo complectitur; non ens, sine quo entia esse non possunt, in quo solo subsistunt; in quo solo moventur; non ens sine quo mundus formari non potuit. Si ens esse dicitur illud inane; mirum est ens; ens infinitum, ens æternum, ens necessarium, independens, ens immutabile; ens denique longe nobilius & amplius, quam, quas complectitur; atomi mutabiles; posset enim esse sine his atomis, sed atomi sine illo inani neque esse, neque operari quicquam possent. Quis atomos in vasto illo inani collocavit? Num ex illo inani prodierunt? num à se extiterunt? num sunt totidem entia necessaria, independentia, æterna? Cur igitur non sunt quoque immutabilia? cur locum mutant, cur non manent perpetuo in illa vacui parte, in qua ab æterno fuerunt? Nam si omnia hæc fuerunt æterna, vastum inane, & atomi in infinito inani, omnia quoque necessaria sunt, & necessario

rio sunt in eo statu in quo sunt, in eo situ, in quo ab æterno fuerunt.
Unde igitur motus atomorum & perpetua illa situs mutatio? Quis hunc motum atomis indidit? Sane enim moveri ad corporis naturam non pertinet. Sed fueruntne omnes atomi ab æterno in motu? an quædam quiescebant? quænam caussa hujus diversitatis? Cur si quædam atomi quiescebant, ab aliis motis moveri poterant? Quis entia hæc independentia & æterna alia aliis subordinavit? Et si motæ fuerunt ab æterno, an pari, an dispari velocitate? an in motu certas quasdam leges observarunt, an nullas? Si nullas, unde igitur leges motus, quas hodie corpora observant? Si observarunt, quis illas leges motus, quis leges communicationis motus atomis præscripsit? Aut quomodo innumerabiles atomi, immensis spaciis à se invicem dissitæ, in earundem legum observationem consenserunt? Unde denique illa varietas in figuris; & magnitudine atomorum, quas statuunt Epicuri & Democriti discipuli? unde atomorum soliditas impenetrabilitas?

Hæc omnia à se ipsis extiterunt, ais. Mirum certe, quod hic perfectissimus existendi modus, quod necessitas, quod independentia, quod æternitas negatur Enti omnium perfectissimo, omnium rerum auctori, infinitæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis; & tribuitur inani, imo tam innumerabili atomorum multitudini.

Sed & hoc absurdum oritur ex hypothesi Epicuri: Non tantum fatalis necessitas Stoicorum, sed necessitas longe major, quam ipsi Stoici statuunt. Si Deus hujus mundi auctor statuitur, habemus caussam liberam mundi, quæ secundum rationem & consilium agit, non ex necessitate naturæ. Quod si vero atomi caussæ sunt mundi; caussa mundi necessaria est, qualia sunt omnia agentia naturalia, ratione & libertate destituta. Non potuerunt igitur non producere mundum, eo tempore, quo produxerunt, eo loco, quo produxerunt, ejus naturæ cujus mundus est; omnibus iis mutationibus obnoxium, quibus obnoxius est. Omnes mundi partes necessario sunt ut sunt; Quin etiam omnes spiritus, omnes mentes, quæ bruto atomorum concursu factæ sunt, necessario singulis momentis agunt, cogitant, quod cogitant. Omnes cogitationes producerentur ex tali concursu atomorum, ex quibus constant. Actum est de libertate, actum de contingentia, actum de casu & fortuna.

Frustra igitur Epicurei contra fatum Stoicum disputant; longe majorem fatalitatem statuunt, quam ipsi Stoici. Frustra alios Philosophos in sententiam suam pertrahere volunt. Quod enim hi hujus, alii alterius sunt sententiæ, necessarium est, & necessario fluit ex tali dispositione atomorum, quali mens quorumlibet constat. Nulla est Philosophia; nullæ de summo bono disputationes; nullum discrimen boni & mali. Permittat se quilibet atomorum motui necessario, qui mutari non potest.

Sed

Sed objiciunt Epicurei, si Deus est caussa mundi, quibus instrumentis usus est, ad mundum fabricandum, quibus adjutoribus? Digna objectio Epicureis! qui ex Deo hominem faciunt, eique formam humanam tribuunt; sed hominem, omnem laborem ita fugientem, ut summum ejus bonum in nihil agendo consistat.

Nos quidem, quomodo Deus mundum produxerit, quomodo ipsam materiam ex nihilo creaverit, quomodo ex materia omnia formaverit, perfecte concipere non possumus. Sed sufficit nobis statuere talem mundi caussam, quæ sit infinitæ potentiæ & sapientiæ. Si talis caussa est, nullum est dubium, eam mundum producere potuisse. Quod si Epicurus vult, talem non esse; negat igitur Deum esse, quod tamen non vult videri negare. Sed tametsi de hoc dubitet, quomodo probabit, talem caussam non esse? Annon majori jure nobis dubitare licet, fuerint-ne ante mundi originem atomi in magno inani dispersæ, & hinc inde temere vagantes; quam licet Epicuro dubitare, fuerit-ne ante mundum conditum Deus omnipotens.

Quod si Mosen Epicurus audire vult, quid de origine mundi statuat, *In principio*, inquit, *creavit Deus cœlum & terram.* Sed quomodo illa creavit? Dixit *Fiant*: *& facta sunt.* Sed quando tam curiose quærit Epicurus quomodo, quibus ipsi instrumentis & adjumentis Deus mundum creaverit; dicat nobis, quibus instrumentis anima ipsius corpus moveat, membra nunc huc, nunc illuc dirigat, spiritus animales nunc in hos, nunc in illos musculos mittat. Si hic respondere non potest, patiatur nos quoque nescire, quomodo caussa infinitæ potentiæ omnia producat, quæcunque producit.

Sed pergit Epicurus, quid egit Deus ille mundi fabricator ab omni æternitate antequam mundum produxit. Ociatus-ne est? Sed si tantopere ocio capitur, cur subito cupido ipsum incessit creare mundum?

Hæc sane inepta prorsus quæstio est, si consideramus, Deum, sive mundum producat, nunquam ociari, Deum semper in actione versari; si actione sua mundum non produxit, fecit aliud nobis ignotum; mundum condidit, non propter suam utilitatem, aut ut ex eo quicquam beatitudinis & felicitatis caperet; sed in creaturarum suarum gratiam. Deus in se invenit, quod agat, quod intelligat, quod velit, quod amet, quo lætetur, in quo acquiescat; creaturis suis nullo modo indiget: Breviter, quid egerit Deus, inquirendum nobis non est, ne forte cum *Augustino* nobis aliquis responderet, *eum condidisse infernum hoc curiose quærentibus.*

CAPUT XII.

Refutatur falsa hypothesis de mundi æternitate.

Altera falsarum opinionum de origine mundi, eorum est, qui mundum dicunt fuisse ab æterno. Quod etiamsi concederetur, argumentum nostrum pro existentia Dei, à contemplatione mundi petitum, non penitus, imo nullo modo labefactaretur.

Monstramus mundum materialem, cum ad certam normam factus sit, & omnia in illo ad certum finem dirigantur, arguere sapientiam aliquam, quæ partes mundi ita disposuerit, & ordinaverit: Hæc sapientia cum in materia quæri non possit, dari Ens à natura distinctum, in quo hæc sapientia resideat, quodque propterea simul potentissimum & optimum sit.

Jam dicere, mundum ab æterno fuisse, nihil ad rem pertinet, quia non quæritur, quamdiu mundus fuerit? Sed quæritur, quis omnes mundi partes tam sapienter disposuerit? Si dicitur, nemo: Ergo sapiens illa dispositio sapientem caussam non habet, quod prorsus concipi non potest. Ordo erit pulcherrimus sine ordinante; dispositio sine disponente; effectus denique sine caussa. Si dicitur; aliquis; hic ipse aliquis Deus est. Effugium autem est, si dicitur, mundum & ejus dispositionem semper ita fuisse, non absimile effugio puerorum, qui interrogati, unde habeant rem sodalibus suis abreptam? respondere solent, se hanc jam diu habuisse.

Si mundus fuit ab æterno, ab æterno quoque fuit effectus sapientiæ i. e. dispositio innumerarum partium ratione carentium ad certam normam; directio omnium ad certum finem. Hic vero effectus sapientiæ, si fuit ab æterno, caussa sapiens fuit ab æterno, Deus. Non igitur quæri hic debet, num mundus materialis ita dispositus, uti nunc est, caussam habeat? Sed quando ita dispositus fuerit, aut disponi potuerit; an id factum sit, aut fieri potuerit ab æterno? An à caussa effectus hic ab æterno manaverit, aut manare potuerit?

Fingamus statuas illas, quæ à Setho positæ, in diluvio conservatæ dicuntur, etiamnum superesse, & quæri an ab homine aliquo positæ sint? Ridiculum esset, si quis responderet, illas statuas à nemine hominum constructas esse, sed jam ante diluvium extitisse; quia quilibet regerere posset; Quandocunque tandem constructæ fuerint, hominis opus sunt; nec quæritur, quando ab homine positæ sint, sed an positæ sint ab homine? Ita etiam, si mundus tam diu durasset, ut quodcunque principium mundi statueremus, multo illo principio esset antiquior; hoc non impediret, quo minus dicamus, mundum rationis opus esse; rationem propterea, quæ mundum produxit, existere aut extitisse.

Qui

Qui dicit, mundum *ab æterno* jam fuisse, nullam affert idoneam rationem, quare tam admirabilis sapientiæ caracteres in eo eluceant. Posito vero esse Deum, cuncta planissime explicantur; nulla hic manet obscuritas. Ens videlicet sapientissimum omnes istos fines, ad quos cuncta in hoc mundo tendere videmus, sibi proposuit. Sed dicere, ordinem istum in hoc universo semper obtinuisse, non est, respondere ad id, quod quæritur, sed potius quæstionem eludere. Quæritur enim, quare cuncta ita sint ordinata; possent enim aliter esse disposita; posset in hoc mundo regnare, non ordo sed rerum confusio.

Video pulcherrimum palatium; Quæro, quæ sit caussa tam admirabilis partium Symmetriæ. Respondetur mihi, id jam ante seculum ita extitisse. Num ad rem facit ista responsio? Et si quis seculo huic adderet adhuc decem, centum, mille alia, imo infinita secula, non mihi diceretur, id quod scire cuperem. Quæro enim, non, quamdiu jam steterit palatium; sed quare partes ejus tam apte & sapienter sint dispositæ, cum tamen longe alio modo potuissent disponi. Sin autem mihi dicitur, sapientem aliquem architectum cogitasse primo de idonea aliqua ædificii forma; deinde vero ad exemplar, quod animo conceperat, palatium istud exstruxisse. Si quis porro per omnia palatii conclavia me ducit, ostenditque, qua ratione architecturæ regulæ hic & ibi, imo nullibi non accuratissime sint observatæ. Tum demum ad rem mihi responsum, pleneque satisfactum esse sentio. Facilis est applicatio.

Sed omissa jam hac quæstione, num mundus ab æterno esse potuerit, demonstrabimus mundum ab æterno non fuisse, adeoque, habuisse initium; unde quoque necesse est habuisse caussam, quæ nulla alia esse potest nisi Deus.

Mundum autem incepisse, haud difficulter probari potest. Possent hic ante omnia innumera Scriptorum omnis generis afferri testimonia, quibus mundi novitas asseritur. Posset ostendi testimonia paucorum illorum, qui æternitatem mundi statuerunt, si comparentur cum innumerabili multitudine scriptorum contrarium statuentium, mundique *novitatem* asserentium, prorsus esse negligenda. Denique facile ex monumentis historicis monstrari posset, pleraque, quæ à vetustis historicis de origine mundi traduntur, supra initium Mosaicum non assurgere. Sed cum à multis hoc jam sit demonstratum, possumus huic labori supersedere. Videantur hac de re testimonia, quæ *Grotius* in libro *de verit. Rel. Christ.* collegit.

Audiamus modo *Lucretium* novitatem mundi ex novitate historiarum his verbis probantem;

> *Præterea, si nulla fuit genitalis origo*
> *Terraï & cœli, semperque æterna fuere;*
> *Cur supra bellum Thebanum & funera Trojæ,*
> *Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?*

 Quò

> *Quò tot facta virum toties cecidere? nec usquam*
> *Æternis famæ monumentis insita florent?*
> *Verum, ut opinor, habet novitatem; Summa recensque*
> *Natura est mundi, neque pridem exordia cepit.*

Novitati historiarum subjungit Poeta *artium & scientiarum novitatem*, & ex recenti harum inventione validissimum contra mundi æternitatem deducit argumentum, ita enim ille pergit:

> *Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,*
> *Nunc etiam augescunt; nunc addita navigiis sunt*
> *Multa: modo Organici melicos peperere Sonores?*
> *Denique natura hæc rerum, ratioque reperta est*
> N*uper, & hanc primus, cum primis ipse repertus*
> *Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.*

Addere porro his inventis mirabiliora quædam possumus, aut patrum aut avorum tempore inventa, ut pyxidis nauticæ usum, cujus subsidio & ingentia trajiciuntur maria, & novus mundus fuit detectus. Quæ enim adeo celebres apud Homerum Hesiodumque navigationes decantantur, ludi puerorum fuisse videntur, imò & quæ deinceps fuere, si illas cum hodiernis comparaveris.

Quid de tormentis bellicis, quid de arte bellica universa dicam, quæ nostro demum tempore perfectionem adepta videtur? An Poliorcetas antiquos æstimare licet? An quæ Aristoteles & Demosthenes temporibus suis ad belli usum inventa gloriantur, si cum nostris contuleris? Quid de typographica arte inventa? quid de Telescopio, quod tot de cœlo ante incomperta detexit, & nos longe propius ad astra promovit, quam si non modo *Pelion Ossæ*, sed terra etiam terræ aliquoties imponeretur? Quid de microscopio, quod in rebus minimis novum quasi mundum, nova animalcula, novas plantas, aliaque id genus, patefecit.

Addi quoque potest usus monetæ, qui temporibus primorum scriptorum incognitus fuit, & in novo orbe nullus est inventus, cum ea tamen ejus sit utilitas, ut posse deinceps intercidere non videatur. *Hæc omnia*, ut verbis utar *Macrobii*, *videntur æternitati rerum repugnare; dum opinari nos faciunt, certo mundi principio paulatim singula quoque cœpisse.*

Hujus vero argumenti ut vis videatur, lubet illud in compendium syllogisticum redigere. Si multa sunt recens ab hominibus inventa, ante iis prorsus incognita, tunc genus humanum & per consequens mundus quoque non fuit ab æterno. Atqui verum antecedens; Ergo & consequens. De *assumto* nullum prorsus est dubium. *Consequentia* vero *majoris* confirmatur ex eo, quia absurdum est dicere: homines nostris, aut patrum, avorum, proavorum &c. temporibus aliquid invenisse, quod homines infinitis seculis non

non potuerunt invenire. Sive enim ista casu inventa sint, sive ingenio; contra rationem est dicere, casum qui aliquando contigit, & contingere facile potest, infinitis ante seculis nunquam contigisse. Quanquam enim difficulter accidat, ut quis duodecim tesseras projiciens, non nisi duodecim puncta jaciat; si tamen quis per seculum integrum nihil aliud ageret, quam tesseras jacere, dubium non est, quin id sæpius contingeret. Sed quid seculum est, comparatum cum æternitate?

Si ingenio hominum inventum tribuitur, magis absurdum est dicere, homines innumerabiles non invenire potuisse, quod ingenio humano inveniri potest, cum tamen habuerint spacium infinitorum seculorum, de eo cogitandi, ut v. g. absurdum est dicere, ingenium omnium hominum, inde ab omni æternitate, non potuisse invenire artem typographicam.

Nihil contra hoc argumentum afferri potest, quam; hæc omnia, quæ nobis inventa recentia videntur, talia non esse, sed jam olim fuisse hominibus cognita; deinde iterum oblivione deleta: Ita ut nobis, qui historia rerum antiquarum caremus, recentia videantur; id quod fieri potuerit, propter migrationes populorum ex una regione in aliam, aut ob bella, morbos, incendia, diluvia, & similes clades.

Verum ad istam objectionem respondemus; talibus hodie orbem terrarum undique repletum esse inventis, ut concipi nequeat, quomodo tandem & quibus cladibus, omnium horum memoria possit obliterari; ex gr. inventio literarum, artis typographicæ, artis navigandi, pyxidis nauticæ; quæ in omnibus orbis partibus simul hodie usurpantur; in terra continente, in insulis, in aquis.

Ac sane si consideramus, qualis hodie sit orbis iste terrarum, quem habitamus, concipi prorsus nequit, qui fieri posset, ut omnia historiarum, artium, scientiarum monumenta ita obliterarentur, ut ne vestigium quidem horum omnium superesset.

Finge cladem aliquam quantumvis generalem. Fac diluvium fuisse universale. Quo modo per id totum genus humanum, duobus tantum aut paucis hominibus exceptis, potuisset extingui; cum hodie Oceanus, maria, lacus, fluvii, innumerabiles contineant naves, ad maximarum tempestatum vim sustinendam præparatas, omnibus rebus ad vitam necessariis abunde instructas, in quibus, haud secus ac in continente, reperiuntur omnia monumenta historica, libri omnis generis, integræ fere Bibliothecæ, homines omnium scientiarum, linguarum, historiarum, artium cum liberalium tum mechanicarum periti. Quale diluvium hæc omnia funditus delére, & ita delere posset, ut ne memoria quidem, non dicam horum omnium, sed ne præcipuarum quidem artium, hominumque generi maxime utilium conservaretur? Quale diluvium, omnes columnas, statuas, ligneas, lapideas, mar-

moreas, æneas; omnes inscriptiones, lapidibus, æri, omnis generis metallis incisas, omnes denique nummos, numismata, ærea, argentea, aurea, penitus extinguere posset, ut horum omnium ne minimum quidem maneret vestigium?

Quæ alia clades, quod incendium, qui terræ motus, quæ pestis ita totum genus humanum posset absumere, ut nihil amplius in hoc terra relinqueretur, quam pauci quidam homines, qui ne quidem memoriam tot præclararum artium, saltem præcipuarum maximeque necessariarum, conservare, posterisque tradere potuissent?

Respondeant hic athei. Dicant nobis ejusmodi aliquid quod hodie fieri posset. Fingant, supponant, vertant se in omnes partes. Nihil unquam invenient hoc nostro seculo fieri posse, quod tamen olim aliquando factum esse necessario ipsis est statuendum, si artium & scientiarum novitatis aliquam reddere volunt rationem.

Nec est quod dicant, eo tempore, quo terrarum orbis ab ejusmodi malo universali fuerit vastatus, nondum tot rerum monumenta extitisse. Si enim mundus fuit ab æterno, eo tempore, quo per ejusmodi cladem universalem genus humanum, cumque hominibus omnium historiarum, artium & scientiarum monumenta dicuntur esse deleta, artes omnes jam fuerunt inventæ, excultæ, perfectæ, non minus ac hodie excultæ & perfectæ esse possunt, uti ex supra dictis satis colligitur.

Deinde si talis dari posset caussa, quæ omnium historiarum, omnium artium memoriam ex orbe deleverit, sive diluvium universale aut universali proximum; sive tale incendium; illud aut naturalibus ex caussis in terra contigit, aut miraculosum est. Posterius dicere non possunt athei, contra quos disputamus, qui nullam caussam natura superiorem agnoscunt. At si prius dicunt, necesse est, ut quod naturaliter contingere potest, intra longissimum temporis tractum sæpius contigerit; ac proinde, licet statuamus illud saltem intra decies, centies, millies annorum myriades, aut si ampliorem numerum fingere volumus, semel contigisse; necesse est, ut inde ab æterno infinities contigerit. Jam si, cum semel hoc contigit, ægre quidem homines potuerunt conservari, qui genus humanum propagarent ulterius, quis credat fieri potuisse, genus humanum potuisse conservari, in decem, centum, mille, imo in infinitis ejusmodi diluviis & incendiis? Hoc certe tale miraculum esset, quo nullum majus excogitari potest.

☛ Quis enim non stuperet, qui audiret unum hominem centies lethaliter decubuisse, atque à medicis fuisse relictum, tanquam desperatæ salutis; & tamen etiamnum esse superstitem? Sed quid si hoc millies, quid si infinities contigisset. Sed tale aliquid statuendum est, si memoriam rerum omnium universali diluvio & incendio deletam esse credimus; ita tamen, ut pauci homines

mines, & ii ipsi, qui memoriam rerum propagare non potuerunt, superstites manserint. Quam facile & hi in universali clade intercidere potuissent; & quis id non futurum metuit, si denuo tale diluvium veniet, si venient decem, si centum, si infinita? Sane hoc qui credere potest, idem credat posse aliquem infinities projicere duodecim tesseras, ita ut singulis jactibus non nisi duodecim puncta jaciat. Hoc sane adeo ab omni verisimilitudine alienum est, ut haberi debeat pro simpliciter & absolute impossibili.

In tali igitur clade universali, si mundus fuisset ab æterno, non tantum omnes homines, paucis quibusdam exceptis, periissent, sed integrum genus hominum, ne unico quidem excepto, penitus fuisset deletum. Dubium enim non est, quin inter infinitos casus unus saltem fuerit, in quo nemo prorsus evasisset. Hoc vero si semel contigit, unde postea genus humanum de novo fuit productum, an casu & fortuito atomorum concursu? Sed absurdam esse hanc Epicuri hypothesin supra demonstravimus. Igitur vel nulli jam in terrâ essent homines, vel à causa aliqua omnipotente, quæ nulla alia esse potest nisi Deus, de novo fuissent creati.

Et hoc ipsum quoque respondet *Lucretius* ad objectionem eorum, qui, non obstante artium & scientiarum novitate, nihilominus mundi æternitatem asserebant; ita enim ipsorum argumenta retorquet:

Quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis,
Sed periisse hominum torrenti sæcla vapore,
Aut cecidisse urbeis magno vexamine mundi,
Aut ex imbribus assiduis exisse rapaceis
Per terras amneis, atque oppida cooperuisse:
Tanto quippe magis victus fateare necesse est,
Exitium quoque terrai, cælique futurum:
Nam cum res tantis morbis tantisque periclis
Tentarentur, ibi si tristior incubuisset
Caussa; darent late cladem, magnasque ruinas.

RESPONSIO AD QUÆSTIONEM;

NUM THEOLOGIA SIT THEORETICA, AN MERE PRACTICA, AN THEORETICO-PRACTICA?

SUNT inter Theologos noſtros, qui ex Theologia faciunt *habitum mere Practicum.* Sunt alii, qui faciunt habitum *Theoretico-Practicum.* Sed hæc mera eſt Logomachia. Qui enim Theologiam habitum mere practicum faciunt, reſpiciunt ejus *finem* qui praxis eſt; ad quem nihil eſt in Theologia, quod non tendere debeat. Qui faciunt illum habitum Theoretico-practicum, reſpiciunt ejus *objectum*, quod partim eſt θεωρητὸν, partim πρακτὸν; quatenus enim Theologia agit de Deo, de rebus divinis, aliiſque hujuſmodi, quæ non ſunt *in nobis* & noſtra poteſtate, aut eorum quæ ſunt ἐφ' ἡμῖν, objectum ejus eſt θεωρητὸν; Deus enim & ejus opera non ſunt ex iis, quæ *à nobis* fiunt aut fieri debent. Quatenus autem agit de amore Dei & proximi; de fide, ſpe, charitate, &c. objectum ejus eſt πρακτὸν; hæc enim ſunt, quæ *à nobis* fiunt & fieri debent. Jam multis diſputare, num de diſciplina aliqua judicandum ſit ex *objecto* ejus, an potius ex *fine*, eſt diſputare de lana caprina: nemo enim non videt, hoc eſſe in judicantis arbitrio poſitum.

Alio tamen ſenſu moveri poteſt hæc quæſtio, quo ſenſu non modo Logomachia non eſt, ſed quæſtio maximi momenti. *An is Theologus ſit*, ſive Theolo-

Theologiæ habitu imbutus; (fidei habitum hic à Theologia non distinguimus) *qui mere Practicus sit; an is qui mere Theoreticus sit; an vero utrumque requiratur?*

Utrinque non desunt nobis adversarii. Sunt qui Theologiam mere practicam statuunt; & hi sunt omnes illi, qui, dummodo pie & Christiane vivamus, cognitionem articulorum fidei, ejusque mysteriorum, ad salutem non valde desiderant.

Nostra sententia est, *praxin* Theologiæ niti debere *sana Theoria*, quæ nisi adsit, inanis omnis sit praxis. Hoc vero probatur

1. Ex *S. Scriptura*, quæ requirit ab homine cognitionem. *Hæc est vita æterna, ut Te* COGNOSCANT &c. COGNITIONE *sui justificabit justus servus meus multos*; unde etiam vocatur ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας; & σοφία, σοφία ἐν μυστηρίῳ; Hinc quoque tanquam magnum beneficium prædicatur de Apostolis, quod iis datum sit, NOSSE *mysteria regni cælorum*; quod SCIANT *veritatem*, & SCIANT *omnia*,

Joh. XVII. 3. Esaï. LIII. 11. Tit. I. 1. I. Cor. I. 7. Matth. XIII. 11. I. Joh. II. 20. 21.

2. Si sola praxis esset ad salutem sufficiens, in S. Scriptura nulla nobis traderentur dogmata, non tam multis explicarentur; sed sufficeret ferre leges vitæ; sufficerent in Epistolis Apostolorum paræneses, quæ vulgo explicationi dogmatum subjiciuntur. Quid opus esset multas tradere doctrinas, si non ad rem faceret, quid Christiani sciant, sed tantum quid agant? Diceret nobis tantum Scriptura, quid sit agendum, non item, quid sit credendum.

3. Praxis theoriam necessario requirit, alioquin cæca praxis esset. Tota Theologiæ praxis versatur in cultu Dei, ad cujus gloriam nisi dirigantur opera homines legi congruentissima, legi congruentia non sunt. Jam Deum nisi rite cognoscamus, illum colere non possumus; aut enim colimus Deum ignotum, ut Athenienses, qui altare exstruxerunt ἀγνώστῳ θεῷ, aut alium colimus loco Dei, quod in lege diserte prohibetur.

Act. XVII. 23.

4. Scriptura S. vult, ut homines non tantum vita à se invicem secernantur, sed etiam doctrina. Unde præcipua *nota Anti-Christi*, non in vita modo, sed vel præcipue in doctrina; *Probate*, inquit Johannes, *Spiritus, an ex Deo sint.* Unde vero probari debent? non ex vita; sed ex doctrina; *quicunque Spiritus profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo est. At quicunque spiritus non profitetur, Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est, sed hic est ille Spiritus Antichristi, quem audistis venturum fuisse, & qui jam nunc in mundo est.*

I. Joh. IV. 1. 2. 3. 4

5. Deus nobis non tantum dedit voluntatem ad faciendum, quod nos facere jubet, sed etiam intellectum, sine dubio ad se cognoscendum. Deus enim omnia facit propter se. Unde sequitur eos intentioni Dei non respondere, qui ipsum non cognoscunt, & propterea, cognitionem Dei non minus necessariam esse, quam ejus cultum.

6. In ipsa theoria aliquo modo praxis est Theologiæ. In hoc enim consistit omnis praxis, ut Deum actu glorificemus. Jam si Deum rite cognoscimus, ejus perfectiones, ejus opera, hoc ipso illum glorificamus in intellectu nostro. Dicere igitur ἀδιάφορον esse, quid in religione sentiamus, dummodo recte vivamus, idem est ac si quis diceret, ἀδιάφορον esse, Deum in intellectu glorificare, dummodo illum glorificemus voluntate. Quid quod cognitio Dei, si talis est, qualis esse debet, necessario post se trahit eos affectus, quibus potissimum Deus à nobis glorificatur, admirationem ejus, honorem, amorem, timorem, fiduciam; quemadmodum contra ignoti nullus esse potest neque amor, neque honor, neque timor &c.

7. Si in theoria praxis est; in praxi non minus est theoria. Ideo bona est praxis, quia nihil aliud est, nisi vera testificatio bonæ theoriæ, certior longe quam quæ fit verbis. Ideo timor Dei bonus est, quia Deum timendo agnoscimus ejus justitiam & potentiam; ideo amor bonus est, quia Deum amando testamur summam ejus bonitatem; ideo bonæ sunt preces, quia his testamur perpetuam nostram à Dei providentia dependentiam. Ideo humilitas, quia ita testamur, Deum solum honore dignum; ideo obedientia, quæ cætera omnia officia comprehendit, quia hac ratione testamur absolutum Dei in nos dominium; ideo fiducia in Christum, quia hac ratione testamur, gloriam sanctificationis & salutis nostræ, soli Dei misericordiæ, Christique merito deberi &c.

Denique, si quis theoriam à praxi separat, tanquam minus necessariam, aufert à Theologia præcipuum, imo unicum ad pietatem motivum. Quid enim nos movere debet ad praxim, quam vera rerum salutarium theoria? *Empti estis τιμῆς*; En theoriam totam doctrinæ salutaris; ergo *glorificate Deum corpore & spiritu vestro*; En totam praxin ex hac theoria fluentem.

I. Corinth. VI. 20.

Probavimus hactenus Theologiam nostram *non esse mere practicam, sed etiam theoreticam*. Nunc probabimus *illam non esse mere theoreticam, sed & practicam*.

Dicet aliquis; quem in finem istud? Suntne hic nobis adversarii, qui ita statuant, præter veteres *Antinomos* & *Libertinos*, quorum hæresis adeo absurda est, ut neminem sanum hodie sectatorem habeat.

Utinam nemo esset præter istos! Sunt nimis multi pestilentissimæ huic hæresi addicti. Theologiam mere theoreticam esse putant omnes illi Theologi, quibus θεολογεῖν nihil aliud est, quam de rebus sacris disserere; qui artem nostram in disputando, & altercando positam existimant; qui tum sibi placent, si nodos difficiles nihil ad salutem facientes modo nectere, modo dissolvere, atque in hoc ingenium eruditionemque ostentare possunt.

In hac hæresi sunt illi, qui Theologos se esse existimant, cum acerrime invehuntur in errores, vitia neque in se, neque in aliis increpant. Qui propu-

propugnant veritatem verbis, ſed opere oppugnant. Qui propugnant Servatoris noſtri divinitatem adverſus hæreticos, ſed longe minus ejus præceptis obediunt, longe minus eum amant, atque illi ipſi, qui eum ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe ſtatuunt. Qui propugnant veram de providentia Dei doctrinam, ſed in nulla re ſanctiſſimæ huic providentiæ ſe permittunt; ſed ita vitæ rationem inſtituunt, ac ſi homini omnia agenda eſſent, Deo nihil. Qui defendunt doctrinam de gratia, refellunt doctrinam de operum meritis, de viribus liberi arbitrii; ſed ita ſuperbiunt, ſi quid boni faciunt, ac ſi omnia feciſſent, vel omnia facerent, nihil Deus; ac ſi non modo virtutes, ſed vitia etiam ſua totidem merita eſſent. Qui probant nullum peccatum eſſe veniale, ſed vivunt, ac ſi nullum non veniale eſſet. Qui probant imputationem peccati Adami, ſed vita vix propriorum peccatorum imputationem ſe ſtatuere teſtantur. Et quis omnes in hanc partem peccantes enumeraret?

Theoreticam mere Theologiam eſſe ſtatuunt, qui Miniſtros Dei formaturi, docent eos diſputare, docent eos neſcio quos hæreticos refutare, quos nunquam forte ſunt viſuri; non docent vivere; non docent, qua via gregis exemplar quondam ſint futuri.

In hac hæreſi ſunt Parentes, qui cum filios ad S. Miniſterium deſtinant, id tantum explorant, ſi modo aliquid in iis explorant, num ingenio & memoria ſatis ſint ad hoc ſtudium inſtructi; non explorant, qua ratione propendeant, ad humilitatem, manſuetudinem, patientiam, amorem Dei rerumq; ſacrarum; aliaque quæ Miniſtro verbi divini magis atque eruditio ſunt neceſſaria.

In hac hæreſi ii ſunt Theologiæ Studioſi, qui credunt in eruditione ſibi quotidie eſſe proficiendum, de profectu in pietate non ſolliciti; qui exiſtimant in hoc ſolo Studioſum Theologiæ à cæteris dignoſci, quod ſit in controverſiis fidei exercitatior, in diſputando pugnacior, in urgendo pertinacior; non in hoc etiam, quod cæteris ſit modeſtior, temperantior, humilior, æquior; pacis, charitatis, Dei denique, cui ſingulari ratione conſecratus eſt, amantior.

Hi omnes, quicquid demum dicant, tamen revera Theologiam HABITUM MERE THEORETICUM ESSE CREDUNT, ET IN ANIMO SUO DICUNT; qua vix alia peſtilentior in tota Theologia hæreſis eſt. Non deſunt igitur quos refutemus, adverſarii. Optandum tantum eſſet, ut tam eſſet facile eos mutare, quam facile eſt eos refutare.

Theologiam *non modo theoreticam, ſed & practicam eſſe* probant.

1. Innumera *Scripturæ loca.* Quando vocatur à Paulo ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, quando myſterium religionis vocatur μυστήριον τῆς εὐσεβείας. Lex requirit praxin. *Non enim, qui audiunt legem juſti ſunt apud Deum, ſed qui legem* PRÆSTANT *juſtificabuntur. Si vis ad vitam ingredi,* SERVA MANDATA. Sed & Evangelium requirit praxin, fidem & charitatem. *Hoc eſt igitur ejus mandatum, ut credamus nomini filii ejus Jeſu Chriſti, &* DILIGAMUS

Tit. I. 1.
I. Timoth. III. 16.
Roman. II. 13.
Matth. XIX 17.

Pp 2 *alii*

I. Joh. III. 23. Joh. XIII 17. Joh. XV. 14. Matth. VII. 21. I. Tim. I 5.

alii alios, sicut ipse mandavit. Si hæc noveritis, beati estis, si illa FECERITIS. *Vos amici mei estis, si* FECERITIS *quæcunque ego mando vobis. Non omnis qui mihi dicit: Domine, Domine, veniet in regnum cœlorum; sed is, qui* FACIET *voluntatem Patris mei. Finis mandati est charitas, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non simulata.*

I. Corinth. XIII. 1. 2. Jerem. XXII. 15. 16. I. Sam. II. 12.

Huc pertinent illa loca, quæ probant, Theoriam sine praxi nihil prodesse. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans aut cymbalum tinniens; Et si habeam prophetiam & noverim mysteria omnia, omnemque cognitionem, & si habeam totam fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Idem probant illa Scripturæ loca, quæ dicunt, Theoriam sine praxi non esse veram theoriam; notitiam sine praxi non esse veram notitiam. *An non pater tuus comedit & bibit, & fecit justitiam & judicium, & tunc bonum ei fuit. Judicavit judicium pauperis & egeni, & tunc bonum ei fuit; nonne hoc est nosse me, dixit Jehova?* Item illud: *Filii Eli erant filii Belial, non agnoscebant Jehovam.*

I. Joh. II. 4. & IV. 8. Jacob. II. 19.

In eandem plane sententiam Johannes. *Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, is mendax est, & veritas non est in eo. Quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit eum; qui non diligit, non novit Deum.* Ratio hujus rei manifesta est: notitia enim Dei, si vera est, non potest non in homine producere affectum amoris, timoris, honoris; in quibus omnis praxis consistit. Si, ne in Diabolis quidem Dei cognitio sterilis est, qui quoties *Deum esse credunt; contremiscunt*, quid non in hominibus producere potest vera & *salutaris cognitio?*

Prov. I. Joh. XIV. 21. Psal. XXV. 14. Joh. VII. 17.

Eo in primis faciunt illa loca, quæ praxin ad veram theoriam viam esse volunt. Mira hæc res est, non venitur ad praxin, nisi per theoriam; sed eadem praxis ad veram & salutarem theoriam viam sternit. Altera alterius opem poscit, & ita amice inter se conspirant. Vultis, Auditores, brevi magnos in Theologia facere profectus; optimum compendium, secundum scripturam, est timor Dei. *Timor Dei caput & initium omnis sapientiæ.* Vultis cognoscere Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, audite Servatorem ipsum; *Qui habet mea præcepta & ea retinet, is est, qui me diligit; qui autem me diligit, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & me conspiciendum præbebo ipsi.* Vultis maxima Religionis mysteria cognoscere, audite Psaltem: *secretum Domini est timentibus ipsum.* Vultis de divinitate Religionis vestræ plene esse persuasi; audite eundem Servatorem: *Si quis velit voluntatem ejus facere, qui misit me, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquar.* Gravia hanc in rem sunt verba *Gregorii Nazianzeni*; Βούλει θεόλογος γενέσθαι ποτὲ καὶ θεότητος ἄξιος; τὰς ἐντολὰς φύλασσε; διὰ τῶν προσταγμάτων ὅδευσον & quæ sequuntur.

Neque

Neque vero hujus rei ratio obſcura eſſe poteſt. Quot ſunt Theologo cognoſcenda, quæ non niſi à pectore pleno pietatis cognoſci poſſunt? Deum ſummum eſſe hominis bonum, in hujus gratia ejuſque ſenſu omnem eſſe conſcientiæ tranquillitatem & pacem, quæ omnem ſuperat intellectum; Quid ſit illud ex peccatorum ſenſu oriens Servatoris deſiderium; quomodo homo ex deſiderio iſto deprehenſo de ſalute ſua certo perſuaſus eſſe poſſit. De hoc niſi vere pius nemo quicquam rite cognoſcit; aut ſi hac de re loquitur, loquitur tanquam cæcus de coloribus.

Omnes theologicæ demonſtrationes, ſunt demonſtrationes ad conſcientiam: hæc niſi talis ſit, qualis eſſe debet, vim demonſtrationum non percipit. Quo modo Theologus appellari poteſt, qui *homo eſt animalis*? de quo Apoſtolus dicit; eum *non percipere ea quæ ſunt ſpiritus Dei*; eſſe *ei ſtultitiam, noſcere non poſſe.*

I. Corinth. II, 13.

EXAMINATUR QUÆSTIO,

Utrum habitus Theologiæ, qui debet esse in Ministro Ecclesiæ, an qui esse debet in Doctore Academico, plura requirat?

CUM *habitus* Theologiæ *stricte sic dictus* sit vel Ministrorum in Ecclesia, vel Doctorum in Schola; quæri hic non inutile est, quisnam horum habituum plura requirat? Plusne requiratur ad habitum Ministri in Ecclesia, an ad habitum Doctoris in Schola?

Quæstio non est, quid fiat, aut quid requiratur *de facto*; non enim negare possumus, plura vulgo à Doctore in Schola, quam à Ministro in Ecclesia requiri, cujus quidem rei duæ mihi videntur præcipue rationes. 1. Quia Ecclesia Dei longe pluribus indiget Ministris in Ecclesia, quam Doctoribus in Schola; unde est, quod interdum tales ad Ecclesiam docendam adhibere cogitur, quales reperit; non quales esse deberent. Et hinc illa persuasio invaluit, habitum Ministri Evangelici rem esse non admodum difficilem; cum non difficile sit, eo pervenire, quo multi ex iis perveniunt. Doctoris autem Theologi contraria ratio est. Quia enim Ecclesia Doctoribus utitur paucissimis, facile est, eos tantum ad hoc munus admovere, qui reliquis eruditione præstare videntur.

2. Alte-

2. Altera hujus rei ratio est, quod Academiarum scopus sit, in vocandis Doctoribus, splendor & gloria Academiæ. Hinc eos vocant, qui eruditione cæteris præstant, quique Academiæ maxime honori sunt; qui nominis celebritatem sunt adepti; quique frequentiorem reddere possint Studiosorum in Academiam confluxum. Hic autem scopus in Ministrorum vocatione aut nunquam est, aut raro. Quæritur is, qui cœtui pascendo sufficiat; quæ res quanquam non minus difficilis sit, quam quod à Doctore Theologo requiritur, minus tamen habet ostentationis; præsertim si verbi divini Minister, inutiles illas quæstiones, quibus Cathedræ Academiarum perstrepunt, & quæ non alium finem habent, nisi ut discipuli majoris eruditionis opinionem de Doctore suo concipiant; si, inquam, illas quæstiones ædificationis gratia omittit.

3. Tertia ratio est, quia existimatur, tantum à quolibet requiri, quantum Auditores ab ipso exigunt. Unde est, quod existimant, longe plura requiri à Doctore Academiæ cujus auditores sunt homines litterati; & non modo Studiosi, quorum sunt, qui magnos jam fecerunt profectus; sed Doctores etiam nonnunquam, aliique homines eruditi, quibus longe difficilius sit, satisfacere, quam auditoribus rudibus, illiteratis, plebejis, rusticis, aliisque; quasi scopus noster non alius esse deberet, quam approbatio & applausus auditorii.

4. Quia in his habitibus ad nihil aliud attenditur, nisi ad eruditionem, quæ major requiritur ordinario in Doctoribus, quam in Ecclesiæ Ministris; quasi sola eruditio Theologum faceret; quasi reliqua, quæ præter hanc exiguntur, faciliora essent, & facilius acquirantur, quam eruditio.

5. Quia ipsa eruditio non tam in solida Theologiæ cognitione, in Scripturæ intelligentia, ponitur, & aliis scitu utilibus, quam in arte disputandi, in subtilitatibus non necessariis, in applicatione distinctionum & terminorum Scholasticorum, in difficultatibus criticis, Chronologicis, Philologicis, Historicis; in enodatione quæstionum curiosarum; in enumeratione omnium ineptarum controversiarum, quæ ab hominibus vanis sunt in Theologiam introductæ.

Hæc, inquam, caussæ sunt, quod vulgo plus requiratur à Doctore Theologo, quam ab Ecclesiæ Ministro. Sed si quærimus à quo plus requiratur *de jure*; aliter nobis respondendum est. Sane si Ministrum Ecclesiæ consideramus *in idea*, qualis esse debet, eumque comparamus cum Doctore Academico eodem modo considerato, habitus Ministri difficilior nobis videtur, quam Doctoris, quod haud difficile nobis est demonstratu.

Quod ad eruditionem utilem & præcipue æstimandam attinet, eadem ab utroque requiritur; nihil enim Doctor in Academia docet, nisi quod discere Auditoribus suis; i. e. futuris Ecclesiæ Ministris, est utile; nisi quod illi non modo scire, sed data occasione, adhibita tamen, quam Auditorii diversi-

tas

tas exigit, prudentia, docere debeant. Si in Academiis alia docentur, nescio quare doceantur?

Sed, inquis, Ecclesiæ Minister incidit aliquando in Auditores ineruditos; ad hos docendos non magna requiritur eruditio.

Resp. Non magna requiritur eruditio, ad conciliandam sibi apud imperitos Auditores eruditionis opinionem, qui scopus Ministri non est; sed requiritur, ad homines eruditos ex rudibus faciendos; imo plus requiritur hic quam eruditio: requiritur, ut cum hac sit conjuncta magna quædam solertia, quæ religionis mysteria stupidissimis reddat intelligibilia. Requiritur magna prudentia, ut eruditionem Minister ad captum Auditorum ita attemperet, ut stupidissimi inveniant, quæ capiant, & eruditi, quæ discant.

Non igitur video, quare major requiratur eruditio à Doctore Scholastico quam à Ministro Academico, cum ille sit propter hunc, & ideo Doctor doceat, ut Ministrum formet, aptumque reddat, ad munia sua obeunda; nihilque in Theologia tam sit difficile, si modo usum aliquem habet, quod Ministro scire non æque sit utile atque Doctori Acadedemico, quodque aliquando Auditoribus suis, aut publice aut privatim, non inculcari possit.

Sed si eruditione ea, quam diximus, æquales esse debent; multa sunt, quæ longe magis à Ministro, quam ab Academico Doctore requiruntur. Requiritur eloquentia in Concionibus sacris; requiritur prudentia in iis ad tot diversissimos Auditorum captus attemperandis; requiritur gravitas in regendo cœtu sibi commisso; requiritur severitas, in exercenda disciplina, cum mansuetudine conjuncta. Requiritur ars singularis in consolandis ægrotis, iisque ad decretoriam illam horam rite præparandis. Requiritur cognitio Auditorum suorum intima; cognitio cordis humani, omniumque ejus motuum; enodatio innumerorum conscientiæ casuum, qui tibi ab Auditoribus tuis proponi possunt; omnium casuum, qui quotidie occurrunt in regimine, in disciplina, aliorumque plurium, quæ ad prudentiam Ecclesiasticam sunt necessaria. Postulatur perpetua quædam vigilantia; studium perpetuum corrigendi & emendandi seipsum & suos; ne quid Auditores in se & in suis animadvertant, quod omnibus dictis suis & factis pondus auferat. Poscitur denique cura animarum, quas ad salutem Minister adducere debet.

Hæc omnia à Ministro longe magis, longe majori gradu requiruntur, quam à Doctore Academico. Hic, Auditor. hic est ille habitus, ad quem tendunt ii, qui Deo in Ecclesia servire volunt. Nemo igitur existimet, rem levem esse *Episcopatum*, quem Apostolus *rem pretiosam* vocat. Nemo in hoc comparando negligens sit. Nemo dicat: Non est, quod studiis impallescam; nolo Doctor fieri; dummodo eousque proficiam, ut rusticis hominibus & plebejis concionari possim; salva res est; ad majora non adspiro. Idem est, ac si quis

I. Timoth. III. 1.

ſi quis diceret; Nolo ſtudioſis ſyſtema Theologiæ explicare; hoc ſuperat captum; rem multo leviorem animo agito. Quid igitur? Volo tantum numeroſum hominum cœtum, fortaſſe ex multis millibus conſtantem, tot homines, qui meæ aliquando credentur curæ, pios, Chriſtianos reddere, eosque, quantum id homo facere poteſt, convertere ad Deum; à damnationis periculo abſtrahere, atque ad ſalutem æternam adducere; hac re levicula contentus ero; ad majora non adſpiro; ad hoc nullis ſtudiis & vigiliis opus eſt. Quis non videt, ita loqui eſſe ridiculum?

Doctores in Scholis ſunt ſimiles Laniſtis, & gladiatoriæ artis Magiſtris, qui milites pugnare docent, ipſi non pugnant. Miniſtri ſunt ſimiles militibus, qui non in umbra delitescunt, ſed qui revera in aciem prodeunt, ſerio dimicant; Quis non plus ab his, quam ab illis requiri dicat?

Poſſem innumera hujusmodi congerere, ſed hæc ſufficiant. Neceſſario autem hoc inculcandum eſſe duxi, quia vulgo in magno errore hac in re verſantur homines; qui error valde noxius eſt, tum Miniſtris ipſis, tum auditoribus eorum, qui contemtim de eorum labore ſentiunt; tum, quod maxime ad hunc locum pertinet, iis qui ad Sacrum Miniſterium adſpirant, qui non eam adhibent in ſtudio hoc diligentiam, quam requirit habitus, ad quem tendunt, omnium difficillimus; in quo acquirendo, ſi quid negligimus, noſtra culpa eſt, ſi ſuo tempore minus apti ſumus ad curam animarum, ad ſalutem auditorum noſtrorum, ad gloriam Dei regnumque eius propagandum & promovendum. Quanta autem hæc culpa ſit, quilibet veſtrum, me tacente, exiſtimare poteſt.

DIALOGUS
IN QUO EXPLICANTUR SENTENTIÆ SCHOLASTICORUM DE CONCURSU DEI CUM CREATURIS.

Philalethes. *Doxasta.*

Phil. DIc mihi, *Doxasta*, num, quando te coram Deo, ut nos Christiani loquimur, humilias; credendum tibi putes, te purum putum nihil esse; an ad hoc satis esse ducas, si ex animo agnoscis, te nihil esse, nihil habere, quod non à Deo acceperis; hæcque omnia, quæ à Deo habes, nihil esse, si cum Deo comparentur, iisque quæ in Deo sunt?

Dox. Quorsum hoc ex me quæras nescio; sed quando vis, ut tibi respondeam, dico; posterius hoc sufficere. Quod si enim & prius ad Christianam humilitatem foret necessarium, posceretur ut falsum de me credam. Recte autem *Bernhardus*; *Humilitas*, inquit, *præter veritatem non est laudabilis*; & *Augustinus*; *quomodo*, ait, *est humilitas, ubi regnat falsitas?*

Phil.

Phil. Ergo si inter innumera, quæ Deus tibi largitus est, dedisset quoque aliquam agendi *potentiam*; humilitas à te non posceret, ut, te nullam habere credas.

Dox. Hoc si crederem, non modo me ipsum fallerem, sed in Deum ingratus essem.

Phil. Quid igitur, ad tuendam humilitatem, tibi hac in re credis necessarium?

Dox. Ut agnoscam, hanc meam, quæcunque sit, *potentiam*, merum Dei donum esse, sed tale donum, quod, si cum Dei omnipotentia conferatur, nihil sit.

Phil. Intelligo. Sed dic mihi. Putasne serio, te aliquam agendi *potentiam* à Deo accepisse?

Dox. Quomodo id negare possem, quod singulis prope momentis sentio, & quod omnes homines mecum sentire, existimo?

Phil. At fortassis hac in re non *sensus*, sed *ratio* audienda est.

Dox. Quænam ista tam valida ratio esse potest, quæ efficiat, ut, quod perpetuo in me esse sentio, in me esse non credam?

Phil. *Creatura* es; forte in creaturam ne quidem *agendi potentia* cadere potest; forte in hanc cadit sola *passio*, atque agere solius Creatoris est; prorsus ut Deo ipsi ἀδύνατον fuerit, aliquam agendi potentiam tibi impertiri.

Dox. Isto sane modo humilitas non modo requireret, ut me ipsum abnegem, sed ut abnegem Dei omnipotentiam. Quid? Ille, qui solo imperio, quicquid usquam est, ex nihilo produxit, inter entia, quæ fecit, innumerabilia, ne uni quidem vel tantillam agendi potentiam donare potuit? Quantæ temeritatis est, infinitam Dei potentiam ita limitare, ut, posteaquam agnovimus, illum fecisse opus, quo nihil magis rationis captum superat; Eundem mox, quasi exhaustæ essent ejus vires, negemus ulli tot substantiarum, modo tam incomprehensibili à se factarum, vel minimam agendi potentiam superaddere potuisse? Quantæ denique impudentiæ est, hanc tam temerariam assertionem pro re adeo certa venditare, ut propterea omnes homines sensui suo renuntiare jubeamus, & dubitare, num id revera sibi insit, quod nullo non temporis puncto omnes & singuli sibi inesse sentiunt?

Phil. Gaudeo, te tanto fervore oppugnare sententiam, quæ & mihi temeraria & absurda videtur.

Dox. Et ego gaudeo, te ab hac tam temeraria opinione abhorrere. Quod si enim te illi vel tantillum favere cernerem, ostenderem, quam sit non modo absona, sed omni religioni & virtuti adversa.

Phil. Qua in re illam virtuti adversam judicas. Nam tametsi illi minime faveam, cupio tamen & hoc breviter & ὡς ἐν παρόδῳ audire.

Dox. Si Deus nullam homini agendi potentiam dedisset aut dare potuisset; quomodo illi unquam legem ferre potuisset, & in ea actiones alias præcipere, alias prohibere? Et si nulla lex esset, quodnam esset boni & mali discrimen, quæ virtus, quod vitium? Quomodo Adam in *primævo statu*

bene & male *agendi facultatem* habuisset? Quomodo per peccatum, bene agendi facultate amissa, relicta illi fuisset sola potentia male agendi? Quomodo illa in *regeneratione* ex parte, & plene in altera vita restitueretur? Hæc omnia, quæ tanto consensu à Christianis Theologis affirmantur, verba essent nihil significantia; si Deus neque homini, neque alii ex creaturis suis quocunque in statu, ullam bene maleve agendi potentiam dedisset, aut dare potuisset.

Phil. Satis est. Jam video, quid periculi religioni esset metuendum, si hæc opinio invalesceret, quæ hominibus, ademta omni potentia, solam patiendi facultatem relinqueret. Sed quando illa creaturis negari non potest, quæro ex te num Deus postquam agendi potentiam creaturæ dedit, hic subsistat, & cum ista revera agit, nihil ulterius ad ejus actionem conferat.

Dox. Necesse est primo, ut non modo creaturam, sed quam semel ipsi dedit potentiam agendi, *usque ad actus momentum*, & *in ipso actu* conservet & sustentet.

Phil. Agnosco hoc necessarium esse, sed num istud sufficit?

Dox. Hoc sufficere credidit olim *Durandus*, vir magni inter Scholasticos nominis; sed hæc ejus sententia, tanquam Deo non satis tribuens, unanimi prope consensu in Scholis rejecta est & explosa.

Phil, Quid igitur amplius ad. *actum* creaturæ requiritur?

Dox. Requiritur *immediatus Dei concursus* cum ipso actu.

Phil. In quonam consistit iste *concursus*?

Dox. Ut Deus *potenti suo influxu*, non modo creaturæ potentiam, sed ipsum ejus actum immediate contingat, eumque ita una cum creatura producat.

Phil. Num tu & hoc ad actum creaturæ necessarium judicas?

Dox. Ita sane statuendum est; nam alias Deus non esset *caussa immediata* actus sed tantum potentiæ; & cum *actus entitas* sit distincta ab *entitate potentiæ*, Deus non esset *prima* & *immediata* omnium rerum caussa.

Phil. Video aliquo modo, sed, ut verum fatear, tanquam per nebulam, quare *Durandi* opinio in Scholis rejiciatur. Sed num iste Dei immediatus ad actum concursus sufficit, ut tandem creaturæ actus sequatur.

Dox. Sufficit, si modo agnoscas, eum non modo simultaneum, sed etiam prævium esse.

Phil. Expecta quæso; ne me obrue distinctionibus. Vix percipere potui utcunque discrimen inter immediatum influxum in *entitatem potentiæ*, & influxum *attingentem entitatem actus*; & tu mihi jam loqueris de concursu *prævio* & *simultaneo*.

Dox. Superest hæc una distinctio, ad quam intelligendam aliquantulum attentionis & patientiæ tibi opus erit, & nihil præterea in hoc argumento erit difficultatis.

Phil. Hac spe fretus intendam ingenii vires; tu modo explica hanc distinctionem, quam potes, clarissime.

Dox.

Dox. *Scholastici* circa hoc, de quo loquimur, argumentum in duas factiones sunt divisi. Alii statuunt creaturam agere nunquam posse, nisi Deus illam ad ipsum actum *virtute sua omnipotenti* impellat, moveat, &, ut loquuntur, *physice prædeterminet* aut *præmoveat*. Alii negant hujus *physicæ prædeterminationis* necessitatem, cum ob alias rationes, tum præcipue, quoniam existimant, hac posita, omnem *agendi libertatem* creaturis adimi, omnesque earum actiones, nullo discrimine, ita necessarias reddi, ut earum omissio sit impossibilis. Quemadmodum contra omnes actiones, quæ non fiunt, ita convertantur in actiones *simpliciter impossibiles*. Eorum, qui priori sententiæ addicti sunt, agmen in Ecclesia Romana hodie ducunt *Dominicani*; posteriori Jesuitæ.

Phil. Sed quid istud *Scholasticorum* dissidium ad distinctionem inter concursum *prævium* & *simultaneum*?

Dox. Audies. Illa *prædeterminatio physica*, quam *Dominicani* requirunt ad omnem creaturæ actum, nihil aliud est, quam *concursus Dei prævius*. Quem cum *Jesuitæ* & alii negarent, ne viderentur cum *Durando* immediatum Dei concursum cum ipso creaturæ actu prorsus tollere, quod valde in Schola invidiosum fuisset, ad distinctionem concursus *prævii* & *simultanei* confugiendum erat, & dicendum, se concursum *Dominicanorum prævium* negando, agnoscere tamen concursum *simultaneum*.

Phil. Sed quomodo hunc concursum *simultaneum* intelligunt?

Dox. Volunt, Deum creaturæ, à se aut ab alia creatura, determinatæ ipso determinationis momento statim adesse influxu suo, & quidem *influxu* actum *immediate attingente*, eundemque *numero* actum una cum creatura ita producere, ut totus actus sit *immediate à creatura* & totus simul *immediate à Deo*; ab illa, tanquam à *caussa secunda*; ab hoc, tanquam à *caussa prima*. Illi vero, qui ultra *simultaneum* hunc concursum, prævium quoque requirunt, hoc volunt, creaturam nunquam agere posse, nisi à Deo ad id ipsum, quod agit, moveatur, impellatur, atque, ut loqui solent, *physice prædeterminetur*, prædeterminatione *tam efficaci*, ut, ea posita, actus in creatura non possit non existere.

Phil. Video, *Scholasticos* in hoc argumento magna cum subtilitate disputasse. Ego, tametsi gloriari non possim, me ea, quæ modo explicasti, clare & distincte percipere, cupio tamen ex te scire, quamnam tu ex istis opinionibus amplectaris.

Dox. Postremam sententiam de *physica* Dei *determinatione* ad omnes creaturæ actus necessaria, maxime orthodoxam, & Deo, qui prima rerum omnium caussa est, dignissimam judico.

Phil. Credis igitur, creaturam nihil agere posse, nisi ad ipsum actum à Deo moveatur, impellatur, &, ut *Scholastici* tui loquuntur, *physice* prædeterminetur?

Dox. Ita plane sentio.

Phil. Miror hanc te sententiam ceteris præferre.

Dox. Quare.

Phil. Quia, quantum illam capio, parum distat ab ea, quam modo tanto ardore oppugnabas; quæ non solum creaturæ omnem agendi potentiam, sed Deo ipsi quamlibet omnipotenti, adimit omnem facultatem, ullam agendi potentiam creaturæ suæ impertiendi.

Dox. Nondum video, quid hæc & mea sententia commune habeant.

Phil. Si puerulus nullam literam, imo ne apicem quidem ullum formare posset, nisi manus ejus duceretur à præceptore, tunc aliquam illi tribueres scribendi *facultatem*?

Dox. Nullam tribuerem. Sed quid inde concludis?

Phil. Nullam esse in creatura agendi potentiam; siquidem hæc ne minimum quicquam agere potest, nisi ad id à Deo omnipotenti determinetur, determinatione tali, quam actio necessario sequitur, & quæ propterea longe plus ad eam confert, quam manuductio præceptoris ad scriptionem ejus, quem dixi, pueruli.

Dox. At Deus creaturam ad agendum prædeterminando, non adimit ei potentiam, sed determinatione sua illam in actum perducit.

Phil. Hac quidem subtilitate non elaberis. Responde enim mihi. Fierine potest, ut creatura unquam agat, nisi à Deo physice ad agendum determinata, quantacunque potentia ante hanc determinationem à Deo esset instructa?

Dox. Fieri non potest.

Phil. Sed fierine aliquando potest, ut creatura à Deo ad agendum determinata, non agat, propterea quod ante hoc determinationis momentum omni prorsus agendi potentia sit destituta?

Dox. Neque hoc fieri potest.

Phil. Num Deus facilius ad agendum determinare potest creaturam, potentia agendi jam ante præditam, quam hâc ante momentum determinationis destitutam?

Dox. Alterum altero Deo non est facilius.

Phil. Num ipsa creatura aliqua potentia jam instructa magis, ut ita dicam, est à Deo *ad actum determinabilis*, quam alia, quæ omni ad agendum potentia careat?

Dox. Cum utraque determinetur ab *infinita potentia*; altera non magis, ut tuo verbo utar, *determinabilis* est, atque altera.

Phil. Fatere igitur, mi *Doxasta*, si tua illa prædeterminatio obtineat, omnem creaturæ potentiam supervacaneam esse & prorsus inutilem; & sive hæc adsit in creatura, sive absit, tantundem esse; omnia hic facere debere efficacem Dei determinationem. Hac sublata, nulla unquam creatura, neque aget, neque ad agendum propendebit, (quoniam neque hoc sine eadem omnipotenti Dei determinatione fieri potest): Contra hac posita, ponitur omne, quod est ad actum necessarium. Potentia *antecedens* in creatura nihil prodest, neque ad *actum* neque ad *actus facilitatem*. Quare si Deus

Deus creaturis ſuis varias ad agendum potentias indidit; totidem creavit *entia* prorſus *inutilia* & ſuperflua. Quod ſi ſtatuis, ut ſtatuere debes, (ſiquidem phyſicam tuam prædeterminationem tueri vis), parum diſtat ſententia tua à ſententia eorum, qui negant, creaturam ullam potentiam aut habere aut habere poſſe. Cum enim omnis potentia agendi ad actum referatur, potentia ad actum *prorſus inutilis*, potentia appellari non meretur.

Conſectarium.

Si crederem me nihil agere poſſe, niſi ad quod me Deus determinat; me ipſum accuſare non poſſem, neque propter id, quod feci, neque propter id, quod omiſi.

Quod feci, omittere non potui, quia à Deo omnipotente ad hoc fui determinatus.

Quod omiſi, facere non potui, quia Deo, ſine quo nihil agere poſſum, non placuit, me ad illud faciendum determinare.

DISSERTATIO
DE
LIBERTATE HOMINIS
AD IMPUTATIONEM ACTIONIS REQUISITA.

CUM quæritur, IN QUO CONSISTAT ACTIONUM HUMANARUM LIBERTAS; quæstio non est de *nomine libertatis*; quid illud in ore hominum significet; non enim negari potest, id modo *spontaneitatem* & lubentiam, modo *indifferentiam* significare.

Neque quæstio est, de natura voluntatis, quo sensu libertas ad eam pertineat, atque ab illa prorsus sit inseparabilis. Certum enim est, *indifferentiam* aliquando à voluntate posse abesse; *spontaneitatem* nunquam; quicquid enim volumus, suo modo sponte & lubenter volumus.

Sed quæritur, *quænam illa sit libertas hominis, propter quam ipsi, tanquam caussæ liberæ actionum suarum, lex possit ferri, & tam obedientia, quam inobedientia ipsi ad præmium, aut ad pœnam imputari?*

Hæc vero libertas non est mera *lubentia*, sed ἀδιαφορία quæ & *indifferentia*;

ferentia; Quo nomine, [ne quem hæc vox offendat, eam hic explicamus; nostraque explicatio mera *definitio* est *nominis*, cuique adeo nulla lis moveri poterit], Quo nomine, inquam, non intelligo ἰσοῤῥοπίαν sive *æquilibrium*, ita ut homo non magis in actionem, quam in actionis omissionem propendeat; sed simpliciter *facultatem non agendi quod agimus & non omittendi quod omittimus*; etiamsi alterum horum altero longe sit difficilius; quo in casu libertas quidem major est à parte faciliori, sed à difficiliori tamen non plane tollitur. Talis libertas *indifferentiæ*, ut actio homini, tanquam *caussæ* ejus *liberæ* (idem de omissione dicendum) *imputari*, hæcque lege illi præcipi aut prohiberi possit, absolute est necessaria.

Hanc veritatem primo demonstrabo. Post ostendam, nullum esse hominem, qui eam non agnoscat.

1. Nemo negabit, legem nugatoriam esse, quam is cui datur transgredi non potest. Quis enim ferret eum, qui sub pœna severissima prohiberet homini, ne appetat æternam miseriam, aut præciperet, ut velit esse quam felicissimus. Quo pertinet, quod de *Solone* dicitur, eum propterea nullam in parricidas legem tulisse, quod hoc crimen neminem commissurum putaret. Requiritur igitur, ut lex homini sub pœna & præmio ferri possit, ut *transgressio ejus sit possibilis*.

Sed ab altera parte requiritur quoque, *ut impletio ejus possibilis sit*. Esset enim illusorium, homini promittere præmium, sub conditione *simpliciter impossibili*; Crudele & iniquum, pœnam homini comminari, nisi præstet impossibile, imo ob hoc non præstitum actu punire. Si quis enim homini præciperet sub præmio & pœna, ut in cœlum evolet; quis non hanc legem ab una parte illusoriam, ab altera crudelem & iniquam vocaret?

Ut igitur lex homini ferri possit, requiritur, *ut utrumque horum*, *ejus transgressio & impletio ipsi sit possibilis*; i. e. ut non ita determinatus sit ad eam implendam, quin possit eam transgredi; & non ita determinatus ad eam transgrediendam, quin eam possit implere. Atque hæc erit illa ipsa *libertas indifferentiæ*, quam in homine requirimus, ut lex illi ferri possit. Huic *indifferentiæ* opponitur *determinatio* ad unum; sive *necessitas*.

Unde manifeste sequitur, citra hanc libertatem, nullam obedientiam aut transgressionem, nullam actionem aut omissionem, ad pœnam aut præmium ipsi imputari posse; ac proinde libertatem, quæ actiones hominum *imputabiles* reddit, hanc, uti eam explicavimus, *indifferentiam* esse.

Inde est, quod nemo existimet, homini imputari posse *ignorantiam*, ut appellant, *puræ negationis*; i. e. talem, cum quis ea ignorat, quæ nullo modo scire potest; errorem *invincibilem*, quem quis nulla diligentia cavere potuit. Quidni idem dicatur de actione, aut actionis omissione *simpliciter inevitabili*?

Hæc quoque unica eſt cauſſa, quod actiones, ad quas cogimur, nobis imputari nequeant. Tollit iſta coactio earum *ſpontaneitatem* ſimul & *indifferentiam*. Sed imputantur *non ob ſublatam ſpontaneitatem*; ſed *ob ſublatam indifferentiam*. Si quis enim vi, cui reſiſtere nequit, aſportatur in locum ſibi gratiſſimum, etiamſi lubens eo portetur, hæc actio non magis ipſi imputatur, quam ſi portatus fuiſſet invitus in locum ingratum. Sed de hoc plura mox.

2. Illa libertas hominis *actiones imputabiles* reddit; quæ, quo major eſt, eo magis, & quo minor, eo minus hæ actiones *imputabiles* ſunt. Sed certum eſt, hanc eſſe libertatem *indifferentiæ*; i. e. certum eſt, actiones eo magis homini imputari poſſe, quo magis eas potuit omittere; & eo minus, quo minus eas omittere potuit. Certum eſt, eo magis obedientem præmio dignum eſſe, quo difficilius ipſi fuit, legem implere, & eo magis pœna dignum transgreſſorem, quo facilius legem implere potuit. Contra certum eſt, eo minus præmio dignum eſſe obedientem, quo facilius legem præſtare potuit; eo minus pœna dignum transgreſſorem, quo difficilius eam potuit præſtare. Unde ſequitur nullo præmio dignum eſſe, cui transgreſſio, & nulla pœna, cui obſervatio legis, ſimpliciter impoſſibilis.

In hac ſententia omnes ſunt judices, omnes actores, omnes rei. Judices pœnam aggravant & mitigant, prout reus *majorem* minoremve *facultatem* habuit *crimen omittendi*. Actores, ut exaggerent crimen, hanc potentiam & *facilitatem id cavendi* exaggerant. Rei contra hanc facultatem, quantum poſſunt, diminuunt. Nulla frequentior, nulla univerſalior, nulla apud omnes efficacior excuſatio eſt, atque hæc, *non aliter potui*. Hac primum utuntur pueri cum vix fari incipiunt. His jam cognitum eſt, actionem homini imputari non poſſe, niſi ſit in ipſo potentia eas omittendi. His natura dicit, imputationem actionis ceſſare, ubi nulla amplius eſt indifferentia.

Quod vero ad libertatem, quam vocant *lubentiæ* & *ſpontaneitatis*, attinet; hanc ad actiones hominum *imputabiles* reddendas, eaſque legibus ſub pœna & præmio præcipiendas aut prohibendas ſufficere, graviſſimus error eſt.

1. Quia quod maxime ſpontaneum eſt, & cum ſumma lubentia conjunctum, minime omnium hominibus imputari poteſt, & hoc ſenſu minime omnium eſt liberum. Intelligo *appetitum felicitatis* omnibus natura inditum. Hunc homini præcipere prorſus ſupervacaneum; prohibere eſſet iniquum & crudele.

2. Non obſtante actionis alicujus *ſpontaneitate* fieri poteſt, ut illius homo nullo modo cauſſa ſit, ſed *purum putum ſubjectum*; quod ut intelligatur, ponamus Ens aliquod inviſibile poſſe eadem facilitate in anima mea producere, quas velit cogitationes, qua ego hunc lapidem moveo; meque non magis effectum hunc impedire poſſe, quam lapis motum, quem illi impri-

imprimo. Ego sane cogitationum ab ente illo in anima mea productarum *purum putum subjectum* forem, & non magis caussa, quam lapis à me projectus, est caussa hujus motus.

Neque hic mihi aliquis regerat, esse tamen inter hæc duo discrimen; quod lapis non sit, ut ego cogitationum mearum, motus sui sibi conscius. Illud enim hic ad rem non facit; sed inde venit, quod ad naturam motus hæc conscientia non pertineat, quemadmodum pertinet ad naturam cogitationis; ut adeo, qui cogitationis caussa est, sit quoque *caussa* hujus *conscientiæ*, à natura cogitationis inseparabilis.

Jam quod in genere dixi de cogitationibus; id quoque intelligendum est de *volitionibus*, quæ cogitationum sunt species. Tales, si ab ente illo invisibili, eo modo quo dixi, in me producerentur; ego earum *non caussa*, sed *purum putum subjectum* forem. Neque obstat, quod *volitiones* istæ sunt *spontaneæ*; hoc enim provenit ex eo, quod ad volitionis naturam pertinet spontaneitas; quemadmodum ante dixi ad cogitationis naturam pertinere conscientiam. Unde qui producit in me volitionem, producit quoque necessario ejus spontaneitatem; alias volitionem non produceret.

Manifestum igitur est, me in hoc casu, non obstante volitionis meæ spontaneitate, tamen nullo modo ejus caussam esse, sed purum putum subjectum; imo me ne quidem ullo modo caussam esse ipsius illius spontaneitatis, quæ in volitione est, sed & hujus non nisi subjectum. Cum ipsum illud ens, quod insuperabili virtute volitionem in me producit, producat quoque ejus spontaneitatem in volitione sua natura inseparabilem. Unde consequens est, volitionem, utut spontaneam, mihi imputari non posse.

Et quare quæso actio mihi propter spontaneitatem ejus imputaretur, cum neque ipsa spontaneitas, ut cujus nullo modo caussa sum, mihi imputari possit? Supponamus enim, agens externum in homine summam lubentiam *irresistibili virtute* producere. Non video quomodo homini magis imputari possit, quod istam lubentiam habeat; quam auro à monetario signato imputari potest, quod habet imaginem *Cæsaris*. Quemadmodum enim aurum non est *caussa* hujus imaginis à monetario impressæ, sed tantum *subjectum recipiens*; ita homo non est *caussa spontaneitatis*, aut lubentiæ sibi ab agente externo impressæ, sed non nisi *subjectum* illam *recipiens*; & *necessario* quidem *recipiens*; siquidem, ut supposuimus, virtuti agentis externi resistere nullo modo possit. Jam si ipsa spontaneitas *imputabilis* non est; non potest actio quam comitatur, *imputabilem* reddere.

3. Si sola lubentia actionem hominis *imputabilem* redderet, homo justissime posset obligari ad *impossibile* & *simpliciter* quidem *impossibile*. Consequentia manifesta est, quia ut legis transgressio juste homini imputaretur, non requireretur, ut is tum, cum legem transgreditur, ullam haberet potentiam

tentiam legem non transgrediendi; sed sufficeret, si eam transgrederetur sponte & lubenter.

Hic sane miror, Theologos orthodoxos tantopere se torquere, ut monstrent, Deum Adamum non obligasse ad impossibile simpliciter; imo ne quidem posteros Adami, cum ab iis exigit, ut resipiscant. Illi hac de re solliciti esse debent, qui statuunt, transgressionem legis ideo tantum homini juste imputari, quia dum illam transgressus est, habuit facultatem non transgrediendi, quae est libertas *indifferentiae*. Non illi, qui docent, *solam spontaneitatem*, aut lubentiam *reddere actionem imputabilem*. Hi sane sine circuitione dicere possunt, Deum hominem, etiam innocentem obligare posse, ad id, quod ipsi simpliciter & omni modo impossibile est; imo non tantum Deum hoc posse, sed quemlibet legislatorem, & quoties legis transgressor punitur, quaerendum non esse, num is ullam habuerit potentiam à legis transgressione abstinendi, i. e. an aliquo modo fuerit *indifferens*; sed hoc solum, an lubenter & sponte legem sit transgressus.

Si spontaneitas ad imputationem actionum sufficeret, posset, v. g. Deus hominem obligare ut nunquam, quod ipsi optimum videtur, appetat; nunquam credat, quod ipsi videtur verissimum; eumque si id faceret punire. Neque is caussari posset, se non posse non appetere felicitatem, hunc appetitum sibi naturalem esse. Haec excusatio ad rem non pertineret; Non enim propterea actio homini juste imputaretur, quia ullam facultatem habet eam omittendi; sed ideo tantum, quia est spontanea & lubentissima.

4. Si lubentia & spontaneitas caussa esset, cur actio homini posset imputari, tunc quo illa *major* esset, eo *magis* actio esset *imputabilis*. Sed cum, ut recte animadvertit *Cartesius*, *quo major est lubentia*, *eo minor fit indifferentia*; sequeretur inde, eo magis actionem homini imputari debere quo minus esset *indifferens*, i. e. quo minorem haberet potentiam ab illa abstinendi: Quod certe non omni rationi modo, ut supra demonstravimus, sed praxi omnium populorum adversatur. Is enim in posterum propter actum ebrietatis prae caeteris puniendus esset, qui prae sitis magnitudine a bibendo non potuit abstinere, quia bibit *lubentissime*. Is propter furtum puniendus praecipue, quem summa esuries ad furtum compulit; quia furatus est *lubentissime*.

Sed & hoc inde sequeretur, judicium quod *Cartesius* quoque refert ad voluntatem, tanto magis homini imputandum, quo minus à judicando abstinere posset; cum videlicet rem clarissime & distinctissime perciperet. Falsum igitur esset *Cartesii* principium, hominem in hoc casu errare non posse, quia ita error non ipsi, sed Deo imputandus esset, qui illum talem creavit, ut in hoc casu judicium suspendere nequeat. Quando enim ageretur de actione homini imputanda, non quaereretur, an is à Deo, aut à natura ad actionem

illam

illam ſit determinatus, nec ne; an actionem illam omittere potuerit, nec ne; hoc ad rem non faceret. Hoc tantum quæreretur, num actio illa ſit *ſpontanea.* Quid autem magis ſpontaneum eſt, quam judicare, cum rem clariſſime & diſtinctiſſime percipimus?

Miror, tot *Carteſianos* non videre, hoc principium *Carteſii* ſupponere; nonniſi *indifferentiam* reddere actionem *imputabilem*; & *ſpontaneitatem* quam tamen cum *Carteſio* ſummum gradum libertatis eſſe ſtatuunt ad hoc non ſufficere. Quemadmodum & illud, cum dicit: *Præſcientiam Dei difficulter cum hominis libertate conciliari.* Nulla enim difficultas eſt, ſi libertatem ponis in ſpontaneitate. Actionem liberam hoc ſenſu non Deus modo, ſed etiam homo certo præſcire poteſt; hæc enim in ſe *certæ* & *determinatæ* poteſt eſſe *veritatis.* Sed omnis difficultas eſt, ſi libertas ponitur in *indifferentia,* quomodo actio, quæ in ſe *incerta* eſt, *certo* à Deo poſſit præſciri. Quæ in Operibus Philoſophicis *Carteſii Medit. IV.* & *Princip. Philos. Part.* I. §. 41. & paſſim alibi leguntur, neminem dubitare ſinunt, magnum hunc Philoſophum in explicatione libertatis non ſatis ſibi conſtitiſſe.

THESES
QUIBUS EXPLICATUR
QUO MODO ADAMUS SANCTUS
A DEO CREATUS LABI POTUERIT.

I. DEus primos homines non innocentes modo creavit, ſed illos inſuper habitibus ſapientiæ & ſanctitatis inſtruxit.

II. Non tamen tali menſura, quæ omnem errandi & labendi poſſibilitatem excluderet; quali nunc Angeli confirmati & beati cœlites gaudent.

III. Sufficienti tamen ad errores & lapſus omnes evitandos; à qua perfectione hodie ſapientiſſimi & ſanctiſſimi ſe procul abeſſe quotidie experiuntur.

IV. Quod ſi, ut veriſimile eſt, ad extraordinariam tentationem ſuperandam, extraordinario indiguerunt Dei auxilio, facultatem habuerunt, hoc à Deo petendi, quod rite petentibus ſemper præſto fuiſſet.

V. Hoc in ſtatu Deus hominibus iſtis præter legem *naturalem*, cordi eorum inſcriptam, aliam dedit *poſitivam*, de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali; exploraturus ita eorum obedientiam, & quousque Deo Creatori ſuo adhæſuri eſſent.

VI. Dubium non eſt, primos iſtos parentes, qua erant ſanctitate, lege iſta accepta, ſtatim animo concepiſſe ſincerum propoſitum, eam exactiſſime obſervandi; tametſi cauſſa ejus iis prorſus fuerit incognita.

VII. At Diabolus invidens hominibus eam, qua ipſe excidit, felicitatem, eam, abuſus ſerpentis corpore, quocunque modo turbare ſtatuit.

VIII. Cognovit, hominibus ab ipſo Creatore inditum deſiderium cognoſcendi verum, & per hoc augendi felicitatem. Cognovit præterea deſiderium hominum, aliosque effectus, licet per ſe bonos & laudabiles, quando modum excedunt, eorum mentes ita obnubilare, ut ad ſanum de rebus judicium ferendum non amplius ſint habiles.

IX. Statuit igitur, hoc majoris cognitionis & felicitatis deſiderium, ab ipſo Creatore hominiinditum, in EVA, quam fraudi magis obnoxiam judicavit, ita acuere & accendere, ut menti illius immodico deſiderio obſcuratæ, facile poſtea perſuadere poſſet, Deum hoc mandatum aut non ſerio illi & marito dediſſe, aut dediſſe ex animo invido; eſum denique hujus fructus vetiti non hunc, quem Deus comminatus eſt, ſed contrarium effectum habiturum.

X. Tria

X. Tria videntur hanc fraudem EVÆ probabilem reddidiſſe. 1. Quod facile in hanc opinionem adduci poterat, prohibitionem *rei, per ſe minime malæ*, neſcio quam occultam cauſſam habere. 2. Ipſum *nomen* arboris. 3. Fructus *amœnitas* plane extraordinaria.

XI. Succeſſit, ut eventus docuit, fraus hæc Satanæ. Hac enim EVAM primum ad mandatum Dei tranſgrediendum pellexit; quæ poſtea idem Viro, ut faceret perſuaſit; ſine dubio iisdem, quibus ipſa fuit decepta, argumentis; quibus præter uxoris blanditias & hoc accedere potuit, quod EVAM, etiam poſt vetiti fructus eſum, vivam & valentem viderit. Veriſimile enim eſt, primos parentes comminationem Dei intellexiſſe, de morte ſubitanea, eſum hujus fructus ſtatim ſecutura.

XII. Quod ſi quis ex me quærat, quiſnam primus in EVA, & poſtmodum in ADAMO, peccati hujus gradus fuerit? Reſpondeo, [ſi modo ad quæſtionem curioſam magis, quam utilem, reſpondendum eſt] maxime videri probabile, primum gradum fuiſſe *peccatum omiſſionis*, quod ſcilicet EVA, non ea diligentia, non ea mentis intentione, quibus potuit, uſa fuerit; denique non omnia, quæ potuit, *media* adhibuerit; inter quæ & imploratio fuit auxilii divini, ad moderandum naturale deſiderium cognitionis & felicitatis; illudque intra limites à ratione & lege Dei præſcriptos coercendi; atque ita paſſa eſt immodico iſto deſiderio, primo mentem ſuam obnubilari, & poſt voluntatem abripi ad faciendum, quod lege Dei erat tam ſevere prohibitum.

En ordinem primi hujus peccati.

Primus gradus fuit

Negligentia in deſiderio moderando;
hinc
Deſiderii exceſſus;
hinc
Mentis obnubilatio;
hinc
Fides Satanæ habita;
hinc
Determinatio ad agendum ſive volitio;
hinc
Actus ipſe.

MONI-

MONITUM AUCTORIS
AD QUOSDAM DUBII DE
PRÆDESTINATIONE
IN PRIMO TOMO PROPOSITI
SOLUTIONEM TENTANTES.

AD solidam dubii propositi solutionem nihil confert inquirere, quis scripti germanici sit Auctor, ater an albus, hæreticus an orthodoxus? neque etiam quis Auctoris fuerit scopus, isne ipse quem præ se fert, an alius quem callide abscondit? neque etiam num, qui hoc dubium proponit, sit revera ut sibi videtur, aut aliis videri vult, irregenitus?

Nihil quoque ad solutionem hujus dubii facit, thesin Reformatorum probare, & contrarium refutare. Hæc, inquam, omnia ad nodum ab Auctore propositum dissolvendum, sunt inutilia.

Unicum quod quærit hoc est: quid homini ex dogmate Reformatorum id concludenti, quod inde concludit Auctor, sit respondendum? *sit ne conclusio ejus ipsa per se bona & legitima*, quisquis demum sit, qui ita concludit, & quemcunque scopum habeat. Huic uni insistendum, cætera sunt resecanda. Hoc ut fiat, pono dubium idem moveri ab alio homine idque scopo

ſcopo longe diverſo. Pono hominem, qui id proponit, eſſe manifeſte impium, & propterea citra controverſiam irregenitum. Pono talem hominem à Paſtore ſuo ad reſipiſcentiam excitari, ipſique ante oculos poni, ingens in quo ſit periculum; quandoquidem ſingulis momentis à morte in funeſto hoc ſtatu opprimi poſſit.

Pono hunc impium Paſtori ſuo ſequens regerere *dilemma*;

Aut in eorum ſum numero, quos Deus ipſe inſuperabili ſua gratia ante mortem convertere decrevit, aut in horum numero non ſum.

Si non ſum in horum numero, *nihil eſt quod ſperem*; damnatio mea inevitabilis eſt, & converſio dum vivam erit impoſſibilis; quæcunque itaque ſive nunc faciam, ſive inpoſterum ſum facturus; (eorum videlicet quæ in hoc ſtatu facere poſſum) ea omnia ad converſionem meam promovendam, damnationemque evitandam, nihil quicquam mihi proderunt.

Quod ſi vero ſum in eorum numero, quos Deus ipſe ante mortem inſuperabili ſua gratia convertere decrevit; in hoc caſu *nihil eſt quod timeam*, utcunque nunc vivam. Mors in hoc ſtatu me opprimere non poterit. Deus ipſe certo me ante mortem convertet. Veruntamen id non faciet ante momentum in decreto ſuo fixum.

Ante hoc itaque momentum, ſi maxime ego ipſe hic aliquid agere aut conari vellem, [eorum vid. quæ in hoc ſtatu agere & conari poſſum] id omne prorſus vanum eſſet & inutile, meamque converſionem ne tantillum quidem promovere aut mutare poſſet.

At ſimulac venerit iſtud momentum, & gratia Dei irreſiſtibilis in me agere inceperit; tum vero nihil attinebit me ad reſipiſcentiam hortari; non potero tum non omnia & velle & facere, quæ ſunt ad hoc neceſſaria. Ipſa Dei omnipotentis inſuperabilis virtus me ad iſta omnia & volenda & facienda impellet, atque ita impellet, ut ego divino huic impulſui reſiſtere non valeam.

Interea, ſicut ego ipſe in ſtatu, in quo nunc ſum, ad converſionem meam maturandam nihil prorſus conferre poſſum; ita ab altera parte nihil quoque mihi nocebit, vitam quam cœpi diutius continuare, carnique meæ, ut hactenus feci, porro quidlibet indulgere. Ita augebitur depravatio mea, fateor.

Sed quid tum? Simulac venerit converſionis meæ hora, depravatio mea quantacunque ſit, virtuti Dei inſuperabili cedere protinus cogetur, meamque converſionem ne ad momentum quidem retardare, nedum penitus impedire, poterit.

Hoc *dilemma* idem prorſus eſt, atque illud, quod in ſcripto Germanico proponit homo, ut videtur, aut ut videri vult, tentatus.

Non hic quæritur, quid judicandum ſit de homine, qui ſerio eo fine quem ego nunc pono, hoc *dilemma* proponeret. Conceditur, eum qui ſe ipſum tali ratiocinio in impietate & impœnitentia confirmare laborat, eſſe hominem impium & ſceleratum.

Sed quæritur, num hic homo, quantumlibet impius & ſceleratus, recte hic ratiocinetur; num *dilemma* talis impii, quod Paſtori ad reſipiſcentiam ſe adhortanti reponit, ipſum per ſe ſit *bonum* nec ne? (bonum intelligo non *moraliter*, ſed *logice*) & ſi *vitium* in hoc *dilemmate* eſt, (*vitium* pariter intelligo *logicum* non *Ethicum*). Num peccet *dilemma* inſufficienti enumeratione? An quod ex poſitione, tum hujus tum illius lemmatis, concluditur, ſive ex hoc, ſive ex illo non neceſſario ſequatur?

Tale aliquod *vitium* in propoſito *dilemmate* oſtendere, & oſtendere ita ut quilibet, niſi vitilitigator eſſe velit, id cogatur agnoſcere; hoc demum eſt, ad rem reſpondere, & dubium propoſitum ſolide ſolvere.

Nihil ad rem facit, ſi dicitur, irregenitum quidem ſcire, ſe eſſe irregenitum, ſed neſcire, num Deus ſe ante mortem convertere decreverit nec ne? Neque enim ad hoc, ut ejus *dilemma bonum* ſit, requiritur, ut ſciat, utrum horum duorum verum ſit; ſufficit 1. ut certo ſciat, horum lemmatum alterutrum verum eſſe. 2. ut certus ſit, incommodum quod ex poſitione utriusvis concludit, non minus ex uno quam ex altero neceſſario ſequi.

Inane quoque ſubterfugium eſt, dicere, in hac materia rationi non nimis eſſe indulgendum: hoc enim perinde eſt, ac ſi diceretur, ad maculam in facie alicujus videndam, oculos non nimis eſſe aperiendos, viſumque non nimis eſſe intendendum. Cum quæritur *ſitne dilemma aliquod bonum an vitioſum*; Ratio judex eſt, & non niſi ratio.

Si quod igitur *vitium* eſt in *dilemmate* propoſito, ad illud conſpiciendum iſte mentis oculus non eſt claudendus, ſed quantum à quolibet fieri poteſt, acuendus & intendendus.

Si quis ex me ſcire cupit, quid ego ipſe de dubio propoſito ſentiam, paucis & ingenue confiteor, me ſolutionem, quæ mihi penitus ſatisfaciat, nullam uſque adhuc inveniſſe. Reſponſione vero, quæ mihi ipſi ſolida non videretur, nollem cuiquam fucum facere.

Inter eos, qui dubium hoc ſolvere ſunt aggreſſi nemo accuratius id executus eſt, meo quidem judicio, ac Clariſſ. *La Placette*, qui ex profeſſo integrum de hac materia librum conſcripſit. At ſi dicerem, Virum hunc acutiſſimum

tissimum omnem mihi hac in re scrupulum ademisse, non sane ingenue & candide agerem.

Interea non est, quod quisquam moveatur libera hac mea & ingenua confessione; quilibet hic poterit abundare suo sensu, quodque hactenus in hujus nodi solutione mihi satisfacere non potui, id non difficultati, quæ in re ipsa sit, sed tarditati meæ adscribere.

COROLLARII LOCO

Sequentes quæstiones futuris Ecclesiæ Ministris in timore Domini expendendas propono.

1. AN *irregenii*, dum tales sunt, non possint Deum orare, ut is ipse efficaci gratia se convertat; & num preces in hoc statu fusæ sint ad hanc gratiam obtinendam plane inutiles? Non loquor de precibus ad quas fundendas gratia insuperabilis homines impellit; hæ enim sunt preces jam *regenitorum*; sed loquor de precibus hanc *gratiam convertentem præcedentibus*, ipsamque hanc gratiam à Deo flagitantibus.

Q. 2. An Minister V. D. persuasus, *irregenitos*, dum sunt in hoc statu, nihil agere posse, quod ad conversionem suam maturandam quicquam prosit, candide & serio agat, cum istos homines magno zelo hortatur & obtestatur, multisque argumentis impellit, ut conversionem ne procrastinent, & in senectutem tempusque morti vicinum differant?

Q. 3. An qui in modo dicta est persuasione, si in extrema demum senectute convertitur, serio se ipsum coram Deo accusare possit, quod conversionem suam tam diu distulerit?

Q. 4. An non in ea tempora inciderimus, ubi fideli Pastori longe magis est necessarium impios & irregenitos, qui maximam eheu! plerorumque cœtuum partem constituunt, ad resipiscentiam quantum potest, excitare; quam sollicite impedire, ne forte pii & *regeniti*, quos habet in cœtu suo, propter conversionem suam superbiant, eamque aliqua saltem ex parte sibi ipsis adscribant?

Q. 5. An non, si salus & conversio impiorum nobis serio curæ est, etiam atque etiam cavendum nobis sit, ne ita tradamus certa quædam Theologiæ dogmata, ut impii hi & *irregeniti*, cum eos ad resipiscentiam adhortamur, existiment, nos hac in re non serio agere, aut nos nobis ipsis contradicere?

Q. 6. An non impiis & profanis, quando varias nobis contradictiones exprobrant, dicere, in religione Christiana *rationi non esse indulgendum*; sit Religionem Christianam aliquo modo prodere, & fateri illam absurdam & sanæ rationi adversam esse?

COGITATA
DE
PRIVATA PECCATORUM CONFESSIONE.

SOLENT, qui Pontificis Romani partibus adhærent, cum Reformatis Ecclesiis invidiam conflare volunt, id præ ceteris adducere: Præcipuam caussam secessionis nostræ, vitæ esse licentiam, quam in Romana Ecclesia non tantam sperare potuerimus, quantam corrupta caro desiderat. Hanc nos compulisse, ut jugum ejus excuteremus, id quod cum in aliis multis, tum in hoc potissimum prodiderimus, cum *salutarem illam peccatorum confessionem*, quam *auricularem* vocant, non modo ex nostris Ecclesiis sustulerimus, sed in eam, tanquam in intolerabilem conscientiarum carnificinam, debacchari nunquam desistamus. Hoc inde provenire clamant, quod hoc institutum, *divinum*, ut ajunt, *frænum* carni nostræ injicere sentiamus, quod pati nequeamus; ideo tantum, quoniam nos impediat, quo minus tantum cupiditatibus nostris, quantum volumus, indulgeamus.

Enimvero non difficile nobis est, hanc calumniam retundere, vel ex hoc uno, quod, fatentibus adversariorum æquissimis, neque illi, qui confessionem hanc auricularem oppugnarunt, pessimi hominum fuerunt, neque major

jor regnat morum corruptio in iis coetibus, in quibus *auricularis confessio* non usurpatur, quam in iis, in quibus severissime ab omnibus exigitur.

Unde consequens est, non esse hoc frœnum tantopere timendum iis, qui vitæ licentiam amant; atque aut ipsum per se tam utile non esse contra vitia remedium, ut jactatur; aut ab hominibus vitiis deditis facile vim ejus posse eludi; non ut necesse sit, hujus metu communionem Romanæ Ecclesiæ, & simul tot commoda, tot prærogativas, tot spes, quæ in ea reperiuntur, relinquere.

Unicum quod hic monere ad institutum nostrum pertinet, hoc est; nihil esse in confessione auriculari salubre, quod in Ecclesiis nostris non retinuerimus; nihil esse, quod rejecerimus, nisi quod in ea invenerimus malum, inutile, imo noxium.

Necessarium esse ducimus, peccata Deo confiteri, eorum magnitudinem & multitudinem summa & sinceritate & humilitate agnoscere & deflere; idque non *generatim* tantum, sed excutiendo conscientiam nostram, in memoriam revocando omnia cogitata nostra, dicta & facta, quantum possumus, non raro, sed sæpe, imo quotidie. Negamus *sine tali confessione pœnitentiam posse consistere*, aut remissionem peccatorum obtineri.

Necessarium esse existimamus, ut omnes certis temporibus publice in Ecclesia confiteantur, *in genere* quidem si formulam spectamus, quæ ab omnibus recitatur; sed *in specie*, si respicimus animum cujuslibet recitantis, qui tum præcipuorum peccatorum, quibus Deum offenderunt, speciatim meminisse debent.

Requiritur etiam in nostris Ecclesiis, ut publici peccatores, quando id poscit gloria Dei, & reparatio scandali, sive sua sponte, sive ab iis, qui disciplinæ Ecclesiasticæ præsunt, ad hoc addacti, peccata sua publice coram Ecclesia agnoscant & fateantur, veniam commissorum a Deo & ab Ecclesia petant, publicaque pœnitentia ædificent, quos publicis criminibus offenderunt.

Necessarium existimamus, ut injurias fratribus factas, sive verbis sive factis, non palliemus, aut excusemus, sed ingenue agnoscamus & fateamur, veniamque eorum imploremus.

Necessarium existimamus, ut, cum à Præceptoribus, Parentibus, aliisque præpositis, in primis à Pastoribus, qui *vigilant pro animabus nostris*, publice privatimque corrigimur aut monemur, propter peccata, quæ aut commisimus, aut quorum nos merito suspectos reddidimus; culpam nostram neque celemus, neque extenuemus, neque palliemus, sed ingenue fateamur, & iis hac ratione ansam demus, nos emendandi, & æquo animo nos ab iis corrigi patiamur.

Utile denique in nostris Ecclesiis sæpissime credimus, si quis sua sponte Pastori suo certa quædam peccata, a se commissa, aut vitia & infirmitates, quibus deditus est, revelet, ut ab eo petat correctionem, consolationem, institutionem & consilium. Imo in eum statum peccatorem venire pos-

se credimus, ut sine gravissimo peccato, salubre hoc correctionis aut consolationis medium, quod ipsi Deus suppeditat, negligere non possit.

De hoc ultimo, cum mihi agere propositum sit, videamus, quid de eo statuerint Ecclesiæ Reformatæ.

Conf. n. 14. de Pœnitentia.

De hac re ita Confessio nostra Helvetica: *Si quis peccatorum mole & tentationibus perplexis oppressus, velit consilium, institutionem & consolationem privatim, aut à Ministro Ecclesiæ, aut aliquo Fratre in lege Dei docto, petere, non improbamus.*

Loc. de Pœnitentia p.m. 1023. Calv. Instit. Lib. III. cap. IV. p. 12.

Idem confirmat PETRUS MARTYR: *Non tollimus*, inquit, *utilitatem, quæ ex Confessione esse posset, quæ fit homini docto & pio; nempe ut homines consolationem habeant, & instituantur, modo libera relinquatur. Unde si confessio ejusmodi, quæ sit libera, nec adigat ad enumerationem peccatorum, alicubi retineatur, non Schisma propterea facimus; modo non constituat peculiarem Dei cultum;* SI QUIS COMMODUM SIBI PROVENIRE PUTET, NON DEBET HUJUSMODI AUXILIUM DETRECTARE.

Hoc genus confessionis multis commendat CALVINUS; postquam dixit: *eo pertinere verba Jacobi*, quibus præcipit, ut *alii aliis peccata confiteantur*, id est; ut ipse interpretatur, ut nostras infirmitates alter alteri detegentes consilio & consolatione mutua nos juvemus. Ita pergit: *Tametsi Jacobus neminem nominatim assignando, in cujus sinum nos exoneremus, liberum permittit delectum, ut ei confiteamur, qui ex Ecclesiæ grege maxime idoneus fuerit visus; quia tamen Pastores præ aliis, ut plurimum, judicandi sunt idonei, potissimum etiam nobis eligendi erunt. Dico autem præ aliis esse appositos, quod ipsa Ministerii vocatione nobis à Domino designantur, quorum ex ore erudiamur ad subigenda & corrigenda peccata, tum consolationem ex veniæ fiducia percipiamus* &c.

Huic Præloquio subjicitur

ΣΚΙΑΓΡΑΦΊΑ *DISSERTATIONIS DE* PRIVATA PECCATORUM CONFESSIONE,

inter Schedas Auctoris reperta.

Principio demonstrare volebam hanc Confessionem commendari à Reformatoribus, aliisque magnis Theologis, CALVINO, MARTYRE, BUCERO, ZANCHIO, aliisque multis.

Secunda parte ostendere volui hujus confessionis utilitatem.

Utilis est

a. PECCATORI non solum ad *consolationem*, cum peccata ipsum angunt. (Multi enim incidunt in profundam melancholiam & desperationem propter hoc remedium non mature adhibitum; sed etiam ad *conversionem ejus*, & *conversi majorem emendationem*. Potest enim peccator hoc remedio deduci in veram agnitionem peccatorum suorum, & in agnitionem status, in quo vivit. Potest ita per Pastorem promoveri peccatoris contritio; cum ille huic peccata eorumque magnitudinem vivis coloribus ante oculos ponit.

nit. Poteſt quoque confirmari peccator in propoſito vitam emendandi, atque à Paſtore ſuo ſalubria ad hoc præſtandum conſilia accipere

c. Utilis eſt PASTORI, ad curam animarum ipſi à Deo commiſſarum; per has enim confeſſiones cognoſcit

1. Auditores ſuos in *genere*, quibus vitiis, infirmitatibus, peccatis maxime dediti ſint. Id quod ipſi magno uſui eſt, in concionibus, in diſciplinæ exercitio, quod enim de Principe dicitur, id de Paſtore quoque verum eſt:

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

2. Hunc vel illum *in ſpecie*. Prout Medicus ægroto opem ferre non poteſt, ſi *in genere* tantum cognoſcit, illum ægrotum eſſe; ſed *in ſpecie* noſſe debet ægroti temperamentum, morbi genium, circumſtantias, ſymptomata. Ita certe Paſtor Medicus animæ &c.

Paſtori quoque iſtius Confeſſionis prudens & fidele exercitium conciliat magnam auctoritatem. Quis enim non reveretur ſecretarum ſuarum actionum arbitrum. Peſſimus, fateor, in Miniſtris eſt auctoritatis qua pollent abuſus. Sed dici nequit, quantum Miniſtri debita auctoritate pollentes, ſi ea ad Dei gloriam, & animarum ſibi creditarum ſalutem, utuntur; quantum, inquam, in Eccleſia Dei prodeſſe poſſint.

γ. Utilis eſt *multis Eccleſiæ membris*, quibus injuria ab aliis facta eſt, damnumve illatum. Paſtor enim nemini peccata confitenti remiſſionis ſpem facere poteſt, niſi injuriam proximo factam reparanti, damnum reſarcienti, ablatum reſtituenti. Utque proximo ita ſatisfiat, poteſt prudens Paſtor varias vias invenire, quibus id, quam minima cum peccatoris infamia, aut minimo ejus damno aut incommodo fieri poſſit.

Tertia parte monſtrare animus erat, quid facere debeant Paſtores, ut hæc tam utilis confeſſio in Eccleſia reſtituatur & frequentetur. Non modo ejus utilitatem publice privatimque, data occaſione, commendare debent; ſed peccatores ad hanc invitare & ad ſe allicere

1. *Charitate ſincera*; monſtrando ſe non quærere peccatoris mortem, infamiam, pœnam, incommodum &c. ſed ejus bonum & ſalutem; ejus converſionem, &, ſi opus eſt, ſolatium. Monſtrando, inquam, hoc, non verbis, ſed ipſo facto; inprimis gaudio ſincero, quod percipiant ex reſipiſcentia peccatoris. Qua in re veſtigiis Chriſti & Angelorum inſiſtere debent, qui *magis lætantur peccatoris reſipiſcentia, quam juſtorum ipſorum juſtitia* continuata.

2. *Humilitate*; *peccatores & publicanos* non *Phariſaico* ſupercilio præ ſe contemnendo; ſed ſe quoque peccatores eſſe, ex animo agnoſcendo; & gratiæ Dei imputando, quod a maximis peccatis hactenus præſervati ſint.

3. *Miſericordia*; magis eorum ſortem deflendo, quam ipſis iraſcendo, & acerbe in eos invehendo.

4. *Comitate*, affabilitate, manſuetudine, patientia; ipſos benigno vultu accipi-

accipiendo; humaniter alloquendo, leniter tractando & ipsorum conversionem patienter expectando.

5. Inprimis vero *taciturnitate*; confessionem sibi factam nemini mortalium per totam vitam revelando.

Utile esset, si ad hoc silentium omnes Ministri solenni jure jurando adigerentur, & tanquam perjuri punirentur, qui illud non servant; & punirentur gravissime, etiam capitali pœna, si opus est. Et certe horribile hoc crimen est, revelare, quæ Pastori detecta sunt, tanquam ministro Dei. Non enim minus tutum hoc esse debet, quam si ipsi Deo peccatum detexisset.

Quod si vero a Magistratu obtineri nequit, ut huic crimini pœnam constituat, Pastores sponte taciturnitati studere debent, hujusque virtutis famam, quantum possunt, apud auditores suos acquirere; & non modo verbis, sed ipso facto monstrare, se ab hac perfidia, quæ in revelatione peccatorum sibi revelatorum consistit, tanquam à detestabili crimine, toto pectore abhorrere.

Hoc observare debent, non modo in peccatis, quæ peccator sua sponte detegit, sed etiam quorum confessionem severa admonitione, aliave via illi extorquent. Hunc etiam in finem debent abstinere à peccatoribus deferendis, quorum peccata aliunde resciscunt; præsertim, quando spes emendationis est, citra castigationem Magistratus. In publicis etiam criminibus satius est, ut alii sint peccatorum delatores, quam Pastores. Monere quidem debent Pastores Magistratus & Judices, ut in crimina inquirant & ea cognita puniant. Sed ut ipsi crimina à se detecta ad judicem deferant, reosque ad pœnam deposcant, Pastoribus meo judicio indignum est; lictorem magis hoc decet, quam Pastorem.

QUÆRITUR, QUID INTERSIT INTER HANC, QUAM SUADEMUS, ET PONTIFICIAM CONFESSIONEM?

Respond. Pontificiis Confessio auricularis necessarium medium est *ad obtinendam absolutionem*. Nobis est *medium utile*, ad contritionem, vitæ emendationem & consolationem,

Pontificii *omnibus* necessitatem imponunt, *omnia & singula* peccata, quorum quis recordari potest, sacrificulo confitendi.

Nos cuilibet *libertatem relinquimus* judicandi, an, & quousque sibi talis confessio ad salutem utilis est, cuinam, an Ministro ordinario, an alii cuidam pio & sapienti Viro, sit facienda.

Quando quis tamen semel judicavit (quo in judicio nemo sibi & carni suæ blandiri debet) hanc confessionem sibi utile ad salutem medium esse, cessat esse libera, & fit ipsi necessaria, saltem *necessitate præcepti*. Nullum enim medium licitum Christiano negligendum est, quod in conscientia ad emendationem suam, & salutem sibi utile judicat. Qui vult finem, vult omnia media. Qui præcipit finem, præcipit & mediorum usum.

FINIS MISCELLANEORUM PARTIS PRIMÆ.

S. WE-

MISCELLANEORUM
PARS ALTERA,

Continens

PHILOLOGICA,
ET AD
ORATORIAM ARTEM
SPECTANTIA.

Quibus accedit

FASCICULUS EPIGRAMMATUM,
QUIBUSDAM ALIIS ET NOVA PRÆFATIONE
AUCTUS.

S. WERENFELSIUS,

P. RYHINERO

SORORIS FILIO, RATIOCINANDI ARTEM IN ACADEMIA NOSTRA DOCENTI

S. D.

QUÆRIS ex me, num permittam ut quæ de arte S. Scripturam interpretandi inter Schedas meas reperta, non sine labore in aliquem redegisti ordinem, alteri opusculorum meorum parti inserantur. Hoc sane si quis ex me quæsivisset eo tempore, quo scripta fuerunt, minime permisissem, ut tam parum meditata tamque negligenter in chartam conjecta, publicæ luci exponerentur; actum enim, si id fieret, de qualicunque mea existimatione fore putassem. Sed nunc hæc ratio apud senem

octogenario majorem tantum pondus non amplius habet. Malo enim, ut post mortem meam aliquid de meo exstet, quod prosit, quam quod laudetur. In Ecclesia Romana se habere jactant ἑρμηνεύτην ἀναμάρθητον; nobis, cum talem nullum agnoscamus, tanto magis laborandum esset, ut haberemus ἑρμηνευτικὴν non quidem infallibilem, sed quam minime fallentem, scriptam in gratiam, non hujus aut illius secta, sed in gratiam omnium S. Scripturam sincere intelligere cupientium. Non adeo quidem rationis usus in me defecit, ut talem à me adornari potuisse, aut posse arbitrer; sed si rudia illa & indigesta fragmenta, quae tam diu inter chartas meas latuerunt, ansam dare possent, ut talis hermeneutica aliquando existeret, & à viro ad rem tantam idoneo concinnaretur, nihil unquam in vita scripsissem aut fecissem utilius. Jaciatur itaque alea. Tanti boni quantulacunque spes plus apud nos valeat, quam metus judiciorum minime nobis faventium. Vale.

LECTIONES HERMENEUTICÆ,

SIVE DE

ARTE INTERPRETANDI SCRIPTURAM SACRAM.

CUM moris sit, ut Veteris Testamenti Professor librum aliquem Veteris Testamenti auditoribus suis explicet; ego, postquam hæ mihi partes demandatæ sunt, diu multumque deliberavi, quem potissimum librum vobis, Auditores, explanandum sumerem. Cumque in hac deliberatione alius atque alius se mihi offerret, tandem in eam veni cogitationem, majus me operæ pretium facturum, si antequam libri peculiaris interpretationem aggrediar, vobiscum communicem ea, quæ generatim de recte interpretanda Scriptura in mentem mihi venerunt. Non enim tam id negotii mihi datum esse credo, ut vobis aperiam, qua ratione ego hunc illumque locum intelligam, quam ut vos omnes & singulos aptos reddam, quantum quidem in me est, tum ut ipsi Scripturam S. explicare possitis, verumque cujuslibet loci sensum indagare, tum etiam, ut de aliorum, in quos incidetis, atque adeo meis quoque ipsis interpretationibus, sane queatis judicare; ac, sicubi variant interpretes, quis eorum sensus quam proxime ad veritatem accedat, discernere. Neque enim in nostris Scholis auctoritate agimus; nostraque cogitata, tanquam oracula ex tripode dicta, discipulis & auditoribus nostris obtrudimus.

 Neque

Neque etiam cujuscunque interpretis, sive veteris, sive recentioris interpretatio nobis est infallibilis; sed jubemus & discipulos nostros & lectores veterum novorumque interpretum, *omnia probare*, & non nisi *quod bonum est retinere*. Hoc autem nemo facere potest, nisi aliquam habeat normam & regulam, ad quam omnia exigat, & quæ judicium suum dirigat. Alias cæco impetu nunc huc nunc illuc fertur, sequiturque hac in re quilibet aut ingenii sui διάθεσιν, aut corporis temperiem, aut affectus, præjudicia & consuetudinem &c.

His de caussis credidi ego, non prius ad interpretandum librum aliquem Scripturæ mihi accedendum esse, quam de vera ratione interpretandi vos in antecessum docuissem. Ubi quidem ego non plenam vobis & omnibus numeris absolutam *Hermeneuticam artem* polliceor, ad quam tradendam, necessario me apparatu non esse instructum probe cognosco. Spero tamen ea me vobis indicaturum, quæ diligenter observata, tum ad inveniendum Scripturæ sensum, tum ad judicandum de illo, non parum conferent. Hac vero in re eum sequar ordinem, ut primo dispiciam, *num Scripturæ sensus certo possit cognosci*; deinde, *cujus generis sit ea certitudo*, & denique *quomodo & quibus mediis*, quæ in hac materia haberi potest, *certitudo acquiratur*, aut saltem quam proxime ad eam accedatur.

CAPUT PRIMUM.

Ubi examinatur, an certi esse possimus de sensu S. Scripturæ.

De primo dicendum est aliquid, 1. propter ingenia quædam philosophica eorum, qui existimant in tanta verborum & locutionum omnium ambiguitate, conjuncta cum ignorantia linguarum & rerum plurimarum, quæ ad Scripturam interpretandam essent necessaria, vix unquam *certi* quid de sensu verborum statui posse; satius igitur esse, ad vitandos errores, iis acquiescere, quæ per legitimam consequentiam ex indubitatis principiis eruuntur; satius hoc, inquam, esse, quam in libro aliquo aut scripto veritatis regulam quærere, quod, quantæcunque auctoritatis & quantivis pretii sit, non possit non esse regula admodum dubia, ut de cujus sensu nunquam penitus possimus ita certi esse, ut de iis sumus, quæ apodictice ex suis principiis possunt demonstrari.

Necessarium 2. hoc est propter *Doctores Ecclesiæ Romanæ*, qui non cessant clamare; Scripturam S. sine infallibilis alicujus Ecclesiæ judicio, esse velut *nasum cereum*, & *regulam Lesbiam*, cui tot affingi possint sensus, quot sunt capita. Diximus alias, quid de hoc *commento infallibilitatis* judicandum sit;

fit; nunc vero videndum, an etiam proprio marte aliquis Scripturæ sensum certo possit cognoscere.

Fatendum sane est, nisi hoc sit, omnem fidem esse inanem & vanam quandam opinionem. Est enim illa *ex auditu*; *auditus autem ex verbo Dei*; cujus si omnis sensus incertus est, incerta sunt omnia, quæ credimus. Omnino enim duobus principiis nititur quodlibet fidei dogma, 1. Scripturam esse verbum Dei; 2. dogma hoc aut illud in hoc verbo doceri. Quanta horum duorum est certitudo, tanta & non major est certitudo cujuslibet fidei dogmatis. Nos quidem non diffitemur, multas interpretationes pro certis & indubitatis Scripturæ S. sensibus haberi, & ita aliis obtrudi, nonnunquam vi aperta, quæ nullo modo certæ sunt, sæpe ne quidem verisimiles, imo aperte falsæ.

Fatemur etiam *nimiam* esse plerorumque interpretum, in definiendis Scripturæ sensibus, *confidentiam* & *temeritatem*, hancque innumera mala parere, inter quæ sunt acerbissimæ Christianorum inter se rixæ & dissensiones; quarum plurimis careremus, si essent omnes in Scriptura interpretanda minus temerarii & audaces.

Fatemur quoque esse multa Scripturæ loca, de quorum sensu hodie, ubi plurima interpretationis subsidia nobis desunt, *certi* nihil statui possit. His tamen non obstantibus, negamus, omnes Scripturæ interpretationes incertas esse; quod vel ex eo confirmamus, quod plurima sint Scripturæ loca, in quorum interpretatione omnes interpretes, quorum quidem est sanum sinciput, conveniant; id, quod evenire non posset, si omnium verborum omniumque locorum sensus prorsus dubius esset; præsertim cum hi interpretes locis, temporibus, ingenio, studiis, moribus, magnopere inter se dissideant.

Præterea plurima sunt Scripturæ loca, in quorum interpretatione conveniunt saltem omnes, ad ea intelligenda necessariis subsidiis instructi, ac præterea rem sine præjudiciis & affectibus examinantes ita ut culpa dissensus sit, in hominibus tantum, non in dictorum obscuritate & ambiguitate.

Dantur igitur omnino *certi* Scripturæ sensus; non tantum in se, *certitudine*, ut in Scholis loquuntur, *objectiva*; sed etiam ratione nostri, *certitudine subjectiva*, i. e. dantur talia Scripturæ loca, de quorum sensu aliquis sine erroris periculo judicare potest; tametsi interpretatio nulla publica *Papæ* aut *Concilii* alicujus sententia sit confirmata.

CAPUT

CAPUT II.

Qualis sit ea certitudo, ostenditur.

Quæritur nunc, *qualis* illa sit *certitudo*? Hic vero quilibet videt, certitudinem istam talem non esse, qualis est aut *axiomatum* indemonstrabilium, v. g. *totum est majus sua parte*, *si æqualibus æqualia addas, tota sunt æqualia*; &c. aut etiam earum propositionum, quæ per necessariam consequentiam ex istis principiis deducuntur; qualis est, certitudo Theorematum Geometricorum & Arithmeticorum, multarum etiam propositionum Metaphysicarum. Nemo enim eadem ratione demonstrare posset, hunc illumve locum non alium, quam quem volumus, sensum habere posse, quemadmodum Mathematicas aut etiam Metaphysicas veritates demonstramus.

Sed male nobiscum ageretur, si omnia, quæ ita demonstrari nequeunt, pariter dubia forent; sic enim omnes de rebus priscis aut longinquis narrationes forent incertæ; incerti omnium scriptorum, imo omnium sermonum nostrorum sensus, nemoque unquam suam sententiam tam clare enunciare posset, ut audiens de sensu verborum non justam dubitandi caussam haberet. Dicimus igitur hujus rei talem esse certitudinem, qualem *materia* aut *res subjecta* recipit; solent autem Philosophi hanc certitudinem opposite, ad *Mathematicam*, aut *Metaphysicam*, *Moralem* vocare; ideo quia Philosophia *Moralis* hac certitudine contenta est, neque majorem in suis demonstrationibus desiderat.

Est autem inter hæc ista differentia, quod illud, quod *mathematice* certum est, non possit non esse verum; ita ut ejus contrarium aut contradictorium sit simpliciter *impossibile*; id autem quod *moraliter* certum est, id posset quidem esse falsum, sed ut falsum sit adeo difficile est, & ab omni probabilitate alienum, ut nemo sanus de eo dubitare possit; e. g. Papam esse Romæ, nemo ex certis principiis mathematicorum more mihi demonstrare posset; neque etiam simpliciter est impossibile Romæ eum non esse aut fuisse; Nihilominus adeo hoc mihi certum videtur, ut non magis de eo dubitem, quam de Theoremate aliquo Geometrico. Ita credo, neminem sanum dubitare posse de sensu horum verborum: *Jesus crucifixus est sub Pontio Pilato*; non dico, neminem dubitare posse de hoc facto; quanquam & hoc verum sit; sed neminem latinæ linguæ peritum dubitare posse, num sensus, quem ipse & ceteri his verbis tribuunt, verus eorum sensus sit, a me qui illis nunc utor, intentus.

Sed ita tamen, dicet fortasse aliquis, minor est certitudo dogmatum fidei, quippe quæ *moralis* tantum est, quam certitudo propositionum mathema-

maticarum aut metaphysicarum; quod Theologi multi tamen negant, imo certitudinem fidei statuunt omni alii esse anteponendam. Sed hic distinguendæ sunt quæstiones. Aut enim quæritur, num dogmata fidei in se tam vera sint, ac propositiones mathematicæ? Ad quod respondeo, omnes veras propositiones æque veras esse, neque verum aliud alio esse verius. Aut quæritur num fideles de dogmatibus fidei æque sint persuasi, quam mathematici de veritatibus mathematicis? Ad quod respondeo, id sæpe contingere, ut fideles non magis dubitent, Scripturam esse verbum Dei, & dogma hoc illudve in Scriptura contineri, quam de Geometrico aliquo theoremate. Neque obstat, quod illius certitudo tantum sit *moralis*. Multa enim *moraliter certa* non minus firmiter credimus, ac *metaphysice* aut *mathematice* certa, uti supra jam vidimus, neque, tamen persuasionem fidei semper tam firmam esse in fidelibus testatur experientia, quàm firma est persuasio in mathematicis, de certitudine suarum propositionum; sæpe enim fideles incidunt in dubitationes; sæpe indigent ut *subveniatur* eorum *incredulitati*; fides eorum crescit & decrescit; in ipsis fidelibus multi dantur *gradus fidei*, quæ omnia de persuasione mathematicorum dici nequeunt.

Si quis hic ἐν παρόδῳ ex me quæreret, quænam igitur dubitatio fidem in nobis extinguat? huic responderem breviter, eam quæ efficit, ut negligamus officium, ad quod nos obligat dogma aliquod & fides illi habita. Quamdiu firmum propositum, officium hoc, quantum possumus, faciendi, in nobis manet, fides in nobis penitus extincta non est; Ita v. g. fieri potest, ut in homine pio oriantur aliquando dubitationes de veritate Religionis Christianæ; hæ tamen in ipso fidem non tollunt, dum in eo manet firmum & constans propositum ita vivendi, ut a Christiano poscitur, & omnibus officiis, quantum in se est, fungendi, ad quæ Religio Christiana illum obligat. Hæ dubitationes volant tantum in cerebro, ut ita dicam, ad cor non agunt.

Sed redeamus ad id unde digressi sumus. Videmus ex antedictis certitudinem, quâ quis cognoscit sensum hujus illiusve dicti S. Scripturæ esse certitudinem *moralem*.

Cognoscimus enim quodlibet dogma fidei ex tali syllogismo; *Quicquid Deus in verbo suo dicit, illud verum est. Atqui hoc illudve dogma Deus in verbo suo dicit; Ergo illud verum est.* Quod ad *majorem* hujus syllogismi attinet, illa non modo certa est, sed etiam axioma & principium per se notum, quod à nemine in dubium vocatur, qui modo scit Deum. At quod ad *minorem* attinet, quanquam illa in se quoque certa sit, tamen respectu nostri aliqua propositio hac esse potest certior; sufficientis tamen est certitudinis, ut in animo rite disposito omnis dubitatio tollatur; ejus denique cettitudinis est, qualis in propositione hujus naturæ esse potest; & qualis ad scopum, ad quem omnis Religio tendit, satis est.

Solent Theologi sæpe dicere, fidem, quam dogmatibus Theologicis habemus, tum demum fieri certam, si ad rationes & argumenta credendi, accedit in cordibus nostris *testimonium internum spiritus S.* quod dogmatum veritatem obsignet; tum vero omnem dubitationem in nobis tolli, ita ut non minus firmiter credamus illa dogmata, quam quæ sunt omnium certissima, quæque aut evidenter possunt demonstrari, aut nequidem demonstratione indigent. Hoc vero non negari quidem, sed recte debet intelligi.

Testimonium illud *internum*, non est testimonium *proprie* dictum, quasi Spiritus S. cuiquam *proprie* revelaret speciatim, hoc illudve dogma esse verum, ut ita illud cognoscat ex duplici revelatione, quarum altera est *externa*, in verbo Dei, altera *interna*, quam quilibet accipiat immediate à Deo, non secus ac Prophetæ divinitus inspirati. Hic enim esset purus putus *Enthusiasmus*, quem Theologi omnes hic uno ore rejiciunt. Quæ igitur hac in re partes sunt Spiritus S.? Audivimus ab initio, rationes credendi tales esse, ut in corde rite disposito fidem producant, & fidem quidem talem, quæ omnem dubitationem tollat. Hæc vero cordis dispositio est gratiæ Dei & Spiritus S., unde petenda ab eo assiduis precibus; quæ si cui conceditur, tum vero oritur in eo summa illa certitudo, quæ in fide esse potest, quæque proinde in praxi mirificos nonnunquam habet effectus; ut discimus ex *Hebr.* XI. & aliis Locis.

Hoc vero cum facit Spiritus S. dicitur à Theologis *improprie* de veritate dogmatum, de veritate sensus S. Scripturæ, de ipsa Scripturæ divinitate testari, illaque suo testimonio obsignare. Voluit enim Deus ita nobis revelare, quæ nobis scitu ad salutem utilia sunt, ut ad ea, ut decet, credenda, requireretur recta in subjecto dispositio, ut discimus ex parabola *Matth.* XIII. *Semen* enim *in terra projectum* (*semen* illud nihil aliud est, nisi verbum Dei, quod nobis revelatur) non tale est, ut fructum *ferat debitum*, *in quamcunque terram cadat*, etiam *inviam*, in *terram petrosam*, in *spinas* & *senticeta*; sed tale, ut fructum tum demum ferat, si incidit in terram bonam.

Potest & hoc illustrari ex contrario; Certum est incredulitatem non tam provenire ex insufficientia argumentorum credendi, quam ex mala cordis διαθέσει; qui enim maxime increduli sunt, in rebus ad salutem spectantibus, in aliis sæpe sunt valde creduli, & de multis nullo modo dubitant, quæ non tam validis rationibus nituntur, quam Religio Christiana & dogmata fidei. Unde manifestissime concluditur, ad rite credenda religionis placita, malam hanc dispositionem abesse, & aliam meliorem adesse debere; quæ est illa ipsa, quæ ex Theologorum nostrorum sententia datur a Spiritu S. & ejus gratia. Ex hoc quoque ratio reddi potest, cur argumenta credendi semper sint & maneant eadem; fides tamen non in omnibus fidelibus sit æque firma, & in uno eodemque homine gradus admittat; Fit hoc ideo, quia

quia *diſpoſitio* ſubjecti, quæ ad fidem requiritur, gradus admittit, & non eadem eſt in omnibus, imo non eadem in uno eodemque perpetuo manet.

Concludimus tandem; certitudinem illam, qua cognoſcimus ſenſum verbi Dei, ratione fundamenti quidem eſſe *certitudinem moralem*; ratione firmitatis in perſuaſione gradus admittere, prout ſubjectum melius pejuſve eſt affectum; atque in iis, quorum cor Spiritus S. rite diſpoſuit & præparavit, tantam eſſe poſſe, ut omnem dubitationem omnemque formidinem contrarii, non minus quam demonſtrationes evidentiſſimæ, tollat; miroſque adeo in praxi vitæ Chriſtianæ effectus habeat & ſtupendos.

CAPUT III.

Quomodo & quibus mediis hæc certidudo acquiratur; de linguis originalibus; an & quouſque earum cognitio Interpreti Scripturæ S. ſit neceſſaria.

IN præcedentibus duas quæſtiones excuſſimus 1. an certi eſſe poſſimus de ſenſu S. Scripturæ 2. qualis ea ſit certitudo; de 3. nunc agendum, in quo præcipuus eſt labor, *quomodo ad eam certitudinem pervenire poſſimus*; deinde ſicubi illa haberi nequeat, quomodo cognoſcamus, *quis ſenſus magis, quis minus probabilis ſit.* Hic vero non propoſitum nobis eſt quærere, quomodo illum certitudinis gradum acquiramus, qui oritur ex recta diſpoſitione *ſubjecti.* Hoc enim nos alíorſum vocaret; inquirendum enim nobis eſſet, quænam illa διάθεσις eſſe debeat; quæ huic opponatur; quibus modis acquiratur, conſervetur, confirmetur, augeatur; & quia à Deo eſt, ab ipſo impetretur. Quæ omnia à noſtro inſtituto nunc quidem ſunt aliena. Loquemur de illa certitudine, quæ oritur à conſideratione *objecti*, i. e. à conſideratione attenta omnium eorum, quæ Scripturæ inſunt, ex quibus ſenſum alicujus loci certo determinare poſſumus.

Dependet autem hæc determinatio à duobus: ut certo cognoſcamus 1. locum *ſenſum*, quem volumus, *admittere* 2. locum *hunc ſolum ſenſum admittere* aut ſignificare poſſe, *nullumque alium.* Locum vero aliquem ſenſum, quem volumus, admittere, cognoſcitur ex duobus: 1. *ſi verba per ſe ſpectata ſententiam, quam iis ſubjicimus*, POSSUNT SIGNIFICARE. 2. *ſi hæc potuit eſſe Scriptoris, quem interpretamur*, INTENTIO. Quod ſi enim horum alterum tantum abeſt; locus ſenſum, quem in eo quærimus, non admittit.

Quod ad prius attinet, verba quidem quælibet quidlibet ſignificare poſſunt; ſunt enim ſigna per ſe arbitraria; ſed uſus hominum quælibet verba ad certam aliquam ſignificationem determinavit. Ex qua ſola determi-

natione cognosci potest; quid quæque verba significent. Unde consequens est, ad definiendum accurate omnium locorum sensum, Scriptorum Sacrorum Linguam intelligendam esse, v. g. Hebraicam, Græcam: Linguas enim has intelligere, nihil aliud est, quam cognoscere, ad quid significandum, Hebraice & Græce loquentes verba, quibus utuntur, determinaverint; verba intelligo non tantum singula, sed vel præcipue integras ῥήσεις loquutiones & phrases, ut vocant; quo faciunt & proverbiales locutiones, & figuræ certis populis familiares.

Cum vero errare potuerint ii, qui Scripturam S. in alias linguas transtulerunt; videmus quantum ad certitudinem sensus S. Scripturæ consequendam conferat, linguas originales, quibus nim. ipsi Scriptores S. scripta sua primum consignaverunt, cognitas habere; & quia ad has linguas perfecte discendas non tot subsidia nobis hodie supersunt, quam ad hoc esset necessarium; efficitur inde, multas locorum interpretationes dubias esse, & tales perpetuo futuras; quæ tamen, cum nihil contineant ad salutem scitu necessarium, quod quidem aliunde ex Scriptura cognosci nequeat, fidei Christianæ nihil derogant.

Sed quæri hic potest, num igitur, qui Hebraice & Græce nesciunt, *de nullius* loci interpretatione certi esse queant? Videntur non posse, cum nullam interpretationem ad fontes, quorum ignari sunt, examinare queant. Est autem ex fontibus de omnibus judicandum. Hanc objectionem nobis sæpe movent Pontificii, ut hac ratione nobis extorqueant, *infallibilem* Scripturæ *interpretem*, *Ecclesiam*, videlicet *Concilium*, vel *Papam*, quem illiterati homines sine examine sequi possint, ad fidei certitudinem esse necessarium.

Nos quidem facile agnoscimus, linguarum originalium peritos de multis certius judicium ferre posse, quam earum rudes; magnamque, in interpretandis præcipue locis difficilibus, & dijudicanda versionum fidelitate, esse eorum prærogativam. Ex eo tamen nullo modo concludendum est, homines illiteratos de vero sensu eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, minus esse certos, quam doctos & linguarum peritos. Nam, ut nunc taceam de certitudinis gradu, qui ex dispositione *subjecti* dependet; dogmata fidei necessaria tam clare & toties in S. Scriptura traduntur, ut moraliter impossibile sit, omnes interpretes, quos etiam illiteratus consulere potest, idque omnibus in locis, ubi traduntur, in versione errare potuisse; imo errare non tantum in his, sed etiam antecedentibus & consequentibus, cum quibus hoc demum sensu optime cohærent, transferendis; Præterquam quod illa dogmata in se aliquid habeant, quod cujuslibet hominis conscientia mirifice commendat. Quod si huic quoque accedit, quod ne ipsi quidem adversarii, quanquam in dogmatibus à nobis dissentiant, non tamen damnare possunt versionum nostrarum fidem, in quibus ea nobis tradi videntur; imo si ipsæ quoque eorum versiones ibi cum nostris concordant; non video, quid ad certitudinem versio-

nis

nis in illis quidem locis desit; non video, inquam, quomodo homo sanæ mentis dubitare possit; num versio, quam legit, in his saltem capitibus sit fidelis.

At enim, regeret hic aliquis, certitudo tamen hæc non nisi *moralis* est. Sed *quantum ad objectum attinet*, erit enim hoc sæpe repetendum, major certitudo in hac materia haberi non potest; quod enim illam non confirmat, venit, ut audivimus, ex dispositione *subjecti*. Et sane etiam linguarum peritissimi non nisi *moraliter certi* esse possunt, verba & phrases loci alicujus significare, quod significant; ii præsertim, qui hac in re credunt Præceptoribus, à quibus linguas illas didicerunt, aut *Lexicographis*, qui, si quemlibet seorsim consideres, non minus errori & deceptioni obnoxii fuerunt, quam Translatores dum versiones adornarunt. Quo tamen non obstante, ut potest aliquis moraliter certus esse, se veras verborum significationes tenere, ita quoque potest aliquis in multis moraliter certus esse versionem, quam legit, esse fidelem, etiamsi nullus Translatorum fuerit ἀναμάρτητος.

Quænam igitur, inquis, est prærogativa eorum, qui linguas originales callent, præ iis, qui illarum sunt ignari? Non sane hæc, quod illi articulos fidei certius cognoscant in Scriptura esse revelatos, quam fideles de plebe; sed hæc tantum, quod illi multorum locorum sensum determinare possint, de quibus rudes linguarum certi nihil definire queunt; in quibus tamen hi, sine periculo salutis, aut sequi possunt peritorum auctoritatem, sicque illa credere, *fide humana*; aut, si malint, de his judicium prorsus suspendere; Deinde, quod etiam ad locorum dubiorum interpretationem linguarum periti, aliquid saltem afferre possint, quod sit verisimile; ubi rudes, quod dicant, nihil habent; breviter, ut quis sit idoneus totius scripturæ interpres, requiritur linguarum originalium intelligentia; ut vero tantum intelligat, quantum necessarium est, ut fidelis appellari possit & Christianus, non requiritur.

Comparanda igitur est cuilibet futuro Doctori, qui Scripturam interpretari debet, aut de aliorum interpretatione judicare vult, notitia linguæ Hebrææ; siquidem totum V. Test. in illa lingua sit conscriptum, & deinde Linguæ *Hellenisticæ* N. Test. Dico linguæ *Hellenisticæ*; intelligo linguam Græcam, non puram, qualis in *Demosthene*, *Herodoto*, *Xenophonte* reperitur, sed linguam, ubi verba quidem græca sunt maximam partem, sed refertam innumeris *Hebraismis*, *Syriasmis*, *Chaldaismis*.

Linguæ Hebrææ V. Test. notitiam vix aliunde comparamus, quam ex lectione V. T.; nulli enim hodie sunt, quibus hæc Lingua sit vernacula; nullus etiam extat alius liber, qui hac lingua sit conscriptus. Lingua enim Hebræa, qua Judæi post usi sunt, & qua etiam nunc utuntur, non est pura, & non per omnia eadem cum illa, qua Biblia Sacra sunt consignata. Unde vehementer aliquis errare posset, si ex eo, quod hodierni Judæi hac illave

ſlave voce aut phraſi hoc potiſſimum ſenſu utuntur, concluderet vocem aut phraſin in Scriptura S. quoque V. T. eundem ſenſum habere; unde exempla hujus ſignificationis ex ipſa S. Scriptura ſunt afferenda.

Ex quo efficitur vocum aut phraſium, quae aut ſemel aut raro in Scriptura S. occurrunt, ſignificationem determinare valde eſſe difficile, nonnunquam penitus ἀδύνατον. Quis enim nobis dixerit, ad quid ſignificandum non *Rabbini*, ſed priſci illi Judaei, qui eo tempore, quo V. Teſtam. conſcriptum eſt, vixerunt, vocem illam determinarint. Confugiunt hic interpretes, ut plurimum ad linguas ex Hebraeo ortas, aut iis affines; neque negaverim, inde nonnunquam aliquid lucis talibus afferri poſſe; non tamen nimium etiam his eſt confidendum; neque enim ex eo, quod verba ex Hebraea Lingua orta talem ſignificationem habent, certo concludi poteſt, illa in ea ſignificatione olim in ipſa Hebraea Lingua fuiſſe accepta. Quantopere enim vocum ſignificationes mutationibus ſint obnoxiae, nemo ignorat.

Sunt alii, qui ad vocum ſignificationem determinandam confugiunt ad *Etymologiam*, & ejus originem. Sed & huic non nimium tribuendum eſt, niſi uſus id, quod ex origine vocis de ejus ſignificatione conjicimus, confirmet. Dici enim nequit, an & quantum de ſignificatione originis, vox derivata retinuerit; neque quisquam certo definiverit, praeſertim cum radix multas habet ſignificationes, quam earum potiſſimum ſpectarint, qui inde eam derivarunt, cujus ſignificatio quaeritur; aut quid praeciſe illud ſit, in quo rationem *Etymologiae* ſuae quaeſiverint, praeterquam quod ipſae quoque *Etymologiae* vocum valde incertae, & non raro eveniat, ut eandem vocem alius ab hac, alius ab alia radice deſcendere velit. Quin & hoc incertum eſt, an voces derivatae primam ſuam ſignificationem ab iis, qui primi eas à radice derivarunt, inditam, retinuerint; an vero potius uſus paulatim eas ad aliud ſignificandum determinarit.

Uſus enim, ut in omnibus linguis, ita in Hebraea omnia definire debet; ex quo, ut diximus, non aliter, niſi ex ipſis Scripturae locis, judicari poteſt. Qua in re nulli libri majorem nobis utilitatem praebent, quam *Concordantiae*, ut vocant; harum enim ductu videmus, quid in aliis locis verba, quorum ſignificatio quaeritur, ſignificent. Lexicis enim hic nimium non eſt tribuendum, qui Judaeos, & incertas eorum traditiones ſaepe ſequuntur. Videndum igitur, quibus exemplis probent, quas verbis ſingulis dant ſignificationes; exemplis, inquam, ex ipſa Scriptura petitis.

Hic duo praecipue cavenda ſunt, ut incertum ne probemus per aeque incertum; i. e. cum dubitamus de vocis alicujus ſignificatione in hoc loco, ne illam certo definire conemur ex alio, in quo non minus eſt dubia; qua in re ſaepe circulus committitur, ut probare eſſet facillimum. Alterum eſt, ut hac in re ne hypotheſibus noſtris litemus, aut eos ſequamur, qui magis in hoc laborant, ut ſententias ſuas aut *ſyſtemata* ex ſcriptore ſtabiliant, quam ut

ut ſine præjudiciis verum Scripturæ ſenſum indagent. Hi enim ut ſenſum, quem in aliquo loco invenire optant, reperiant, non deſinunt quærere loca parallela, ex quibus ſenſum optatum ſtabiliant; quo fit, ut in aliis quoque locis plures vocum ſignificationes aliorſum torqueant, ſicque ad ſenſum unius loci corrumpendum, plures alios pervertant.

Sed cum, Hebraice ſcire, non tam ſit ſingularum vocum ſignificationem memoria tenere, quam cognoſcere linguæ illius genium, & *idiotismos*, modosque loquendi, qui Hebræis olim proprii fuerunt, & in quo eorum lingua ab aliis diſtinguitur: nihil magis hic ſpectandum eſt, quam ut hujus rei cognitionem, quam fieri poteſt, accuratiſſimam acquiramus. ‡.

In hanc rem plurima obſervant *Grammatici*, præſertim in *ſyntaxi*; operæ pretium eſt hæc ſibi familiaria reddere. Magni hac in re uſus eſt *Grammatica* BUXTORFII, & *Philologia* GLASSII. Inprimis vero utile eſt legere auctores, qui *de hebraismis N. Teſtamenti* ſcripſerunt, in quibus eminent THOMAS GATAKERUS, & JOH. VORSTIUS, ex quibus optime diſcimus, qui loquendi modi Hebrææ linguæ proprii fuerint, & in quibus potiſſimum à lingua *pure Græca* diſſideat; unde non difficile eſt videre, qua in re quoque diverſa ſit ab aliis linguis.

Non abs re foret, ſi tales quoque libri, in quibus omnis generis *Hebraiſmi* notantur, ſcriberentur quoque in uſum eorum, quibus non vacat Hebræam linguam addiſcere; ſic enim verſiones quoque, in quarum pleriſque innumeri retinentur Hebraiſmi, melius intelligerent. Neque enim ſemper, ut Hebraicam loquendi rationem ab aliis diſtinguas, neceſſe eſt, ut legere ſcias, aut Hebræas voces, earumque ſignificationes, memoria teneas; tantum preſſe & ad literam vertendus eſt textus Hebræus; & Hebraismis ſubſtituendi ſunt loquendi modi idem ſignificantes in lingua vernacula, aut latina aut alia notiori. Ita etiam rudes vocum Hebraicarum, omnes Hebraismos, quotquot in verſionibus ſunt, facillime diſcent; Aut cum tales libri non extent, hoc à peritis latinæ Linguæ magnam partem diſci poteſt, ex duarum tantum verſionum collatione, PAGNINI & SEBASTIANI CASTALLIONIS, quarum illa in Hebraiſmis retinendis eſt ad ſuperſtitionem uſque religioſa; hæc vero, quantum fieri potuit, ubique latina eſt, & ab omnibus peregrinis *idiotiſmis* purgata.

Ad cognoſcendos quoque *idiotiſmos* linguæ Hebrææ non parum confert ingenium & mores Veteris populi Hebraici noſcere. Fere enim linguæ ſequuntur genium cujuscunque Populi, e. g. ſunt loquendi modi, *hyberbolæ*, *figuræ*, & *translationes* audaces, non Hebræis modo, ſed omnibus populis Orientalibus uſitatiſſimi, quibuſque adeo in ipſo familiari ſermone, atque in epiſtolis utuntur: quæ Græci & Latini, atque adeo etiam Galli, Germani, ne quidem ferrent in Oratione aliqua, imo vix in Poeſi. Hoc ſine dubio, non aliunde provenit, niſi ex temperamento eorum Populorum fervidiore,

diore, quod phantasiam quoque hominis reddit magis concitatam, & hinc illæ *hyperbolæ* & audaces figuræ.

Sæpe audivi, & nisi fallor legi quoque, eos homines, qui in regionibus Orientalibus fuerunt, & cum incolis illarum aliquandiu conversati sunt, etiam linguas eorum didicerunt, cum legunt S. Scripturam, multos in iis offendere modos loquendi, locutionibus horum hominum admodum similes; sicque interdum fieri, ut, quanquam Hebraicam linguam non didicerint, plurima tamen melius intelligant, quam doctissimi & Linguæ sanctæ peritissimi. Nempe sunt isti Peregrinatores assuetiphantasiæ populorum Orientalium, & ex phantasia, Orientalibus figuris & loquendi modis.

CAPUT IV.

Specialius examinatur, quid ad certitudinem sensus acquirendam poscatur; & qui sensus sit possibilis.

JAm supra animadvertimus ad certitudinem sensus loci alicujus duo nobis esse cognoscenda. 1. locum explicandum aliquid significare posse. 2. illum nihil aliud posse significare; aut, quod idem significat, sensum ponimus esse *possibilem*; deinde omnem alium esse *impossibilem*; 1. *possibile* hic *moraliter* sumi, satis à nobis inculcatum est, ut id iterari non sit necesse.

Ante omnia igitur videndum, num locus explicandus sensum aliquem ferat & admittat; sive, num is sensus POSSIBILIS SIT. Hoc ex duobus colligi potest. 1. si IPSA VERBA sensum illum recipiunt. 2. si illum admittit loquentis aut scribentis INTENTIO. De utroque pluribus nobis est agendum.

Quod ad *verba* primum attinet; supponimus ante omnia, aut nobis concedi postulamus, esse multorum verborum significationes tam certas, ut à nemine sano in dubium vocari possint, quales sunt, in quibus omnes linguæ alicujus periti conveniunt, & quousque conveniunt. Helleboro enim indigeret, si quis Hebraicæ linguæ peritus dubitare vellet, num revera vox שמים, *cælos* & vox ארץ *terram* significet, & talia innumera alia.

Si quis diceret, esse tamen locum de his dubitandi, cum Grammatici, à quibus significationes vocum accipimus, falli & fallere potuerint: Respondeo hanc primo esse constantem omnium traditionem; deinde linguæ alicujus peritos non sola hic Præceptorum aut Lexicographorum auctoritate niti, sed solida & in hac materia sufficienti ratione; quod videlicet, posita hac verborum

borum ſignificatione, plurima loca, in quibus verba explicanda occurrunt, aptum & commodum ſenſum habent; ſublata, aut nullum aut ineptum. Veluti ſi quis literas acciperet ignoto caractère ſcriptas, & ſimul clavem ſive *alphabetum* ad literas legendas & intelligendas; clavem primo hanc veram eſſe literarum crederet, propter ſolam mittentis auctoritatem; Quod ſi verò poſtmodum illa utens literas & legere, & aptiſſimum in illis ſenſum reperire poſſet; alia ratione non item; crederet jam ſe veram literis legendis clavem accepiſſe, non amplius ob mittentis auctoritatem, ſed propter hanc ipſam rationem, aut ſi velis, propter experientiam. Hoc facile applicari poteſt ad rem præſentem.

Hinc eſt quod *Lexicographis* non ita confidendum ſit, cum definiunt ſignificationes vocum, quæ aut ſemel aut raro in S. Scriptura occurrunt; quia hic non eam, quam modo adduxi, regulam ſequi poſſumus, & ex ea probatam à *Lexicographis* ſignificationem examinare; ſed nihil hic nobis reſtat, præter ſolam eorum auctoritatem. Eſt igitur, ut ad rem redeamus, hoc ſaltem noſtrum poſtulatum, ut nobis concedatur in multis Scripturæ, locis verborum ſignificationes à nemine linguæ perito, & ſana mente prædito, in dubium vocari poſſe.

Hoc poſito, primum & præcipuum mihi videtur axioma *hermeneuticum*, aut *canon :*

Quod verba Scripturæ S. alicubi citra controverſiam ſignificant, aut ſignificarunt, id ſignificare quoque poſſunt in loco præſenti; de cujus interpretatione agitur.

Hoc axioma igitur diſtinctius nobis eſt explicandum. Sonat illud primo de *verbis Scripturæ S.* non tam ſingulis & ſeorſim ſpectatis, quam, ut ſunt, cum aliis verbis connexa. Non enim ſemper verba omne id, quod alicubi ſeorſim, etiam citra controverſiam ſignificant, ſignificant quoque cum aliis verbis conjuncta. Plurima in quacunque lingua hujus rei habemus exempla; v.g. quænam ſint frequentiſſimæ ſignificationes verborum, *facere* & *dare*, omnibus hujus linguæ peritis notum eſt; inde tamen minimè ſequitur, hæc verba idem quoque ſignificare poſſe, cum dicitur *jacturam facere; pœnas dare;* nam verba, *facere* & *dare*, cum his conjuncta, latine loquentes ad aliud ſignificandum determinarunt, nempe ut ſignificet, *pati.*

Ita in Hebræa lingua negari non poteſt, vocem אלהים ſæpe eſſe pluralem, & denotare plures Deos, ſaltem ita dictos; ut cum dicitur אלהים אחרים, *Dii alieni*; inde tamen non ſequitur, hanc ſignificationem pluralem & tunc locum habere, quando conjungitur cum verbo ſingulari, e. g. ברא אלהים. Intelligo ſignificationem pluralem, qua ſignificet plures Deos, non qua ſignificet plures perſonas; hanc enim quæſtionem hic non excutio, num hoc nomen, terminatione plurali conſtructum cum verbo ſingulari, denotet pluralitatem perſonarum & unitatem eſſentiæ.

Secun-

Secundo dixi in axiomate posito, verba in loco interpretando significare, quod significant *alicubi*, ubi τὸ *alicubi* triplici modo accipi potest; aut enim alicubi hic significat in *eodem libro*, aut libro ab *eodem auctore*, aut alio *eodem stilo* scripto; aut significat in libro *eadem lingua* scripto; aut denique *alicubi* in alio libro *quacunque lingua* scripto, aut in universum in *sermone hominum*.

Primo sensu acceptum verum est *absolute & sine exceptione*; secundo cum hac exceptione, *si id ferat peculiaris stilus auctoris.* Nam scriptores sacros vario stilo scripsisse extra controversiam est. Stilus observatur sublimis, mediocris & humilis; alius historicus, alius propheticus, alius poeticus, alius dogmaticus. Quilibet etiam scriptor peculiarem stilum habet, alium *Paulus*, alium *Johannes*, &c. Ita non semper, quem sensum fert stilus propheticus, eundem fert historicus; humilis quem fert sublimis, *Pauli* quem fert *Johannis*. Est igitur hæc regula cum exceptione intelligenda.

Tertio sensu quoque vera est regula, sed cum duplici exceptione; *si sensum hunc fert linguæ genius, & peculiaris Scriptoris stilus.* Habent enim linguæ multos loquendi modos communes, & horum respectu dici potest, verba S. Scripturæ in hoc aut illo loco significare posse non modo, quæ significant in libro eodem, aut libris ejusdem stili, aut ejusdem linguæ; sed quæcunque aut in aliquo libro, aut etiam in sermone cujuscunque linguæ significant. Habent deinde linguæ peculiares suos *idiotismos*, & locutiones ipsis proprias. Harum ratione locutio Hebræa non idem significare potest, quod latina aut græca similis ad verbum ex Hebræo translata. v. g. habent hoc variæ, imo forte omnes linguæ commune, ut quando quærere volunt, quid hoc aut illud sibi velit aut significet, hac formula utantur; *Quid hoc, aut quid hoc est?* aut quando interpretantur verba, aut alia signa, utantur hac phrasi; *hoc est.* Ex hoc certo concludi potest, hanc phrasin, quando in S. Literis quoque occurrit, hanc significationem recipere, præsertim, si illa hoc sensu sumta, genio linguæ, qua S. Scriptura conscripta est, minime repugnant.

Sed habent v. g. linguæ quædam hodiernæ hoc proprium, ut Magnates de se loquantur in numero plurali; inde concludi non debet, hoc obtinere quoque in S. literis hebraice scriptis; nisi prius probetur, linguam quoque hanc hoc *idiotismo* gaudere. Ita apud latinos verbum *facere*, aliquando significat *sacrificare*; sed inde concludendum non est, verba huic respondentia ποιεῖν, עשה, idem significare apud Græcos & Hebræos, nisi exemplis ex hac lingua depromtis hujus rei veritas probetur.

Sed pergimus in explicatione nostri *Canonis* Hermeneutici. Diximus verba in loco explicando significare posse, quod alicubi *citra controversiam* significant; ut indicemus, verba dubiæ aut controversæ significationis non esse adducenda, ad stabiliendum sensum loci alicujus; sed ea tantum, quæ; id quod

quod significant, certo significant omnium consensu, qui linguæ satis periti, & bona mente præditi, & præterea non manifesto studio partium, aut studio singularitatis, aut alio simili affectu eo usque excæcantur, ut ad clarissimorum verborum sensum dignoscendum sint prorsus inepti.

Alias, si verba loci dubiæ & controversæ significationis afferuntur ad locum aliquem illustrandum, aut probandum & hæc istam significationem admittere; committitur, quod in Logicis appellatur *petitio principii*, unde sæpe oritur *vitiosus circulus*; quando v. g. ad locum *Petri* explicandum ejusque significationem determinandam àdducitur locus *Pauli*; & quum de hoc ipso *Pauli* loco explicando agitur, affertur idem ille locus *Petri*; id quod non raro in commentariis observatur.

Præterea cum dixi, verba in hoc loco explicando significare posse quod significant alicubi; id intelligendum est de *vi* & *potestate* verborum: hæc significatio est *possibilis*, *si verba tantum respiciantur* & eorum *vis*, quanquam *impossibilis* esse possit, si simul *loquentis respicitur intentio*.

Dixi denique, verba, quod alicubi significant, in loco explicando significare *posse*, non actu significare. Quæ duo magnopere distinguenda censeo. Novi equidem, non paucos interpretes hæc distinguenda non putare; cum dicunt *verba Scripturæ ubique tantum significare quantum significare possunt*; sed hæc regula, quomodo restringenda & explicanda sit, suo loco pluribus dicemus. Interim hoc extra controversiam est, verba in quolibet loco non omnia ea significare, quæ ipsa per se spectata, ac sine respectu ad dicentis intentionem, significare possunt.

Sed cum verba, præter significationem *propriam*, recipere possint & *tropicam*; quæritur quænam & quando talem tropicum sensum admittant? Loquimur itidem hic de verbis *per se* spectatis, non habito respectu ad dicentis *intentionem*.

Cum cuilibet licitum sit, voces ex nativa significatione in alienam convenientem transferre; respondeo secundo: Verba quæcunque *per se* spectata *tropicum* sensum admittere, etiamsi ea ipsa tropice intellecta non inveniantur; dummodo tropus aptus sit, & non adversetur genio linguæ, qua Scriptores utuntur, aut genio populi & gentis eorum.

Ad hoc enim existimo in translationibus potissimum esse attendendum; quæ enim in una gente dura habentur; in altera, quæ ingenio & phantasia, cujus in translationibus potissimæ sunt partes, differt, nihil asperi & inepti habent. Quod quis manifeste observabit, si ad stilum populorum Orientalium aut aliorum vividiori, quam nos, imaginandi facultate pollentium, probe attenderit. Unde est, quod etiam in superioribus monui, quod homines, qui peregrinati sunt ad illos populos, & diu inter illos versati

ſati, ad intelligendos libros hoc ſtilo ſcriptos, inter quos & multi S. Literarum libri ſunt referendi, cæteris hac ſaltem in parte ſint aptiores.

Sed hæc ad primi canonis hermeneutici intelligentiam ſufficiant. Dabitur nobis ſuo tempore occaſio ad hanc regulam generalem multis exemplis illuſtrandam, ſimulque ex ea regulas ſpecialiores deducendas.

CAPUT V.

Oſtenditur in ſpecie, ſenſum non eſſe POSSIBILEM, *niſi ab auctore potuerit eſſe* INTENTUS.

Nunc pergimus ad alterum, quod inquirendum indicavimus, ad certitudinem ejus ſenſus determinandam; num ſcilicet hic aut ille ſenſus potuerit eſſe ab Auctore INTENTUS. Cum vero omnis Scriptura divinitus ſit inſpirata, duplex hic *intentio* conſiderari poteſt. 1. Spiritus ſancti, a quo S. Scriptores ſunt acti & inſpirati. 2. Ipſorum Spiritus S. organorum, Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum; hicque ante omnia quæri poteſt; num hæ duæ intentiones aliquando differant, ita ut aliud homines θεόπνευστοι, aliud ipſe Deus, qui per eos locutus eſt, intendiſſe dicantur?

Ad quod reſpondeo, Scriptores ſacros nihil intendiſſe, quod non intenderit quoque Spiritus S. ut qui non modo externa eorum verba, ſed etiam internam intentionem direxit. Potuit tamen Spiritus Dei aliquando plus intendere, quam ſua organa, ita ut his non omnis ejus intentio nota fuerit. Id verum primo eſt de ſenſibus Scripturæ *ſubordinatis*, i. e. iis quorum alii ex aliis neceſſaria *conſequentia* fluunt. Hic negari nequit, Spiritum S. qui omnia prævidit, quæcunque ex diſerte dictis legitime concludi poſſunt, illa quoque omnia intendiſſe; quæ quidem ratio eſt, quod legitimæ *conſequentiæ* ex S. Scriptura non minus habeantur pro verbo Dei, quam, quæ αὐτολεξεὶ in ea dicuntur.

Idem non dici poteſt de Spiritus S. organis, qui non omnes legitimas *conſequentias* ex verbis ſuis deductas, aut inpoſterum deducendas viderunt; ac propterea eas ſaltem *diſtincte* intendere non potuerunt; ſed tantum *intentione generali*, nihil dicendi, ex quo falſum legitime concludi poſſit. Quam intentionem quilibet habet, qui ſe verum dicere putat. Sed & hoc verum eſſe poteſt, de quibusdam ſenſibus *coordinatis*, i. e. quorum alii ex aliis non ſequuntur; Spiritum S. aliquando plus intendiſſe, quam ſua organa; quia præter ſenſum *literalem*, ab organis ſuis intentum, intendit quoque ſenſum verborum *myſticum*; & hoc fortaſſe nuſquam alibi locum habet, niſi in V. Teſtamento, & ſpeciatim in *Prophetiis typicis* de Meſſia. Cum v. g. Prophetis

phetis loquentibus de suis rebus, aut rebus sui temporis, aut paulo post futuris, sic dirigente eos S. Spiritu, talia multa exciderunt, quæ in pleno aut augusto sensu non de his, sed de Messia & ejus temporibus intelligenda sunt: Sed de talibus Scripturæ sensibus *mysticis*, quid sentiamus, pluribus dicemus suo tempore.

Quum autem hi sensus sint extraordinarii, &, ut mihi videtur, Prophetiis V. Test. de Messia proprii, in ceteris tenendum hoc est, Spiritum S. nullos sensus, loquor de *coordinatis*, intendere, nisi quæ organa quoque sua Prophetæ & Apostoli, qui in hac ipsa quoque intentione à Spiritu S. sunt directi, intenderunt; & per consequens, si cognoscere velimus intentionem Spiritus S. inquirendam esse intentionem organorum ejus, Prophetarum & Apostolorum.

Hic vero quæri potest, 1. *In genere*, num sensus aliquis potuerit esse *intentus* à S. Scriptore, *quicunque demum fuerit*. 2. Num *in specie* talis potuerit esse *intentus* ab *hoc* Scriptore, *hoc* Propheta, *hoc* Apostolo, & quidem in *hoc* loco.

Quod ad priorem quæstionem attinet, hic observari debet ista regula: *Omnis sensus potuit à S. Scriptore intendi, qui non est absurdus & manifesto verbo Dei contrarius.* Dico, qui non est *absurdus*, ubi intelligo sensum cum sana ratione pugnantem, non vero rationem superantem, sive quem ratio plene non assequitur. Deus enim, qui rexit Scriptores S. cum sibi ipsi adversari nequeat, ita eos rexit, ut nihil dicerent, quod esset illi contrarium, quod Deus ipse iis per sanum rationis usum revelavit; quanquam revelare aliquid potuerit, quod ratio hominis non plene assequitur, & comprehendit. Dico quod *non plene* assequitur; non in quo *nihil* intelligit. Tale enim si Deus nobis revelaret, nihil revelaret, atque in Scriptura S. verba funderet, quæ, saltem respectu nostri, propter quos verbum suum conscribi voluit, nullum sensum haberent.

Dico secundo, S. Scriptorem ea omnia intendere potuisse, quæ verbo Dei non repugnant; & quidem propter eandem rationem, quia Deus, qui eum inspiravit & rexit, sibi adversari nequit. Hæc est una ex præcipuis regulis hermeneuticis in humanorum quoque Scriptorum interpretatione plerunque observanda; sed in interpretanda S. Scriptura præcipue locum habet. Quanquam enim non facile verbis auctoris alicujus bonæ mentis quicquam tribuendum sit, quod aliis certis & indubitatis ejus sententiis contradicat; non tamen est ἀδύνατον simpliciter, ut vel sapientissimus ἀσύςατα dicat; quemadmodum hoc ἀδύνατον est, ut Deus sibi contradicat; aut quod idem est, ut ii, qui à Deo reguntur, & in omnem veritatem ducuntur, aut sibi ipsis adversentur, aut aliis Scriptoribus ab eodem Spiritu ductis.

Sed cum, ut modo dictum est, pro verbo Dei non tantum id habeatur, quod *diserte* in illo dicitur, sed etiam, quod per legitimam *consequentiam* inde deducitur; regula hæc hermeneutica ad ista quoque extendenda est,

ut nullus ſenſus ab quoquam Sciptorum Sacrorum *intentus* eſſe dicatur; qui adverſatur ſententiæ alicui ex S. Scriptura legitime collectæ; tametſi illa in S. Scriptura nunquam directe legatur.

Sed non ſine cauſa diximus, hoc verum eſſe de ſenſu, qui adverſatur verbo Dei manifeſto. Non enim hic tanquam norma cæterarum interpretationum ſenſus Scripturæ, qui ipſi ſunt dubii & controverſi, ſunt adducendi; Quæ diſtinctio, cum non obſervatur, fit ut S. Scripturam quilibet ita interpretetur, ut ſenſus ſuis placitis & ſuo *ſyſtemati*, quod aut ipſe excogitavit, aut aliunde hauſit, nulla in re contradicat; & hoc quilibet appellat Scripturam interpretari ſecundum *analogiam fidei*; ita fit, ut ἀναλογία fidei admodum ſit *homonyma* vox, & quot ſunt *Sectæ*, tot ſint *analogiæ fidei*. Sicut itaque rectus regulæ modo dictæ uſus ſaluberrimus eſt, ita abuſus eſſet perniciosiſſimus, & cauſſa plerarumque Scripturæ S. detorſionum.

Quare etiam atque etiam cuilibet videndum eſt, ne quid pro ἀναλογία fidei, & conſequenter pro norma omnium cæterarum interpretationum admittat, niſi manifeſtiſſime ſit verbum Dei; & vel ab omnibus pro tali habeatur, vel poſt ſeverum & ab omni partium ſtudio alienum examen clariſſime appareat, eos qui id pro verbo Dei & genuino Scripturæ ſenſu non agnoſcunt; aut illud malitioſe detorquere; aut à præjudiciis aut vitioſis affectibus, quo minus id cernant, impediri. Inprimis vero, quando cum adverſariis nobis res eſt; ut iis demonſtremus: eorum interpretationes cum verbo Dei pugnare, & propterea eſſe contra *fidei analogiam*; nunquam, dico, adducendi ſunt ſenſus inter nos & illos controverſi; ſed non niſi quod conſtans, indubium, & ſaltem inter nos non controverſum eſt Dei verbum, aut quod ex eo legitime concludi poſſe, perſpicue poteſt demonſtrari.

Hæc de prima & generali quæſtione num ſenſus aliquis potuerit eſſe à Scriptore aliquo ſacro *quocunque* intentus? Altera quæſtio eſt ſpecialis, num ſenſus hic potuerit *intendi* ab *hoc Scriptore* in *hoc loco*? Hæc quæſtio non niſi ex accurata plurium circumſtantiarum conſideratione decidi poteſt. Conſideranda *perſona Scriptoris*, eorum *quibus* ſcribitur; conſiderandum *tempus*, quo ſcripſit, & *locus* in quo; conſiderandus ejus *ſcopus* tum *generalis* totius libri, tum *ſpecialis* cujuſlibet partis, in quas liber dividi debet; Conſideranda *materia* quæ à Scriptore tractatur; conſiderandus denique *modus*, quo ſenſus aliquis enuncietur, & cum *antecedentibus* & *conſequentibus* cohæreat.

Sed ut hac in re certi aliquid ſequamur, lubet omnia ad ſuos canones redigere I. Canon hic eſt; *Nullam potuerunt Scriptores S. intentionem habere, quæ perſonis eorum non congruit.* Sic e. g. ſenſus aliquis nimis argutus, ſubtilis, metaphyſicus & philoſophicus, non potuit intendi ab homine plebeio, ſimplici & illiterato. Nulla fere regula eſt, contra quam interpretes, præſertim valde acuti, & philoſophica imprimis ingenia, ſæpius peccent. Plurimi enim ſenſus, quos locis Scripturæ S. tribuunt, nimis ſunt arguti; prorſus ut nihil tam

tam ſubtile ſit *philoſophema*, quod non alicubi in S. Scriptura inveniant non conſiderantes, Scriptores S. pleroſque minime *Philoſophos* fuiſſe, ſed homines indoctos, & illiteratos, opifices, piſcatores; eorum proinde neque ratiocinia, neque ſcribendi methodum, neque ſententias, neque ſtilum, ad *ſophiſtarum* regulas atque ad *Dialecticorum* normam aut ἀκρίβειαν eſſe exigenda; ſed omnia, & ſententias, & modum enuntiandi, popularia eſſe, talia denique, quæ hominibus plebeiis conveniant. Talibus interpretibus idem convenit, quod *Critici* de *Tacito* dicunt, eum, quum ingenio admodum verſuto eſſet, omnes, quorum hiſtoriam narrat, verſutos reddere, atque inter eos ipſum quoque *Claudium* Imperatorem ſtupidiſſimum.

Objicis forte: Hæc regula tum obſervanda eſſet, ſi Scriptores S. proprio motu & inſtinctu ſcripſiſſent; ſed ſcripſerunt acti à Spiritu S.. Deinde multa ſublimia myſteria in eorum ſcriptis invenimus, captum eorum ſuperantia.

Reſp. Quemadmodum Spiritus S. ita rexit Scriptores S., ut ex iis tamen non fecerit Oratores humana eloquentia præditos, qualis fuit *Demoſthenes*, ut experientia id teſtatur, & ipſa horum Scriptorum de ſe confeſſio; ita iis quoque non infudit humanam ſcientiam; neque ex opificibus & piſcatoribus, reddidit ſublimes Philoſophos, qualis fuerunt *Ariſtoteles* & *Plato*.

Revelavit iis quidem magna ſalutis myſteria, captum non tantum plebeiorum, ſed & ſapientiſſimorum hujus mundi ſuperantia. Sed in aliis eos rudes eſſe ſivit, ut ante fuerunt; ut tanto clarius cerneretur, homines in cæteris tam imperitos *Rhetoricæ*, *Dialecticæ*, & *Philoſophiæ* tam ignaros, cum in ſolis Religionis myſteriis tam altum ſapiant, hæc minime excogitaſſe, ſed à Deo modo quodam extraordinario accepiſſe.

Poſſent & alia contra hanc regulam peccata adduci; *Paulus* ex. gr. cum de juſtificatione agit, refutat ſine dubio ſententiam Phariſæorum, quæ qualis fuerit, ex parabola *Phariſæi* & *Publicani* diſcimus. Quare ſi quis tribueret *Paulo* ſenſum, qui argueret aliquam ignorantiam vel minimam ſententiæ Phariſaicæ de juſtificatione, tribueret illi ſenſum perſonæ ejus non convenientem; cum is accuratiſſime in omnibus eorum placitis fuerit inſtitutus.

Hæc regula præcipue obſervanda, quum S. Scriptores de ſe ipſis loquuntur; ut cum v. g. Paulus ſe *primum peccatorum* vocat; Verba ſignificare poſſunt: neminem ante Paulum peccaſſe; ſed manifeſtum eſt, hanc non fuiſſe *Pauli* intentionem; Verba ſignificare poſſunt: nullum unquam in orbe tantum aut majorem peccatorem fuiſſe, quam *Paulum*; ſed cum neque hoc *Pauli* perſonæ conveniat, ut qui probe cognovit, peccatum ſuum quamlibet in ſe magnum, fuiſſe cum ignorantia conjunctum, neque hæc potuit eſſe *Pauli* intentio. Verba ſignificare poſſunt, neminem peccatorum ante ipſum à Chriſto, in mundum ad hoc veniente, eſſe ſalvatum; neque hoc ejus

ejus personæ convenit; Verba, significare possunt, *Paulum* esse peccatorum, à Christo inde ab eo tempore, quo ad hoc opus in mundum venit, salvatorum, maximum; & si nec hoc sensu in summo rigore verum sit, potuit tamen hoc *Paulus* de se per humilitatem credere. Credo igitur nomen ἁμαρτωλȣ̃ hic significare *magnum* aliquem & *peccatorem publicum*; eorum ad Christum conversorum *Paulum primum* aut inter *primos* fuisse, id quod non modo personæ congruit, sed & cum versu sequenti.

2. Canon est: *Scriptores S. nihil intendere potuerunt, quod scripsisse non convenit personæ eorum, ad quos scribunt.* Dici equidem potest, S. Scriptores omnes scripsisse Ecclesiæ universali omnium temporum; *quæcunque ante scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Si tamen primam intentionem Prophetarum & Apostolorum spectamus, locuti sunt & scripserunt iis, ad quos verba sua immediate direxerunt, quibus libros suos primum tradiderunt; quorum lingua scripserunt, & noto ipsis potissimum stilo; & ad quorum mores & consuetudines sæpissime alludunt. Ad quos *Epistolæ Apostolicæ* directæ sint, cernimus ex earum inscriptionibus.

Jam cum voluerint sine dubio ab iis intelligi, non possunt dici sensus intendisse quos ii, *quibus* scribunt, his verbis propositos, intelligere non potuissent; aut quæ verba non potuerunt non aliter intelligere: quod sane non satis mihi videtur semper in Scriptura S. interpretanda observari. Sæpe enim loca Scripturæ ita explicantur, ut nisi quis aliquandiu in scholis hodiernis Theologiæ operam dederit, & *systematibus* recentium Doctorum probe sit imbutus, ea hoc saltem modo intelligere non possit. Multa hujus rei exempla possem afferre; unicum sufficiat; Christus dicit; *quærite primum Regnum Dei, & ejus justitiam, & cætera omnia vobis adjicientur*; ubi per *justitiam* Christi intelligitur à multis, *justitia* Christi nobis per gratiam *imputata*; & est quidem sententia ista verissima; hanc justitiam nobis quærendam esse, aut quærendum, ut Deus nobis propter Christum ejusque obedientiam propitius sit. Sed si considero, *quibus* hoc à Christo dictum sit, quo *tempore*; dubito, num illi in *materia justificationis* ita fuerint instituti, ut hoc, quod Christus dicere voluit, ullo modo potuerint intelligere, quare ego malim hæc verba ita in genere intelligere: *Quærite primo regnum Dei, illud ipsum, quod adventasse creditur, & ut tali justitia & pietate præditi inveniamini qualis in hoc regno requiritur, & cetera omnia* &c. Certe si quis supponit, homines nondum ita institutos, ut hodie in scholis Reformatis instruimur, verba vix aliter intelligeret.

3. Canon. *Cum refutant S. Scriptores adversarios, non intendere potuerunt sensum, adversariis, quos refutant, non convenientem.* Est autem sensus his *non conveniens*, cum refutatur non quod illi olim crediderunt, sed quod hodierni nostri adversarii asserunt. In quo etiam sæpissime peccatur, tum propter ignorantiam; cum nescimus, quænam genuina priscorum veritatis hostium sententia fuerit; tum propter nimiam cupiditatem, nostrarum hodiernarum

rum controversiarum decisionem, & adversariorum nobis odiosorum refutationem, ubicunque possumus, in S. Scriptura inveniendi.

4. CANON *Scriptores S. nihil intendere potuerunt, quod à materia, quam tractant, est alienum.* Verba in *una materia* adhibita, alium sensum habent, quam adhibita in *alia materia*; ut v. g. cum monstratur saccus, & dicitur: hoc est frumentum; aliud significat illud *est*, quam cum monstratur pictura, & dicitur: hic est Rex Galliæ, quia idem vocabulum in diversis *materiis* adhibetur; saccus enim factus est ad frumentum continendum; pictura ad repræsentandum.

5. CANON *Scriptores S. nihil intendere potuerunt à tempore, quo scripserunt, & loco, in quo, alienum.* Sic e. g. cum notum sit in V. Test. tantam cognitionis mensuram nondum fuisse, quanta post fuit in Nov. Testamento; non ita interpretanda sunt verba; ut inde sequatur, Judæos in Religione Christiana peritiores fuisse, aut saltem æque peritos, ac fuerunt plerique Christianorum, mensura revelationis in immensum aucta.

Dico etiam à *loco* scriptionis alienum; contra quod peccatur, si ita explicatur Scriptura S. quasi non in Judæa, sed in nostris regionibus scripta esset. Necesse igitur est, ut bonus interpres, si non corpore, saltem animo, se transferat in ea ipsa loca, in quibus sacri libri scripti sunt; & quæ opiniones, qui mores, quæ consuetudines viguerint; qualia ibi ingenia hominum fuerint, quæ propensiones, quæ vitia, quis Reipublicæ, quis Religionis status &c. etiam atque etiam consideret, & nunquam oculos ab his removeat.

Hinc est, quod, qui majorem talium rerum cognitionem acquisiverunt, si modo notitia hac cum judicio uti possint, & cetera sunt paria, ceteris sint aptiores, ad S. Scripturam interpretandam. Contra, qui horum sunt ignari, nisi valde modesti sint, & de rebus ignotis nihil temere pronuntient; in crassissimos sæpe errores incidant. Et contingit talibus interpretibus idem, quod imperitis antiquitatis Pictoribus, qui depingunt priscos equites Romanos cum sellis, calcaribus, & stapedibus, eo modo, ut hodie in nostris Regionibus iis utuntur; Diabolum Christum tentantem in forma Monachi; Christum ad mensam cum convivis scamno insidentem; panes Hebræorum crassos, quales nostri sunt; tecta acuminata, & quæ sunt hujus generis infinita alia.

Quare interpreti S. Scripturæ non satis inculcari potest, ut *priscorum temporum & locorum*, & quæ in iis *usitata* fuerunt, cognitionem quanta maxima hodie acquiri potest, sibi comparet, & usque animo cogitet, libros, quos explicat, non esse hodie in *sua* regione, in *sua* urbe, in *ea* in qua institutus est *Academia*, scriptos; sed jam ante septendecim & ultra secula; in regione, in urbibus & pagis, à nostris immane quantum, quoad mores, consuetudines, opiniones &c. diversis; & quicunque sensus *his temporibus* & *locis* non conveniat, eum pro sensu alieno habeat, & tali, qui à Scriptoribus S. *intendi* nullo modo potuerit.

CAPUT VI.

Specialius explicatur, qui sensus à scopo S. Scriptoris sit alienus.

Diximus in antecedentibus ad *scopum* praecipue Scriptorum esse attendendum, ut cognoscamus, quem sensum intendere potuerint verbis suis, quem non intendere; ubi hic Canon observandus est. *Quicunque sensus à scopo scriptoris alicujus est alienus, is ab eo intendi non potuit.* Duplici autem modo dici sensus potest à scopo Scriptoris alienus, vel quod scopo prorsus *adversatur*, & cum eo pugnat; v. g. Si propositum est alicui Scriptorum S. certam sententiam probare, sensus, qui sententiam illam evertit potius, quam probat, est sensus *pugnans cum Scriptoris scopo*, & per consequens alienus, quique propterea intendi ab eo non potuit; nisi statuamus, illum sibi ipsi adversari velle. Deinde sensus alienus à scopo Scriptoris est quoque sensus *ad scopum ejus inutilis*, & qui nihil prorsus ad illum assequendum confert; aut sensus qui nihil confert ad probandum, id quod tamen scriptor θεόπνευστος probare voluit. Et hoc sensu, sensus alienus à scopo habendus est pro sensu impossibili; & tali, qui à Scriptore intendi non potuit. Ratio est, quia non censendus est dicere ἀπροσδιόνυσα & quae nihil ad rem faciant; quod sine dubio unum ex praecipuis vitiis Scriptoris est. Non censendus est aliquid probare velle, & uti argumento elumbi, nulliusque ponderis apud eum, qui argumento illo est convincendus. Non censendus est, adhortari, refutare, corrigere, solari velle, & uti iis rationibus, quae nullum adhortationi, refutationi, correctioni, consolationi momentum afferant.

Cum vero hic de scopo Scriptorum S. agimus, distinguendus est primo *scopus omnium communis*; & deinde *cuilibet proprius*. Communis scopus omnium, post Dei gloriam, est instruere homines ad salutem, atque in hunc finem eos sanctificare, & sanctificatos consolari. De hoc scopo agit Apostolus cum de Scriptura dicit 2. Timot. III., eam posse hominem σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, *sapientem reddere ad salutem*; eam *utilem esse ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam, quae est in justitia, ut perfectus* &c. *quae ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem haberemus.* Rom. XV. 4.

Certum est pro *impossibili* Scripturae sensu habendum esse, quicunque huic *communi* & universali ejus scopo adversatur; v. g. sunt multa S. Scripturae loca, quae in ἐμφάσει sua accepta videntur Deum facere peccati auctorem; at nullus est sensus, qui magis repugnat communi S. Scripturae scopo, qui est; homines commovere ad Deum glorificandum, & sanctitati vitae studendum. Qualem enim quaeso Deum conciperemus, si illum primo peccatum irresistibili quadam vi producere crederemus; & post, ad monstrandum hoc sibi displicere,

plicere, hominem, in quo illud produxit; horrendis iisque æternis pœnis afficere? Quomodo Deum aliquis posset amare, honorare, in corde suo magnifacere, & glorificare, qui hanc de Deo ideam haberet? Quomodo doleremus propter peccata admissa, nos propterea accusaremus, humiliaremus coram Deo, si existimaremus Deum hæc in nobis produxisse, idque omnipotenti virtute, cui obsistere non potuerimus? Tam blasphemi igitur sensus, cum manifestissime adversentur præcipuo S. Scripturæ scopo, & scopo, cui omnes ceteri subordinantur, nullis illos verbis Scripturæ tribuere debemus, quantumcunque in se apta sint, ad hæc significanda.

Nihil aliud omnibus his locis designatur, quam Providentiam Dei ita versari circa hominum peccata; ut quanquam illa Deus nullo modo producat, iis tamen sapientissime sæpe utatur, ad homines puniendos, aut alia consilia sua sanctissima exequenda; ita ut etiam illa, quæ non sine multis peccatis hominum, liberrime ab ipsis commissis, ad exitum sint perducta, minime tamen sine Deo & ejus Providentia forte fortuna ita contigerint. Sed de hoc alias fortasse pluribus erit dicendi locus. Hæc tantum ideo adduxi, ut monstrem, nullum sensum, quantumlibet verbis congruum, in S. Scriptura agnoscendum esse, qui alicui ex communibus ejus scopis, præsertim huic præcipuo, sanctificationi hominis, repugnet.

Sed quæritur, nullus-ne etiam sensus agnoscendus sit, qui non aliquid ad hunc communem scopum conferat? Resp. potest sensus aliquid ad hoc conferre, vel *directe* & *immediate*, vel *indirecte* & *mediate*. Non possumus dicere, omnem sensum Scripturæ *directe* & *immediate* aliquid ad Deum glorificandum, hominemque sanctificandum conferre debere, alioquin pro genuino Scripturæ sensu non agnoscendum. Hæc enim regula in innumeras ineptias nos præcipitaret. Quare etiam non admodum probo illorum Concionatorum morem, qui, quemcunque Scripturæ versiculum tractent, existimant sibi necessario ex illo eliciendos esse usus omnis generis, *elenchticos*, *adhortatorios*, *correctorios*, παιδευτικούς, *consolatorios*; alioquin concionem suam mancam esse, & textum non rite enucleatum. Quod cum affectatur, necesse est, ut multa levia & frigida dicantur: Non quælibet Scripturæ particula eodem modo ad quælibet horum utilis est, neque in quolibet versu intentio sive Spiritus S. sive Scriptorum ab ipso directorum, fuit, suppeditare omnium horum usuum argumenta.

Præterea omnia in Scriptura faciunt ad gloriam Dei aut hominis sanctificationem, prout & nos quæcunque agimus, *sive edamus*, *sive bibamus*, jubemur *facere ad gloriam Dei*; non quod immediate & directe proponere nobis debeamus edendo & bibendo glorificare Deum; sed quod hæc tandem eò tendere debeant, & quod vitam, cujus conservationem his mediis quærimus, ad Dei gloriam debeamus impendere. Ita quoque hic sese res habet. Narratur v. g. in Historia S. certa quædam circumstantia loci, temporis, perso-

I. Corinth X. 31.

personarum &c. Non necesse est, ut in hac circumstantia peculiare aliquid quæramus, quod faciat singulari quodam modo, aut ad gloriam Dei, aut ad hominis salutem; fieri potest, ut circumstantia per se nulli alii rei inserviat, quam ad historiæ declarationem, aut confirmationem, (majorem enim veritatis speciem habent historiæ cum circumstantiis narratæ, quam talibus denudatæ;] historia etiam per se fortasse ad hos usus nihil facit, sed tantum doctrina, cujus veritas historia illa confirmatur.

Et hoc meminisse debemus, cum miracula Christi explicamus; in quibus minime necesse est, in omnibus miraculorum circumstantiis hærere, quare hoc potius tempore, loco, his præsentibus, in hoc potius quam in alio, hoc modo & non alio, contigerit. *Hæc*, ait Johannes, *scripta sunt, ut credamus*, (nempe doctrinam his miraculis confirmatam,) *& credentes vitam habeamus per nomen ejus.* Ego sane mallem, ut cum miracula ista explicantur, monstraretur ex narratis circumstantiis miraculi illius veritas & magnitudo; & loco innumerorum *porismatum*, in quibus phantasia mirum quantum sibi indulget, nihil aliud inde eliceretur, quam veram proinde esse doctrinam illis confirmatam; itaque tanquam veram à nobis credendam, hancque fidem nostram ipso opere demonstrandam esse. Hoc sane si facerent, qui sacras historias explanant, longe magis scopo Spiritus S. insisterent, & minus ad omnis generis ineptias dilaberentur.

Quod de historiis dicimus, id multo magis de Parabolis verum est. Hic ante omnia scopus cujusque parabolæ est considerandus, & non modo, quod huic adversatur, sed etiam, quod ad eum nihil confert, pro sensu loci alieno habendum, quem auctor parabolæ nec intenderit, nec intendere potuerit. Unde consequens est, magis ad ostentationem ingenii & fœcundæ imaginationis facere, illas doctrinas & usus, quæ ex omnibus & singulis parabolæ circumstantiis petuntur, & mysteria, quæ in iis quæruntur, quam ad parabolæ interpretationem, verumque & à loquente intentum earum sensum indagandum & declarandum.

Quid igitur? inquis; an igitur circumstantiæ quædam in iis inutiles sunt & superfluæ? R. 1. Non propterea superfluæ sunt; si nullum alium sensum admittere dicuntur, quam qui aliquem ad communem parabolæ scopum respectum & relationem habent. 2. Licet non existimemus, quamlibet parabolæ circumstantiam peculiarem habere significationem, illas propterea non vanas & inutiles esse credimus; Faciunt enim ad parabolarum non modo elegantiam, sed ad earum etiam naturam, quæ hæc est; ut narrentur cum quibusdam circumstantiis, alioquin enim narrationum historicarum speciem non haberent. Jam vero, si hæ ex natura sua circumstantiis vestitæ esse debent; nulla peculiaris significatio in hoc quærenda est, quod potius cum his, quam cum aliis circumstantiis narrantur. Ita in ritibus & cerimoniis mysterium aliquod significantibus non omnia significativa necessario statuenda sunt; cum multa fiant propter decorum

&

& elegantiam; quemadmodum etiam in pulchris ædificiis non omnia peculiarem usum habent, quædam ornatus & symmetriæ caussa sunt addita.

Hæc omnia ideo tantum à me dicuntur, ne omnia in S. Scriptura maxima, minima, reconditam aliquam significationem habere, & directe & immediate tendere videantur, ad communem illum S. Scriptorum finem, qui est Dei glorificatio, & hominis sanctificatio, aut ad aliquem eorum usuum, qui à Paulo Rom XV. & 2 Timot. III. alibique enumerantur.

Interim hoc verum est, nihil dici in S. Scriptura, quod non saltem *indirecte* & *mediate* ad communem totius libri scopum, Dei gloriam hominisque sanctificationem & salutem tendat; atque ex hoc mihi videtur judicari posse de illa Theologorum controversia; num videlicet Scriptores θεόπνευστοι, quando loquuntur de rebus Physicis, aut aliis, in quibus Philosophi à vulgo diffident, loquantur secundum veritatem rei, aut Philosophicam ἀκρίβειαν, an vero secundum vulgi opiniones, parum soliciti sintne illæ veræ an falsæ.

1. Negari non potest, ubique locorum vulgum de plurimis ejusmodi rebus judicare secundum apparentiam potius, quam secundum rerum veritatem, variaque inter plebejos homines regnare præjudicia, quæ accurate philosophanti sunt deponenda. Inter Judæos olim talia eo plura fuisse credibile est, quo minus Philosophicæ Scholæ inter eos communes fuerunt; nam etsi hi ceteris populis omnibus in hoc superiores fuerint, quod Deus *verba sua Jacobo & statuta sua Israeli indicaverit*, & præ aliis *eloquia sua* iis *crediderit*; in sapientia seculari, artibus & scientiis variis, cum Ægyptiis & Græcis nullo modo erant comparandi. 2. Non potuit evitari crebra talium rerum mentio, præsertim in libris popularibus; necesse igitur fuit ut Scriptores θεόπνευστοι de iis loquerentur, aut secundum rei veritatem, aut secundum communem hominum opinionem.

Jam quæritur, utrum horum magis faciat ad scopum communem Spiritus S. & ejus organorum, qui est hominum sanctificatio & salus æterna? Ad hoc certe non necessarium est, imo nec quicquam confert, ut vulgo omnia præjudicia adimantur, quæcunque habet circa res Physicas, Astronomicas, & Philosophicas; nullius enim saluti & sanctificationi hæc præjudicia obstant. Id, si fecissent, Scriptores S. & ipsum Spiritum S. potius à scopo præcipuo abduxisset, quam aliquid ad eum contulisset.

1. Enim non levis difficultatis est, plebi sua præjudicia adimere; & magna pars Scripturæ huic rei fuisset impendenda, non tantum sine ulla utilitate, sed non sine levi periculo. Ita enim occasio hominibus fuisset oblata, neglecto eo quod est præcipuum, ingenium & operam consumendi, in quæstionibus philosophicis & physicis, curiosis magis, quam utilibus;

 &

& quod inde inevitabiliter oritur, de his rebus disputandi, prorsum puppinâque religionis in iis constituendi.

2. Opiniones præjudiciis suis è diametro contrariæ plerisque visæ essent incredibiles, imo falsæ; ac propterea hoc hominibus Philosophiæ & artis ratiocinandi ignaris, imo ad hanc ineptis, Religionem & S. Scripturam suspectam reddidisset. Nam S. Scriptores sententias à vulgi opinionibus abhorrentes & paradoxas, aut proposuissent una cum idoneis rationibus, aut sine rationibus. Si proposuissent una cum rationibus, inutilis hæc fuisset opera respectu plerorumque hominum, qui ad eas vimque earum intelligendam non sunt idonei; Si proposuissent sine rationibus, non minus incredibiles visæ fuissent, quam summa Religionis mysteria; atque ita difficultas credendi verbo Dei immane quantum aucta fuisset; idque sine ullo emolumento. Imo multis miraculis opus fuisset, ad hæc præjudicia plerisque hominibus adimenda; quemadmodum miraculo opus fuit, ad Paulo illa præjudicia eximenda, quæ in schola Pharisæorum imbibit.

Qui hic aliter sentiunt, verentur, ne, si hoc statuatur, S. Scriptura falsiloquii accusetur. Cum enim opiniones vulgi falsæ & erroneæ sint, qui secundum eas loquitur, falsum dicit, aliosque in errore confirmat. Neque obstat, quod hic error per se sit innoxius, & præcipuo Scripturæ scopo nullum impedimentum afferat; error tamen est; Scriptura S. autem nullius erroris est accusanda.

Ego sane, si ita sentire, esset Scripturam S. erroris coarguere, primus essem, qui hanc sententiam, ut blasphemam abominarer & rejicerem. Sed eo ipso, quo dicitur, Scripturam loqui non secundum rei veritatem, sed secundum opinionem vulgi, ab omni errore & falsiloquio excusatur. Si scopus Spiritus S. esset, nobis enarrare, quomodo hæc revera se habeant, quænam secundum philosophicam ἀκρίβειαν sit rei veritas; res autem non ita, sed aliter se haberent; esset sane hoc falsiloquium; deciperet nos, absit blasphemia dicto, Spiritus qui S. Scriptores inspiravit. Quod si vero scopus ejus est, in his rebus vulgo sua præjudicia relinquere, & ad ea sese accommodare; loqui de rebus, non ut sunt revera, sed ut vulgo apparent; nullum hic est falsiloquium: verissimum enim est, ea vulgo ita apparere; verissimum ea secundum apparentiam, & ex apparentia natam vulgi opinionem, ita se habere.

Sed ita, inquis, confirmantur in errore ii, qui hæc non tantum secundum vulgi opinionem, sed secundum ipsam rei veritatem ita se habere credunt. Resp. Si credunt S. Scripturam de his loqui secundum hominum opinionem ex apparentia natam, non inde concludent, hæc revera talia esse; atque ita in errore non confirmabuntur. Sin autem credunt, S. Scripturam hic loqui secundum ipsam rei veritatem, in hoc ipso errant, & non satis ad scopum S. Scripturæ attendunt, qui non est, vulgo præjudicia circa res physicas adimere

mere; sed, his illi relictis, ea quemlibet docere, quæ ad sanctificationem & salutem ejus sunt necessaria & utilia. Seipsos igitur potius confirmant in Scripturæ παρερμηνεία, quam ab ea in hoc præjudicio confirmantur; v. g. Cum spectrum, quod *Sauli* apparuit opera *Pythonissæ*, vocatur *Samuel*; falsum diceret Scriptura S. si illi propositum esset dicere, quid illud revera fuerit, non quid propter similitudinem *Sauli* fuerit visum. Sed si S. Scripturæ hic non alius scopus est, quam dicere, qua forma hoc spectrum *Sauli* apparuerit; nulla hic falsitas est; vere enim *Samuelis* forma apparuit, & propter hanc formam verus *Samuel Sauli* fuit visus.

Non necesse est, ut plura hac de re addamus; facile patimur hic alios à nostra sententia abire. Agnoscimus quoque ex pio hoc zelo pro Deo & verbo ejus provenire. Id tantum iis expendendum relinquimus, an non hac ratione verbum Dei potius sannis & ludibriis hominum profanorum, sed philosophiæ & multarum artium peritorum exponatur; cum mordicus pertendimus, omnia quæ de rebus naturalibus in S. Scriptura traduntur, ad literam se ita habere, & in his nusquam divinum hunc librum, maximam partem plebejis hominibus scriptum, eorum captui & opinionibus se accommodare; imo si eos, qui hic contrarium à nobis sentiunt, impietatis accusamus, quasi S. Scripturam mendacii coarguerent. Nempe hoc Athei *velint & magno mercentur* Deistæ.

CAP. VII.

Ostenditur interpreti S. Scripturæ attendendum esse ad Scopum cuique Sacrorum Scriptorum PROPRIUM.

SEd hæc satis dicta sint de Scopo S. Scriptorum communi. Præter hunc quilibet Scriptor in libro suo, aut in partibus etiam libri, habet Scopum aliquem PROPRIUM. Ubi quoque hæc valet regula: *Sensum loci alicujus non posse esse ab eo Scriptore intentum, si aut scopo illi adversatur, aut quod sufficit, si ad illum nihil prorsus confert.*

Prius quilibet agnoscet. Posterius pluribus à nobis est explicandum. Quid enim? dicent multi; annon sæpe Scriptores S. digressionibus utuntur, & scopum suum aliquandiu ex oculis amittunt? Hoc sane si faciunt, frustra sunt, qui omnia semper eorum dicta ad eundem scopum dirigunt, & sua sæpe *Systemata*, suas ἀναλύσεις, pro verbo Dei nobis obtrudunt. Resp. Id negare non possumus, multas esse in Scriptura S. digressiones, & parentheses admodum longas; imo in his libris longe plures esse, quam in aliis; quod adscribendum tum genio populi Judæorum, quorum θερμότης facile eos potuit, data occasio-

occasione, à proposito abripere; tum etiam quod S. Scriptores homines plebeii fuerint, artis Rhetoricæ non periti; unde est, quod Rhetorum regulas in digressionibus & parenthesibus non observent; neque omnino artificiosum & concinnum dictorum ordinem, qualem hi dicendi Magistri in Scholis inculcent.

Est igitur hæc regula modo dicta, cum hac exceptione observanda, *nisi manifesta sint indicia, Scriptores à scopo suo digredi.*

Hoc vero est, ut quod res est fatear, quod explicationem Scripturæ S. sæpe valde difficilem reddit; quod hi tam crebris utuntur digressionibus, & uni scopo non semper insistunt, uti faciunt ii, qui *Dialecticam* & artem dicendi in Scholis didicerunt. Unde difficile sæpe dictu est; an & quomodo dicta cum antecedentibus cohæreant? an hæc ad præcipuum argumentum pertineant; an scriptor ab eo ad aliud abripiatur; ubi incipiat digressio, ubi finiatur; præcipue in libris *Prophetarum*, in *Jobo*, & ante omnia in *Psalmis*, ubi ex divino quodam *Enthusiasmo* regius Propheta interdum subito, ab uno argumento ad aliud videtur dilapsus; item in *Epistolis Apostolicis*, ubi exemplum digressionis notabilis habemus statim ab initio *Epistolæ ad Romanos.*

Quæ sane difficultas nos tanto attentiores in lectione S. Scriptorum reddere debet, & tanto modestiores in sensu eorum definiendo. Non enim minus peccare possumus, si ea ad scopum & argumentum eorum referre volumus, ubi illi de industria à scopo recedunt, quam si, cum scopo insistunt, explicationes excogitamus à scopo alienas.

Non igitur abs re quæritur, quo modo aliquis scopum Scriptoris alicujus cognoscere possit? Nam frustra toties inculcamus, in interpretationibus Scripturæ S. ad scopum Scriptorum esse attendendum, nisi simul monstremus, quomodo hic eorum scopus, quam fieri potest, certissime cognosci possit. Hic vero sequentes regulæ mihi observandæ videntur:

1. Consideranda est *persona Scribentis*, & videndum, ut ejus, quantam maximam & penitissimam hodie acquirere possumus, cognitionem habeamus. Qua in re ne levia quidem nobis sunt contemnenda; multa enim in se levia sæpe magnopere faciunt, ad personam aliquam cognoscendam. V. g. si quis epistolas *Pauli* explicare vult, & nosse, quem scopum sibi Apostolus in singulis proposuerit, necesse est, ut *Pauli* Apostoli, quanta maxima hodie comparari potest, cognitionem habeat. Inde colligere poterit, num hic aut ille scopus ei cordi fuerit, necne. Quod enim nullo modo verisimile est tali homini, qualem *Paulum* fuisse novimus, cordi fuisse, pro scopo ejus non est habendum.

2. Consideranda *persona aut Ecclesia*, ad quam liber aliquis scriptus est; *tempus* etiam, & *locus* scriptionis; Scriptorum *adversarii*; *difficultates* illis

illis superandæ; denique coacervanda omnia sunt, quæcunque de horum hominum *tempore*, *loco* & *statu* cognoscere possumus. Ex iis colligere poterimus, num hoc illudve, quod scopus Scriptorum esse dicitur, necessarium fuerit, aut valde utile, his hominibus, his Ecclesiis, in hoc rerum statu, hoc tempore, hoc loco, scribere & inculcare. Quod enim illi tum temporis scribere, aut nullo modo necessarium erat, aut parum utile; id pro scopo genuino Scriptoris non est reputandum.

Sed, ais, si hoc iis non necessarium fuit & utile, nobis utile est; Scriptura enim S. non in eorum tantum, sed in nostri etiam gratiam scripta est. Resp. Non negamus libros Sacros Spiritu S. viros θεοπνεύστους regente, scriptos esse, ut nobis ad salutem prosint; *directus* tamen & *immediatus* scopus Scriptorum Sacrorum, (excipio libros *propheticos*) fuit necessitatibus fidelium prospicere, qui tum temporis vivebant, aut ad quos libros suos dirigebant, aut quibus illos primum miserunt, & in manus tradiderunt. E. g. cum *Paulus* ad *Timotheum* scribit, *primaria* & *directa* ejus intentio fuit, instruere *Timotheum* in regenda Ecclesia *Ephesina*; hoc vero sic fecit, dirigente eum Spiritu S. ut instructiones hæ non soli *Timotheo*, sed aliis quoque Ministris Dei post venturis prodessent. Ita quoque cum *Paulus* in *Actis Apostolorum* loquitur *Atheniensibus*, sine dubio ex divino instinctu; scopus directus ejus est, *Athenienses* ad verum Deum convertere; quanquam ejus oratio omnium Christianorum instructioni inserviat, & in hunc quoque finem, non sine Spiritus S. instinctu, à *Luca* in scriptum est relata. Jam vero quando dicimus, bonum interpretem interpretationes suas ad scopum scribentis dirigere & accommodare debere, intelligimus scopum *directum* & *immediatum*; ad quem cognoscendum quilibet videt, notitiam eorum, *à quibus* & *ad quos* libri primum scripti sunt, esse necessariam; & quo plus aut minus de iis cognoscimus, eo magis aut minus nos scopum scribentis agnoscere posse.

Veruntamen non tantum ex talibus aliunde petitis scopus libri alicujus cognoscitur; Sæpe non levis hujus cognitio peti potest ex *ipso libro*. Sunt enim in libris multa per se clara & nulla interpretatione indigentia; ex quibus collatis & probe consideratis perspici potest, quo totus liber tendat, & quis præcipuus auctoris in illo scopus fuerit. Tunc præposterum foret scopum auctoris, quem ipse in suo libro satis monstrat, aliunde discere velle. Metuendum potius esset, ne ex scopo aliunde male quæsito etiam clarissima perverteremus, & in alienum sensum detorqueremus; semper enim cognitio obscurioris ex clariori; nunquam clarioris ex obscuriori est petenda. Sed quod hic dicimus, tum solum locum habet; quando talia per se clara, & nulla interpretatione indigentia in libro aliquo reperiuntur. De aliis, quæ dubiæ sunt significationis aut controversæ, præstat, ante cognitum scopum, quem scriptor in libro habuit, nihil decidere, & judicium suspendere; semper enim satius est in rebus ad salutem nobis non necessariis, aliquid ignorare, quam errare.

Futuri enim Verbi Dei interpretes non reddendi à nobis sunt *temerarii*, ad quoslibet sensus, quos foecunda illis phantasia suggerit, Scripturæ S. audacter tribuendos, sed potius *modesti* & *verecundi*, semperque timentes, ne conceptus proprios, plus quam merentur sibi charos, Deo & ejus verbo temere affingant, & pro divinis oraculis aliis venditent. Et sane, qui in S. Scriptura omnia se intelligere putat, nusquam hæret, nusquam ambigit, tantum abest, ut pro bono Scripturæ interprete sit habendus, ut contra ne quidem scire videatur, quid sit Scripturam intelligere & interpretari, verumque & Scriptoribus S. intentum sensum cognoscere.

Neque vero quis existimet, istam ἐποχὴν, quam in tot locis difficillimis suademus, perniciosam & periculosam esse. Ea enim, quæ ad fidem & ad mores pertinent, & omnibus Christianis scitu sunt necessaria, tot in locis, tam perspicue docentur, & inculcantur; ut pius lector, qui vitiosis præjudiciis & affectibus non est excæcatus, de eorum sensu ambigere minime possit. Estque ad illa intelligenda non necessaria cognitio linguarum, antiquitatum, veterumque historiarum, rituum & consuetudinum, quæ scientia ab homine illiterato requiri non potest; imò in doctissimis valde est imperfecta; hocque adeo tempore à seculo, quo S. Scriptores scripserunt, tantopere remoto ad id sufficiens acquiri ne quidem potest. Sed nihil aliud hic requiritur, quam animus docilis, pius, salutis & veritatis sincere cupidus. Suntque illa loca talia, ut non tam acutum & doctum interpretem, quam, ut *Augustinus* loquitur, *auditorem postulant*.

Quod ad alia loca attinet, tantum abest, ut in iis interpretandis sit periculosum ἐπέχειν, aut in definiendo modestum esse, ut potius nihil sit utilius. Id enim si facimus, præterquam quod evitamus temeritatem, quidlibet Scripturæ S. & Spiritui Sancto affingendi; quod ignorantia longe perniciosius malum est; efficacissimum hoc quoque est litibus & controversiis remedium, quæ hoc præcipue aluntur, quod quælibet litigantium pars suam sententiam in S. Scriptura indubie decisam putat; de qua tamen decidenda Scriptores S. sæpe nullo modo cogitarunt. Sane si Theologi ingenue agnoscerent, interpretationes suas dubias esse, quæ tales revera sunt; & certas omnino, ut sæpe fit, hoc nostro seculo haberi non posse: multis controversiis Ecclesia careret, quæ ex nulla alia re oriuntur, quam quod hi in rebus quam maxime dubiis, omnia sibi definienda putant; & postea pro his suis definitionibus & interpretationibus non minus pugnant, quam pro certo & indubitato verbo Dei.

Sed hæc hactenus. Ex iis quæ dicta à nobis sunt, intelligitur ad quænam attendendum sit, ut cognoscamus sensum, quem tribuimus huic aut illi S. Scripturæ loco esse POSSIBILEM. Hujus vero sensus nostri *possibilitatem* postquam ita perspeximus; videndum, nemone veterum, aut recentiorum interpretum, locum ad interpretandum propositum, aliter ac nos intelligat. Talis

lis si non invenitur, sensus à nostro diversus pro *moraliter impossibili*, & per consequens noster pro *certo* est habendus.

Sin autem interpretes sunt non spernendi, qui loco alicui alium, ac nos sensum tribuunt, & horum interpretatio est examinanda, eodem modo, quo nostram examinavimus. Si illa in hoc examine invenitur, aut verbis aut scopo Scriptoris non conveniens, rejicienda est, ut *impossibilis*. Quod si vero, quod vix accidere potest, non minus ac nostra, verbis & scopo conveniens & propterea *possibilis* videretur; sensus loci in hoc casu credendus esset *ambiguus*, & talis, de quo certum judicium ferri non possit. Ridiculum enim foret, si tunc utrumque sensum certum esse statueremus; & perinde ageremus, ac si in caussa reddenda *phænomeni physici*, cum duæ nobis *caussæ physicæ* viderentur æque possibiles ac probabiles, utramque certam & indubiam *phænomeni* caussam esse concluderemus.

Sed quia tale aliquid videntur statuere Theologi magni nominis, cum nobis in Scriptura interpretanda hanc commendant regulam, ut *verba Scripturæ actu tantum credamus significare, quantum significare possunt*; hæc nunc regula *hermeneutica* nobis esset examinanda. Verum cum id alio tempore jam fecerimus, dabitur fortasse nobis locus & occasio, judicium tunc à nobis latum aliquando vobiscum communicandi. Proxime vero ad alia progrediemur.

Coronidis loco hoc saltem denuo vobis omnibus serio inculcamus, *quantopere nimirum in S. Scriptura interpretanda* TEMERITAS *vobis sit evitanda.*

* * *

In animo habuit auctor tradere discipulis regulas quoque speciales observandas in interpretatione librorum propheticorum, poëticorum, eorumque, qui sententias continent nullo inter se nexu cohærentes. Sed rem tam difficilem in aliud tempus statuit differendum, intra quod ipse se plura acquisiturum speravit ad hoc necessaria subsidia.

ANNEXA.

I. IN S. Scriptura multa sunt, quæ homines docti melius intelligunt, quam indocti, quantumlibet pii.

II. Multa sunt in eadem, quæ homines pii melius intelligunt, quam pietate carentes, quantumlibet docti.

III. Sed majoris sunt ad salutem momenti, quæ pii, quam quæ docti, melius intelligunt.

IV. *Emphasin grammaticam* verborum melius cognoscunt linguarum periti, quam imperiti.

V. *Emphasin salutarem* verborum melius in corde sentiunt homines pii, quam pietate destituti.

VI. Ut bellorum descriptiones, quae habentur in historiis melius intelliguntur ab iis, qui in bello diu sunt versati; Ita in Scriptura cum traduntur, quae spiritualem Christianorum militiam spectant, melius intelliguntur ab iis, qui in hac militia aliquandiu sunt versati.

VII. Non illi tantum crescunt in cognitione salutari, quorum cognitio fit amplior, sed ii longe magis, quorum cognitio fit efficacior & fructuosior.

VIII. Vitiosa praejudicia & affectus maxime homines impediunt in iis recte intelligendis, quae sunt in Scriptura ad salutem cognitu necessaria & utilia; quanquam illos non impediant in iis intelligendis, quae eruditionem requirunt.

IX. Nulli sunt pejores Scripturae Interpretes, quam homines, se & suos conceptus nimis amantes. Hi enim non desinunt, hos suos conceptus Scripturae affingere, & pro divinis oraculis venditare. Quod si sunt linguarum sacrarum admodum periti, & in S. Scriptura prae ceteris versati, hac sua eruditione ad nihil aliud utuntur, quam ad seipsos & alios cum iis magis excaecandos.

X. Homines indocti, se tales esse cognoscere debent; & nunquam credere, se, quoniam pii sunt, propterea omnia Scripturae loca melius intelligere; etiam illa ad quae intelligenda non tam pietas, quam eruditio requiritur.

XI. Scientia inflans est perniciosa. Sed res longe perniciosior esset pietas inflans; si modo vera pietas hoc unquam facere potest.

XII. Optandum esset, ut de cognitione sua augenda ii non adeo cogitarent, in quibus cognitio, quam habent, nullam hucusque aut valde parvam habuit efficaciam.

XIII. Piae cogitationes, quas pii inter Scripturae lectionem habent, sunt piae cogitationes; sed non propterea sunt sensus locorum quae legunt, à Spiritu S. intenti.

XIV. Cum Scriptura dicit, *animalem hominem non percipere ea quae sunt Spiritus Dei*, locutiones similes sunt, ac si diceretur : Avarus non intelligit admonitiones ad liberalitatem erga pauperes; Vindictae cupidus non capit conciones de placabilitate; Ebriosus non intelligit adhortationes ad sobrietatem & temperantiam.

XV. Nulli S. Scripturae interpreti minus tribuendum est, quam illis, qui *Systema* aliquod in imaginatione sua fabricarunt, hocque ceu *clavi* utuntur ad certos S. Scripturae libros, aut ad totam S. Scripturam explicandam; ad imitationem Astronomorum, qui pariter certas *hypotheses*, & certa *Systemata* supponunt, ad explicandos motus astrorum & phaenomena caeli. Horum enim posteriorum ratio est valde dispar; phaenomena enim caeli sunt inflexibilia & immutabilia, quae nemo flectere & torquere potest ad suum *Systema*. At verba Scripturae varios sensus admittunt, & haud difficile est,

Viro

Viro in S. Scriptura versato, linguarumque originalium apprime gnaro, illa ad suum *Systema* deflectere & accommodare; suasque *glossas* aliis Scripturæ dictis confirmare. Hac in re multum potest fertilis imaginatio, cum eruditione non vulgari conjuncta, præsertim, si quis obscuriores interpretatione, aliquid reconditum habentes, divino libro magis convenire putat, quam faciles & clariores.

EPISTOLA AD AMICUM

De regula illa multis Theologis probata:

VERBA S. SCRIPTURÆ TANTUM SIGNIFICARE, QUANTUM SIGNIFICARE POSSUNT.

PEtis à me, V. C. ut succincto tibi scripto declarem, quæ mea sit sententia, de celebri illa S. Scripturam interpretandi regula, cui Viri sane magnæ eruditionis plurimum tribuunt, & cujus ope multa in S. Literis sibi detexisse videntur, ante non visa & animadversa; cum statuunt: *Verba Scripturæ S. actu significare, quicquid significare possunt.*

Mirarer certe, te meum hic judicium scire velle, cui non ignotum est, quid doctissimi hac de re sentiant, & quid revera sit judicandum; nisi animum meum subiret, & quod sæpe te dicere memini: ad sane de rebus utilissimis judicandum, plerumque non tam requiri *ingenii & eruditionis magnitudinem*, quam *mentem à præjudiciis purgatam*; & hinc sæpe accidere, ut homines illiterati, quibus natura aliquam bonæ mentis portionem indidit, de multis rectius judicent, quam homines acerrimo ingenio, magnoque eruditionis apparatu præditi, qui his utuntur ad ingeniosa systemata exstruenda, ad quæ bene stabilienda, & suffulcienda totum ingenii acumen, omnemque eruditionis supellectilem conferunt.

Existimas igitur, te in me invenisse hominem, quem desideras; à cujus ingenio ac eruditione nihil tibi sit metuendum; hominem minime aptum ad talia Systemata, quæ nunc in precio sunt, excogitanda, quæ defendere sua suæque gloriæ magnopere intersit. Ut verbo dicam, putas, te invenisse hominem aliquem de plebe, qui ad judicandum nihil, quod afferat, habeat, nisi aliquantulum bonæ mentis; & quem acquisita undecunque scientia à nativa grataque tibi simplicitate non deflexit. Geram igitur tibi morem, sed ea lege, ut credas, me, quæ dixero, non definire & mordicus propugnare velle, sed omnia tuo judicio, tuæque emendationi me submittere. Sed ad rem.

Non expectas, ut arbitror, ut Rhetorum more, regulam, de qua agitur, adhibitis flosculis & argumentis affectus excitantibus, aut defendam, aut verba contra illam faciam; quale quid subinde observatis, in docta illa & eleganti *Apologia*, quæ extat in volumine *Disputationum Duisburgensium*. Agam hic non *Rhetorem*, sed *Logicum*, & ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν. Operam dabo, ut clare & distincte cognoscam, *subjectum* & *prædicatum* hujus *enuntiationis*: *Verba Scripturæ actu significant, quicquid significare possunt*: Videbitur hinc, an prædicatum subjecto conveniat?

Subjectum enuntiationis est: *verba Scripturæ S.* ubi citra controversiam intelliguntur verba ita inter se juncta, ut sensum aliquem habere possint. De his verbis S. Scripturæ, *prædicatur*, *quod omnia illa, quæ significare possunt, significent actu.* Cum verba dicuntur, *posse* aliquid significare, intelligitur vis illa & potestas, quam acceperunt ab institutione hominum, qui verba ad certum sensum determinarunt, & usu determinare perseverant. Hac enim institutione, & hoc usu nititur omnis vis verborum, & potentia, quam habent. Actu verba significare illud dicuntur, quod *hic* & *nunc* significant ex mente & intentione illius, qui illis utitur. Sensus itaque totius propositionis hic est: *Verba Scripturæ semper significant omne id, ad quod significandum ab hominum institutione & usu sunt determinata.*

Ut hoc intelligatur tanto clarius, notandum; Homines cum utuntur verbis ad animi sensa aliis nota facienda, non uti signis ante nihil significantibus; sed verba, jam suos sensus habentia, tantum ad suos usus applicare, ad suam videl. mentem, sua cogitata aliis significanda. Quemadmodum Jmperatores, cum tubæ sonitu militem monent ad inchoandum prœlium, utuntur signo jam diu recepto. Idem faciunt omnes loquentes & scribentes; hac tamen cum differentia, ut quicquid sonitus tubæ ex institutione significat, id quoque significet ex mente Jmperatoris. Sed non idem semper accidit loquentibus & scribentibus; sed tunc tantum, quando inveniunt talia verba, quæ ex hominum institutione præcise tantum significant, quantum ipsi præsenti eorum usu significare volunt, his cum utuntur; tum vere dici potest, illorum verba actu significare, quicquid significare possunt. Sed non semper, ne dicam raro, id accidere docet experientia.

Quod si diceretur, de verbis Scripturæ S. aliud esse judicium ferendum, ratione & experientia hoc facile convelli posset. Hic unicum tantum probe observari volumus, hominum quidem nonnunquam culpam esse, quod verba eorum plus aut minus significent, quam illis significare volunt; Sed hoc sæpe, si non plerumque, tribuendum esse linguis, quibus utuntur; in quibus non inveniunt verba ad hoc tantum, quod dicere volunt, significandum apta, & omni ambiguitate carentia. Hunc defectum necessario quoque experiuntur Scriptores S. & per eos ipse Dei Spiritus, cum certæ alicu-

alicujus linguæ verbis aliis divinas veritates notas facere volunt; præsertim si utuntur hic linguis non omnium perfectissimis, qualis est lingua *Hebræa* & *Græca Hebraizans N. T.*

Hæc omnia non possunt non agnoscere regulæ nostræ fautores, quibus hæc est regula *aurea, auro contra chara*; quare ad eam salvandam plurimas huic jungunt, restrictiones, quarum concursu hanc tantopere amatam regulam se retinere posse sperant.

Audiamus Doctissimum hujus regulæ *Apologistam*; *Ex his omnibus*, inquit, *colligitur, canonis nostri, ne quis ambiguitate se circumduci opinetur, hunc sensum esse: Ad quem conceptum verba, phrases & sermones S. Scripturæ ex indole & genio linguæ, ex stylo S. Authoribus usitato, nulla intercedente vel reluctante ratione gravi, astipulante analogia fidei & natura rei alibi in scripturis explicatæ, aut naturaliter notæ, aut experientia & complemento demonstratæ, suffragante ordine & scopo textus, consentientibus & conspirantibus antecedentibus, consequentibus, parallelis & oppositis locis &c. in mente nostra excitandum apti nati sunt, eum conceptum quoque illa verba, phrases & sermones scripturæ, imo ipse Deus ad eorum auditum & lectionem nos excitare & formare jubent.*

Mart. Hundius de verbo Dei Diss. V. §. 2.

Sed hoc ipso regulæ suæ falsitatem evidentissime probant. Quod enim, ut verum sit, multis indiget *restrictionibus*, illud per se falsum est. Quænam enim propositio tam falsa inveniri potest, quæ non post multas restrictiones tandem vera evadere posset? Quis me ferret, si jactarem, me mea manu lapidem summi ponderis in altum attollere, & ex uno loco in alium transferre posse; si postea mentem clarius explicans dicerem, me id posse adhibitis sex robustissimis adjutoribus? Et quare tantopere culpamus JESUITARUM *reservationes mentales*; si talem interpretibus S. Scripturæ commendamus regulam, quæ quanquam universaliter identidem proponatur, universaliter tamen vera non est, sed cujus veritas nititur quamplurimis *reservationibus mentalibus*.

Dicent fortasse suæ regulæ amatores, has, quas ego *restrictiones* voco, nihil esse aliud nisi *explicationes*. At ex antedictis facile patet; propositionem istam: *Verba Scripturæ actu significant quicquid significare possunt*, non magna indigere explicatione ut intelligatur; sed multiplici restrictione & limitatione, ut ex falsa vera fiat. Sed non ero difficilis; imo & hoc concedam, regulam, ut in *Duisburgensi* fit *Apologia*, sive *restrictam* sive *explicatam*, à bono Scripturæ interprete, admitti posse, imo ab omnibus talibus hucusque fuisse admissam. Cur hanc, tantopere restrictione aut explicatione indigentem regulam, sine restrictione aut explicatione usque proponunt, & usurpant?

pant? cur ita dicere amant: *Verba Scripturæ actu significare quicquid significare possunt*? Cur non malunt dicere: verba Scripturæ actu significant, quicquid, *omnibus boni Interpretis regulis probe observatis*, significare possunt. Ita clara esset, vera esset, omnium sanorum consensu. Ita neminem offenderet. Ita periculosa non foret. Ita *Fanatici*, qui suas in Scriptura visiones quærunt & inveniunt, nullum in hac regula præsidium invenirent. Tantine constant paucula quædam verba, quibus regulam suam utiliorem & tutiorem redderent, omnesque malos ejus effectus averterent? Quodnam hac in re mysterium latet? Cohorrui sane, cum apud *Duisbergensem* hujus regulæ *Apologistam* legi: NISI HÆC REGULA VERA SIT, *Deum per Verbum suum hominibus verba dare, & Scripturam instrumentum esse ad Dei, eam dantis, scopum ineptum; neminem posse esse certum de illius sensu, eamque cessurum potius in hominum tormentum, quam solatium; sibi ipsis adversari, qui eam instantiis infringere tentant; per hanc regulam nihil novi obtrudi, & necessarium esse, ut* SUB HIS TERMINIS *hodie doceatur & urgeatur*.

Mart. Hund. de verbo Dei Disp. VI. ab init.

Unde manifesto apparet, Theologos, istam regulam suam contra adversarios defendentes, regulam quidem suam restringere, sed has restrictiones in usu regulæ abesse velle.

Dicamus quod res est, non aliam ob caussam hanc suam regulam depereunt, & sine ulla restrictione proponi volunt, quia in hac regula nimis restricta, tot novis S. Scripturæ interpretationibus, & integris talium interpretationum systematis, priscis interpretibus prorsus incognitis, non satis præsidii inveniunt. Indigent hic regula paulo laxiore, majoreque libertate, quam beati Reformatores nostri & Theologi, non minus de vero Scripturæ sensu inveniendo solliciti, neutiquam sibi concessam esse putarunt. Forsitan qui novas istas interpretationes attente examinaret, deprehenderet, illas non aliter reperiri potuisse, neque inventas aliis probari, nisi ope hujus regulæ nullo modo restrictæ: *Verba Scripturæ actu significare, quicquid significare possunt*. Sed de his interpretationibus, quid sit sentiendum, tibi aliisque doctioribus dijudicandum relinquo. Vale.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
LOQUELA.

PAUCI eorum, qui oratione utuntur, naturam ejus cognitam habent. Plerique cum loquuntur, quid loquentes agant, ignorant. Neque multa, ad hoc cognoscendum utilia, à priscis discimus Philosophis, qui cum multa egregia, complura etiam supervacanea, nobis tradiderint, hoc tamen argumentum tantum non penitus incultum reliquerunt. Varia quidem Rhetores de oratione & expolienda & dilatanda eleganter copioseque scripserunt: de orationis vero origine & natura, nihil apud eos, quod animo satisfaciat, reperias. Nostro demum tempore inventus est Philosophus Gallus, ex Renati Cartesii Schola prodiens, qui argumentum hoc peculiari libello ita tractavit, ut plurimum illi lucis attulerit. Quod tamen quo minus idem tentarem, absterrere me non potuit; qui si nihil, nisi ex isto libello depromtum, de hac materia in medium afferre possem; si modo id mea opera latine à Gallicæ linguæ ignaris legeretur, vel hoc uno me de publico non male

Cordemoi de la Parole.

meruisse putarem. Nunc vero rationem prorsus diversam mihi inire propositum est, talemque, quæ si non melior est, certe ad multorum captum mihi aliquanto magis accommodata videtur. Qua quidem in re dabo operam, ut quæ accurate ab Auctore modo laudato pertractata sunt, aut omittam prorsus aut leviter attingam; iis, quæ ne attigit quidem, pressius insistam ac diutius inhæream. Sed hac tota de re tuum erit, Lector, judicium. Nos ad institutum accedimus, remque ut oportet, altius repetimus.

Fingo itaque primo, DEUM in universo hoc terrarum orbe unicum tantum hominem collocasse, nullumque aliud mente præditum animal illi sociasse. Homo iste solitarius semper & ubique cogitaret; sed de cogitationibus suis alteri patefaciendis solicitus minime esset. Aliud enim animal, cui illas patefaceret, nusquam esset. Ad DEUM enim quod attinet, cujus solius ope homo ille indigeret: hic vero omnia mentis illius abdita, sine ullis signis, exacte intelligeret. Neque etiam ab altera parte DEO, homini voluntatem suam patefacturo, ullis hujusmodi signis opus esset, quippe quod sola efficaci sua voluntate certo consequi posset. In hoc igitur, quem fingimus, statu, oratio homini prorsus inutilis esset.

Quod si homo, tractu forte temporis, inveniret signa quædam ad cogitata significanda; id faceret non in aliorum, sed in sui ipsius gratiam; puta ad suam propriam memoriam sublevandam, aut ad meliorem ordinem in cogitationibus suis tenendum. In supputationibus v. gr. difficilioribus, aliisque similibus mentis operationibus, notis externis uteretur, sine quibus notis illæ operationes commode peragi non possunt. De oratione vero, aut arte quadam, animi sensa alteri manifesta faciendi, cogitare neutiquam posset. Homo tamen ille esset, non minus ac nos homines sumus; ut vel inde videatur non usquequaque accurate dici, quod toties multis in ore fuit, *hominem his duobus, ratione & oratione, à brutis animantibus dissidere.* Inter hæc duo enim μέγα λίαν est διάςημα. Ratio *ad esse hominis*, oratio tantum ad *ejus bene esse* est necessaria, & quidem hominis solum inter plures alios versantis, non *hominis*, qualem modo finximus, *solitarii.*

At vero *non bonum est, hominem esse solum.* Immo certe homine aliorum consortio destituto nullum animal esset miserius; id quod nemini obscurum esse potest, qui semel attente consideravit, quoties inde à nativitate sua aliorum manibus, pedibus, lateribus, oculis, lingua, ingenio, cura, industria, arte & institutione fuerit usus; quoties his etiamnum utatur; quam parum plerisque horum carere possit; quamque nihil, absque his esset, ipsi reliquum esset non modo eorum, quæ corporis & fortunæ bona vulgo dicuntur, sed etiam eorum, quæ minime aliunde pendere videntur, bonorum videlicet animi. Etenim si quis sine aliorum opera (quod quomodo, ut nunc res sunt, fieri possit, concipi omnino non potest) sed tamen si quis sine aliorum opera adolescere posset, quam ferus, agrestis, di-

vinorum

vinorumque & humanorum omnium rudis futurus esset? Hoc solo fortasse brutis animantibus praestaret, si modo hoc praestare est dicendum, quod, miseriam suam & inopiam quoquo modo cognoscens, aliis pelles, aliis robur, aliis celeritatem, aliis alas, aliis nidificandi facultatem, aliis aliud invideret.

Noluit itaque DEUS hominem, tantopere aliorum societate indigentem, solum esse; sed hominem, in similium societate vivere voluit, non modo ut alter alteri mutuam operam in tot necessitatibus praestaret; sed vel praecipue ut alter alterum in cognitione cultuque numinis erudiret, juvaret, excitaret, atque ita Creator, à praecipuo illo & nobilissimo, quod condidit, opere, amplius & impensius glorificaretur. Hunc, inquam, in finem DEUS magnam hominum multitudinem esse voluit; iis sobolem procreandi vim concessit, propensionem mirificam, qua suam quisque naturam in altero amaret; fecit denique hominem ζῶον πολιτικὸν, animal non tantum sui similis societatem appetens, sed praeter cetera quoque ad societatem aptum, mediisque ad eam conservandam necessariis instructum.

Frustra tamen homo inter plurimos alios sibi similes, qui se auxilio & consilio juvare possent, positus esset; frustra alter ab altero sive consilium salubre sive opem necessariam expectaret, nisi animi cogitata alter alteri manifesta facere posset. Quemadmodum enim medicus, cui potissimum parti medicina sit facienda, ignorat, nisi, ubi morbus dolorve resideat, ab aegroto fuerit edoctus: ita fieri nequit ut homo homini multum prosit, nisi alius ex alio discat, qua quisque in re alius alii prodesse possit. Invenienda igitur erat ratio aliqua sive ars, qua quisque mentis abdita aliis patefaceret. Sine tali vinculo societas omnino non potest consistere.

Quid vero in nobis est, quod hanc vim habeat, cogitata nostra alterius menti manifesta reddendi? Quid hic homini, magna sui similium turba circumfuso, ad hoc obtinendum ante omnia in mentem veniret? Primum, quod hic faceret homo, VOLUNTAS esset VOTUMQUE. Vellet scilicet homo & optaret vehementer, ut alteri homini modo haec, modo illa cogitatio sua nota fieret; sed votum hoc suum inane esse, experientia ipsum statim doceret; nihil enim eorum, quae fieri vellet, hoc votum suum consequi videret. Idem experiretur, si aliis quibusdam cogitationibus voti sui compos fieri laboraret.

Enimvero si hominis mens ab omni corpore sejuncta esset, subsistendum hic ipsi foret; omnisque sua cogitata aliis patefaciendi spes abjicienda. Aut enim certis quibusdam cogitationibus id consequi posset, aut omnis ejus conatus frustraneus foret. Ita sane concipere non possumus, qua via Angeli mentesve separatae cogitationes suas aliae aliis patefaciant, nisi id faciant certis quibusdam cogitationibus. Quaenam illae cogitationes sint, id quidem decidere nolumus; solane hic *voluntas votumque*, ut id sufficiat,

 num

nium ad hoc *acris quadam & diuturna mentis intentio* requiratur : an cogitationis patefaciendæ *singularis* debeat esse *perspicuitas*, ejusdem *longa continuatio*, ac *crebra repetitio*; an certa *cogitationum sibi succedentium series*, an denique hoc præstet *novus cogitandi modus*, nobis, dum in corporibus vivimus, plane incognitus. Id sane, quicquid est, cogitationis quoddam genus est, quo Angelus aut mens separata, sine ullorum corporum interventu, notitiam cogitationis suæ in altero Angelo menteve aliquo modo producit, sive ut vera caussa, sive ut caussa occasionalis, quam tamen, ex constanti DEI voluntate, effectus perpetuo sequitur. Frustra vero, uti jam diximus, ab hominibus tentatur, hæc cogitata patefaciendi ratio, quam LINGUAM ANGELICAM aut LINGUAM SPIRITUUM appellare placet. Quanquam enim mens hominis, æque atque illorum, spiritualis sit, perpetua tamen experientia hæc edocetur, se, quamdiu corporis vinculis est constricta, ista *Angelica* cogitata patefaciendi *via* nihil quicquam proficere.

Vertat enim mens licet se in omnes partes, in omnes, ut ita dicam, formas se flectat, notiones simpliciter apprehendat, judicet, ratiocinetur, velit: induat omnes affectus: rerum ideas, quas alteri notas esse vellet, fortissime animo imprimat: maneat in illis diutissime defixa: iteret easdem cogitationes, intendat animum. Denique de quibuscunque rebus, &, quocunque potest modo, cogitet. Hæc omnia ad hoc, quod quærit, inveniet inutilia. His *omnibus* ne unicam quidem cogitationem, quam alteri notam esse cuperet, ejus animo unquam imprimet.

Tandem igitur ad corpus hic confugiendum est, videndumque, an non hujus ministerio, quod optatur, obtineri possit. Hic vero statim quilibet animadvertit, se, quoties vult, corpus suum & per hoc alia quoque corpora varie posse movere : ab altera vero parte deprehendit, non modo corpora, à quibus cingitur, varios in suo corpore motus producere posse, sed etiam per istos corporis motus varias produci in anima sua cogitationes, quas cogitationes, *sensus* vulgo vocamus. Unde non difficile est cuilibet concludere, se pariter, quandocunque vult, per corporis sui & aliorum ministerium, posse agere in animam alterius, in eaque varios sensus producere.

Nondum tamen habemus, quod quærimus. Isti enim sensus in anima alterius ita producti, licet & ipsi cogitationes sint, non sunt tamen illæ cogitationes, quas alteri notas esse cupimus : neque cum iis per se quicquam commune habent. Intuens v. gr. hujus universi machinam, vellem ab altero cognoscere, unde tanta sit varietas, unde æquabilis corporum vastissimorum motus, in omnibus ordo, ac constans vicissitudo; vellem, inquam, alterius sententiam de hac re cognoscere: quomodo illi hanc meam voluntatem explicabo? Possum per corporis mei ministerium, ut dictum est, varios in mente alterius excitare sensus: facere possum, ut alter meum corpus, ejus colorem, figuram ejusque varios motus videat: facere possum, ut varios audiat sonos, ut sentiat voluptatem doloremve, &c. Sed hæc omnia nihil faciunt, ad excitandam in anima alterius notitiam voluntatis illius, de qua modo sum locutus, & quam ei notam

tam esse cuperem; atque ita nihil quoque faciunt ad discendum id, quod ex altero discere volo. Immò inter hoc & eos, quos in anima alterius producere possum, sensus nulla est similitudo.

Parum igitur adhuc quidem promovimus in via, aliis cogitata nostra nota faciendi, invenienda, nisi forte illi ipsi sensus, quos in aliis (eo uti diximus modo) producimus, in eorum animis possint esse signa aliarum nostrarum cogitationum, ita ut ex eo, quod, dum in eorum organa agimus, vident, audiunt, aliove sensu percipiunt, colligere possint, quasnam nos eo ipso tempore habeamus cogitationes. Inquirendum igitur porro, an & quomodo istud fieri possit.

Notum est *signa* vulgo dividi in ea quae *natura sua*, & ea quae *ex instituto hominum* aliarumve mentium, aliquid *significant*. Videamus primo, possintne sensus, quos in aliis excitare possumus, talia illis hominibus repraesentare, quae natura sua certas quasdam nostras cogitationes, quas illo ipso tempore habemus, significent: sive an facere possimus, ut homines, quibuscum nobis intercedit commercium, in animo quaedam sentiant, quae certarum cogitationum sint *signa naturalia*.

Hic vero quilibet statim deprehendit, multas saepe in animo suo esse cogitationes, quae, quoties existunt & oriuntur, illico producere soleant in corpore suo motus & mutationes admodum conspicuas, talesque quae non à se ipso tantum, sed etiam ab aliis facile animadvertantur. Quibus quidem in motibus & mutationibus voluntas plerumque partes nullas habet, sed existunt illae naturali quadam necessitate, immo nobis saepe invitis, &, quantum possumus, obnitentibus. Exemplo res fiet clarior: sic dolor in anima producit in corpore, acutum clamorem; tristitia animae lacrymas, ejulatum aut planctum; terror pallorem; pudor ruborem; ira flammantes oculos, dentium fremitum; gaudium erumpentem cachinnum corporisque exultationem, & hujusmodi innumera. Jam vero, cum quilibet non temere credat, alios homines hac in re sibi similes esse; quoties quis tales corporis motus in aliis animadvertit, non vane inde colligit, quaenam illorum hominum, in quibus istos motus observat, sint cogitationes: quidque vicissim alii, quoties in se tales motus cernant, ex iis colligere possint & debeant.

Jam igitur noster, quem finximus, linguae aut sermonis inquisitor laboris fructum aliquem habet, jam lumen quoddam in aliorum pectoribus videt: atque incipit aliorum, quod vix fieri posse videbatur, cogitationes intueri, suasque eodem modo aliis notas fieri posse sperat. Ingens enim cogitationum est multitudo, quas homines hac ratione, i. e. motibus corporis naturalibus, in aliorum visum, auditum, tactum incurrentibus [reliqui enim sensus nullius hic usus sunt] produnt. Atque hoc quidem primum est linguae inter homines rudimentum, quam nos LINGUAM NATURALEM vocabimus.

Ad quam sane non parum facit ipsa humanorum corporum structura, quae talis est, ut facillime similes aliorum corporum motus recipiat, etiam antequam hic mens hominis agat, non secus ac chorda, pulsa alia aequali, moveri solet. Quoties enim animadvertimus, homines, cum attente &

non sine voluptate alios, puta Oratores aut histriones, audiunt, omnes eorum motus, oculorum vibrationes, vultus mutationem, manuum jactationem, nihil horum cogitantes, imitari? quod non à mentis quadam voluntate, sed à sola corporis structura simili provenit. Ex quo efficitur, ut non modo ex his corporum motibus aliorum cogitationes conjicere possimus, sed ut ipsæ cogitationes in nobis his motibus quodammodo excitentur: cum enim mutuus sit cogitationum & motuum corporis nexus, prout in aliis cogitationes mentis hos corporis motus produxerunt, hique motus quosdam in nostro corpore similes, ita, vicissim corporis nostri motus, similes illis in anima nostra cogitationes, excitant. Atque in hac LINGUA NATURALI excolenda non parum studii nobis ponendum esse videtur, cum ut aliorum sensus penitius intelligamus, tum etiam ut dicta nostra tanto majorem fidem inveniant; id quod tum fit, cum oratio nostra cum hac naturali oratione probe consentit. Neque enim aliis credimus, neque nobis creditur, cum aliud vox, aliud vultus dicit, uti recte ad Callidium M. Tullius: *Tu, Callidi, nisi fingeres, ita ageres.* Quo quidem fundamento pleraque Rhetorum de Oratoris actione, in qua tantum ponunt, præcepta nituntur.

Neque tamen nostro inquisitori hæc LINGUA NATURALIS satisfaceret; magnam enim in qualicunque lumine videret caliginem. Hæc enim signa cogitationum, tametsi NATURALIA, fallacia tamen admodum sunt; siquidem unus idemque corporis nostri motus à diversis nonnunquam cogitationibus provenit. Sic & tristi & gaudenti lacrymæ erumpunt; pallor timorem, & quandoque iram, sequitur. Unde illa quoque nata; *Frons, vultus, oculi persæpe mentiuntur: Fronti nulla fides.* Hæcque in diversis perquam diversa sunt. Unde, si nulla alia hominum lingua esset, plena omnia vanitatis, plena timoris, plena suspicionum forent. Cum enim homines perpetuo ad omnes aliorum nutus motusque intenti essent, nescio quæ somnia sibi fingerent, de quibus alii nunquam cogitassent. Atque hic, uti fieri solet, suo quisque ingenio, aut corporis temperamento indulgeret, atque pro hujus varietate aut lætas aut tristes aliorum cogitationes fingeret: & suo quisque pede, quod multorum errorum caussa esset, alios identidem metiri conaretur.

Adde, quod imperfecta admodum hæc lingua esset, neque enim ita ullas alias cogitationes, nisi affectus, eosque vehementiores, prodimus. Neque desunt in hominibus, qui ita tranquilli aut frigidi sunt, ut nunquam vehementiori affectu perturbentur; quorum omnium mentes aliis imperviæ plane essent. Tum si maxime aliorum affectus ex his signis videremus, certe caussas affectuum non videremus, quod, ut mutuum alius aliis auxilium præstet, per est necessarium. Sic cum ex infantium, qui sola hac NATURALI utuntur LINGUA, ploratu conjicimus, eos, aut dolore affici, aut aliqua re necessaria destitui; tamen, quia caussam hujus affectus nullam scimus, nunc hoc nunc illud tentamus, ac incerti, cui potissimum eorum necessitati subveniamus, quid agendum sit, sæpissime nescimus.

Hæc

Hæc & alia homini nostro persuaderent, aliam præter hanc, sensa animi plenius patefaciendi, rationem quærendam esse; atque cum *naturalia* hæc *signa* non sufficiant, alia *pro arbitrio* ad hoc significandum esse *instituenda*. Sunt autem *signa* ab hominibus *instituta* duorum fere generum; alia nempe rei, quam significant, sunt quodammodo similia, aut rem ipsam, aut ejus quoddam adjunctum, *repræsentantia*; alia sine omni similitudine simpliciter, *indicantia*. Prioris generis panes exemplum sunt in taberna pistoris depicti; posterioris hedera suspensa est, quorum illud panem, hoc vinum venale significat.

Hic vero cuivis facile intellectu est, nostrum illum hominem primo usurum signis rem non *indicantibus modo*, sed eam quodammodo *repræsentantibus*. Quod si enim illis uti ab initio vellet, quis unquam, quid significare iis velit, divinaret? Finge enim, aliquem, panem se petere, digitorum crepitu notare velle; quis signum hoc intelligeret, aut cui unquam in mentem incideret, hanc ejus esse cogitationem? Signum aliquod, panem quodammodo repræsentans, præcedat necesse est, in cujus locum digitorum iste crepitus postea substituatur. Quare prima cogitationum signa *repræsentantia* fuissent, si non perfecte, saltem quomodocunque. Hæc LINGUA REPRÆSENTATIVA cum *naturali* illa conjuncta, perfectam quandam linguam constituisset, plane ut nulla sit cogitatio, quam aliis non hac via notam facere possimus: siquidem omnia *indicantia* signa *naturalibus* aut *repræsentantibus* succedere debeant.

Ac cogitationes quidem de rebus corporalibus facile omnes quodammodo repræsentari possunt: aut cum illa ipsa corpora, aut iis similia, de quibus cogitamus, digitis aliis monstramus, aut absentia quomodocunque motibus corporis nostri depingimus. At cum de spiritibus cogitamus, fieri id vix posse videtur: quo enim corporis mei motu, aut quo signo sensibili, cogitationem, & quidem cogitationem de cogitatione, repræsentabo? Nulla similitudo est inter res toto genere diffidentes. Sed tametsi id difficilius sit, fieri tamen potest; est enim pleranque aliqua inter spiritus & corpora analogia, quam motibus corporis repræsentare aliquo modo possumus, simulque iisdem significare, nolle nos, ut in his mens alterius hæreat, sed ut de alio nobiliori cogitet: sic mentis aversionem, corporis fuga aut nauseæ imitatione, significare licet.

Qua quidem in re nobis etiam LINGUA illa NATURALIS succurrere potest. Deinde si maxime res spirituales signis repræsentari non possunt; potest aliquod eorum proprium adjunctum, potest effectus, potest alia circumstantia repræsentari. Sic, cum de DEO cogito, possum cum admiratione cœlum aspicere, ac corpus prosternere. Ita quoque cum ideam cogitationis alteri significare volo, possum oculos attente in aliquid defigere, frontem complicare, & denique eam vultus conformationem imitari, quæ attentam vulgo cogitationem in nobis comitari solet. Sed, uti dixi, difficilius est has cogitationes, quàm corporales explicare. Atque hæc, nisi fallor, non postrema ratio est, quare

quare plerique tam corporales de spiritibus cogitationes habent: quia, cum ab ineunte ætate non nisi corporalibus signis eas significari viderint, fieri non potuit, quin magna horum in teneris animis nata fuerit confusio. Quamobrem, nisi qui relictis his signis, menteque ab iis abducta, in se ipsos descendant, mentemque in mente considerent, qui paucissimi sunt, per omne reliquum vitæ tempus corporales istas cogitationes retinent.

Habet igitur tandem inquisitor noster linguam aliquam, perfectam equidem, quantum fieri potest, sed operosam nimis, difficilem & molestam: multis enim gestibus una aliqua res repræsentari debuit. Quare usus quidem ea fuisset ab initio, sed identidem in faciliorem & commodiorem viam fuisset intentus. Cumque talis sit LINGUA illa REPRÆSENTATIVA, ut ea etiam surdi auriumque usu destituti uti possent (pleraque enim ac pene omnia signis sub aspectum cadentibus repræsentari possunt; paucissimæ, de sonis aut rebus sonum magnum edentibus, cogitationes vocibus) fingamus primos illos homines, inventa LINGUA illa REPRÆSENTATIVA, surdos fuisse. Usi quidem illi primo fuissent signis illis, cogitationes *repræsentantibus*; sed sensim tot motibus corporis, quo una nunnunquam res significanda, & quasi ante oculos depingenda erat, defatigati, incepissent signa excogitare, res non quidem tam bene aut etiam nullo modo repræsentantia, sed faciliora & compendiosiora. Huncque in finem ex multis motibus, unam rem repræsentantibus, aut unicum tantum retinuissent, aut alium plane ejus loco instituissent; eumque toties repetitum atque iteratum, cum signo repræsentante conjunxissent, donec alii, quibuscum convenire voluissent, certò intelligere potuissent, eandem cogitationem utroque significari. Quo facto tandem, signis repræsentantibus velut molestioribus relictis, indicantia solum, sed commodiora, retinuissent. Hanc animi sensa explicandi rationem, quam MUTORUM LINGUAM appellabimus, si homines omnes surdi fuissent (ut ingenium necessitas acuit) longo tempore adeo perfecissent, atque expolivissent, ut motibus corporis visibilibus non tantum omnes cogitationes omniumque cogitationum connexiones, sed facile etiam satisque commode, alii aliis potuissent patefacere.

Qua quidem de re nemo dubitaverit, qui semel perpendit, quanta arte surdi aliquando cogitata patefaciant, quam aptis gesticulationibus utantur. Cujus rei exempla quotidie videmus, & pleni sunt Doctorum libri. Memorabile est illud *Constantinopoli mutorum convivium* (Turcis enim Principibus, ipsique adeo Imperatori, mutos in deliciis esse aiunt) de quo ita *Deusingius* celebris Medicus: *Omnes illos mutos*, qui videlicet in aula Turcici Imperatoris tunc erant, *aliquando in convivium invitaverat Illustris Ordinum Confœderati Belgii ad Portam Imperatoris Turcici Legatus, Cornelius Haga: ubi cum vox nulla audiretur, varia tamen commutabantur colloquia, ut in aliis conviviis fieri assolet, quæ per interpretem hinc inde Legatus cognoscebat, quo item mediante, cum mutis ipse de rebus quibusvis colloquebatur.* Ut prætermeam eos, qui animi caussa, aut ne ab omnibus intelligantur, nutus hos loquaces, aut *nutu signisque*, ut Nasonis verbo utar, *lo-*

qui

qui discant: quo ipsum Turcarum Imperatorem mirifice delectari, quin & *Lithuanum* quendam *Nobilem* cum famulis aptissime loqui solitum, atque intellectum, *Keckermannus* in Physicis auctor est.

Quanto perfectior igitur hæc *mutorum lingua* foret, si ad eam & inveniendam & excolendam omnes homines necessitate adigerentur: si aut integer aliquis populus surdus foret, aut omnes homines inde usque à mundo condito auribus capti fuissent? Nunc verò, cum paucissimi muti, i. e. natura surdi, sint, & eorum quisque non ab aliis linguam suam discat, sed hanc, quantum ipse ingenio valet, ad usus necessarios inveniat; *linguam* hanc *mutorum* adeo rudem & imperfectam esse, minime est mirandum. Omnia enim rerum initia atque recens inventa rudia fere & inculta sunt: quæ, qui ab aliis acceperunt, facile ea, inventis addendo aut detrahendo, perficiunt atque expoliunt.

Cui quidem malo non alia ratione occurri posset, quam si certi in qualibet vel civitate vel regione homines essent, qui ingenia sua ad signa talia & invenienda & perpolienda conferrent, inventaque literis consignarent, quo & exteri, qui eandem rem apud se quoque conarentur, & posteri eorum, cum suis quique inventis conferre, eaque in melius mutare, faciliora atque expeditiora reddere, varia signorum compendia excogitare, quantum denique quisque commentando potest, linguam hanc augere atque perficere possent. Quod sane, si qui facerent, & postea ab ineunte ætate surdos in hac arte instituerent; non minus bene de genere humano, ac medici, qui corporis morbos curant, mererentur. Hi enim animæ prospicerent eorum, qui æque ac nos homines atque adeo Christiani sunt; illosque hac ratione humana, omni &, quod caput est, divina ac salutari sapientia imbuere possent. Quod si quis propter mutorum infrequentiam operæ pretium non esse credit, is velim cogitet, quantum hoc sit, vel unicum hominem ad Christum adducere, &, quantum in ipso est, salutis æternæ compotem facere. Id quod non eo dico, quod sine hoc medio de salute mutorum desperandum esse existimem, sed quod mediis ordinariis, quale hac in re institutio est, quoad fieri potest, utendum esse arbitror. *Fides ex auditu est*, cui in surdis visus signorum respondet.

Quod si vero quis de hujus linguæ successu dubitet, is velim ante oculos ponat exempla doctorum virorum, qui surdos natura etiam loqui docuerunt, id quod nostra ætate *J. Wallisius*, magni vir nominis, in nobili quodam præstitit; & ante ipsum in pluribus idem fecisse quendam *Petrum Pontium*, monachum Sti. Benedicti, *Franciscus Valesius* refert: plane ut nemini amplius, quæ de perfecta gestuum lingua dixi, incredibilia videri possint. Videbuntur sane nemini, qui vel leviter, quid sit loqui, unquam attendit. Cum enim voces fere omnes cogitationum signa nudè indicantia sint, quæ aliis repræsentantibus necessario succedere debuerunt; quilibet animadvertit, perinde esse, si quis his repræsentationibus corporis motus visibiles, ac si certos vocis sonos substituat: quin imo illud aliquanto facilius videri, quod corporis motus à signis repræsentantibus, quæ & ipsa plerumque signa visibilia sunt, propius absunt quam oris voces.

Videatur & Cl. Ammani Surdus loquens.

At enim, si vera hæc sunt, quæ dicimus, quid quæso caussæ est, quod, cum

tot ſint linguarum in hoc terrarum orbe differentiæ, nullus tamen uſque adhuc repertus fuit populus, qui, ut reliqui voce, ſic ipſe geſtibus loquatur? Cujus quidem rei cum non hæc ſit ratio, quod vocalis lingua magis ſit naturalis magisve res repræſentans; quin potius longius & à *naturali lingua* & à *repræſentativa* recedat, aliam hujus rei cauſſam ſubeſſe neceſſe eſt. Quare, quid in illa *mutorum lingua* deſiderandum ſit, videamus.

Atque hic tum à parte loquentis, tum à parte audientis (liceat enim nobis ita loqui) multa occurrunt. Si corporis motibus ſenſa animi aliis manifeſta facienda eſſent, nullum prius manibus, nullum accommodatius digitis inſtrumentum reperiretur. Hic verò quam difficile eſſet in hoc manuum motu medium tenere, ne, ut magis conſpicui eſſent motus eorundemque varietates, manus loquentis, ſin minus, oculi audientis (his enim tum audiret) defatigarentur, aut hi plane nullam motuum diverſitatem perſpicerent. Jam cogita augendos eſſe hos motus, quo is, quicum loquimur, eſt à nobis remotior, uti nunc quidem vocem attollere cogimur; quam operoſa tandem hæc foret geſticulatio, quæ in gratiam hominum valde à nobis remotorum fieret, taliumque qui jam nullas digitorum, imò vix manuum noſtrarum commotiones diſtincte videre poſſent? Quantæ, tametſi propius abſis, præterea eſſet moleſtiæ, in digitos alterius oculos uſque & uſque intentos habere, minimaſque eorum motiunculas, earumque leviſſimas differentias, obſervare, idque continuo, ne quid ab altero dictorum oculos prætervolet, per multas horas, atque integrum nonnunquam diem. Sane citius hic oculi videndo, quam audiendo aures deficerent.

Sed fac, nullam hic eſſe difficultatem; certe ad quotidianos labores potiſſimum utimur manibus atque oculis: ergo uterque & loquens & audiens tantiſper, dum ſermones cæderent, ceſſare à labore cogerentur, donec colloquium finiiſſent: quod quanta in vita pareret incommoda? Quoties uterque aliud loquendi inſtrumentum optaret, quod neutrum in labore impediret?

Finge tamen, & huic occurri poſſe, at huic certe omnia mutorum ingenia nullum remedium invenirent. Videmus perpetuam in hoc terrarum orbe lucis & tenebrarum viciſſitudinem, ubi certe hæc geſticulatoria lingua dimidium modo temporis valeret. Habeat enim aliquis argutiſſimas manus, ſit inter mutos quod Demoſthenes & Cicero inter loquentes fuerunt, ſane hunc in tenebris omnis ars deficeret, tumque magis mutus eſſet ac piſcis, atque adeo tum ſolveretur omne humanæ ſocietatis vinculum. Finge, patrem ſurdum cum parvulo filio loquente in eodem noctu cubiculo cubantem: filium clandeſtina audientem percuſſorum de patre occidendo conſilia, patrem de periculo velle commonefacere, eique ſuadere, ut aut fuga ſibi conſulat, aut defenſionem paret. At hic fruſtra manus in tenebris jactat, fruſtra digitis micat; vana omnis eſt pietas. Citius patrem aggrediuntur ſicarii, quàm is à filio quicquam audire queat.

Poſſunt tamen hæc al'aque innumera accidere; ac non noctu tantum, ſed etiam interdiu. Sunt enim in hac tellure omnia corporum opacorum, quæ luminis radios intercipiunt, p'ena: ejus autem naturæ viſus eſt, ut niſi à corporibus luminis radii recta via ad oculos noſtros perveniant, nihil videamus. Geſticuletur igitur,

igitur, quantum volet, Roscius aliquis aut Æsopus, quamdiu vel minimum corpus opacum inter manus illius atque oculos meos interjacet; *Surdo narrabit fabulam*; nihil audio, id est, nihil video. Dumque manus oculis ille, aut ego manibus oculos obverto, intelligo; simulatque vero se alter nostrum alio vertit, jam nihil amplius.

Adde, quod pluribus sit periculis visus, quàm auditus, obnoxius; ex quo fit, ut plures sint cæci quàm surdi, debili visu quam debili auditu. Quid autem cæco, præsertim cæco nato, miserius esset, si ita homines convenissent, ut signis visibilibus animi sensa explicarent? Sane hi cum oculorum usu omne tum propemodum cum hominibus consortium amisissent. Qua enim ratione nobiscum colloquerentur? Ut nunc sunt res, surdus & nos & res ipsas videt, & si non aliter, certe res ipsas demonstrando, aut signis qualitercunque adumbrando, mentem aperit, idemque nos ipsi facere possumus. At, si mutorum lingua obtineret, cæco nihil relinqueretur, nisi voces inarticulatæ atque contrectationes; quas vix quisquam aliorum hominum intelligeret; quasque cæcus ille pariter, si quando talia signa nos in ejus gratiam formare vellemus, vix intelligere posset. Ergo si gestibus loqueremur, cæcus ab hominum societate exclusus videretur, longeque miserior foret, si manibus loqueremur, quam nunc surdus est, cum voce loquimur. Quin & ii, qui oculis parum prospiciunt nihilque distincte vident, quàm proxime admotis oculis [qui plurimi sunt, & plures forte essent, si oculis ad minimas digitorum motiunculas observandas uteremur] longe pluribus tum incommodis urgerentur, quàm nunc surdastri, qui tamen longe sunt illis pauciores.

Atque idem de loquentibus, i. e. animi sui sensa aliis declararantibus dici debet. Ut quis linguam aut linguæ usum amittat, aut etiam ad usum ineptam à nativitate habeat; rarissime contingit. Plures sine manibus aut digitis, aut ad motiunculas, quas illa *gestuum lingua* requireret, ineptis nascuntur. Et quoties homini manus mutilantur, digiti luxantur? quot sunt casus, qui usum eorum nobis adimunt? Quot sunt, qui ex bello truncatis ad suos manibus redeunt? Hi verò quàm miseri essent, si sermonem una cum manuum digitorumve usu amisissent? Quam detestabilis esset morbus Chiragra, quæ homines mutos prorsus faceret? Certe longe tum hoc morbo laborans esset homine muto infelicior, siquidem hic saltem ad *linguam repræsentativam* confugere posset, qua cogitata patefaciat, quæ in gestibus ferè consistit; huic vero nihil prorsus relinqueretur: oris enim vocibus ne unicam quidem cogitationum suarum ullo modo repræsentare posset.

Videmus igitur, quæ *mutorum lingua* secum trahat incommoda, & sunt fortassis alia plura, quorum tamen nulla in hac vocali lingua reperiuntur. Nam neque sermonis Organa, neque auditus tot periculis sunt ac manus & oculi exposita; neque sonum tenebræ neque interjacentia corpora impediunt; neque aurium attentio linguæve motus labores & occupationes nostras interpellit; neque aures prope unquam audiendo, neque loquendo lingua defatigatur.

Cumque duo potissimum requirantur ad sermonis perfectionem; ut scilicet magna signorum, pro cogitationum infinita multitudine, varietas quàm minimo labo-

labore & molestia ab una parte formari, ab altera percipi possit; hæc duo in hac vocali lingua reperiri plane videmus. Quod si enim primo auditum consideramus, nihil hoc sensu, in minimis sonorum differentiis sine ullo labore accuratissime distinguendis, subtilius esse videtur. Præferat, si quis velit, sensibus cæteris visum. Sint radii, qui oculos pellunt, aëre, qui aures verberat, longe subtiliores: sit visus auditu celerior; sit ad rerum naturam cognoscendam accommodatior: sit in multis aliis nobilior: certe minimas colorum differentias tam facile, tam accurate observare & plane mensurare non potest, ut auditus differentias sonorum. Quæ enim unquam inter colores Arithmetica ratio aut proportio detecta fuit, ut inter sonos? Monstretur in coloribus *secunda, tertia, quarta*, &c. & cum ad *octavam* perventum fuit, tum ratio continuetur? Observentur etiam inter hos ipsos *semi-colores*, ut inter sonos medii, quos *semi-tonia* vocant distinguuntur; à quibus si vel minimum deflectimus, jam id auris animadvertit? Ostendantur duo pluresve colores, quorum conjunctione omnium hominum oculi perinde aut offendantur aut delectentur, atque sonorum conjunctione aures. Si tales colores dantur, quinam illi sunt? In sonis dictu facile est, *duas octavas* optime consonare, post has, *tertiam* & *quintam*, post *quartam* & *sextam*; ingratissimum esse concursum *secundæ* & *septimæ*. Afferat aliquis talem inter colores proportionem, ut nos dicere possumus de sonis: ut se habet *d* ad *a*, ita se habet *a* ad *e*. De una modo sonorum differentia loquor, qua soni aut acutiores aut graviores dicuntur; de ea, qua, aut minores, aut minores, clariores aut obtusiores, atque aliis innumeris, quæ propter varietatem nomina non habent, nihil dico; quas tamen omnes & singulas auditus, mira facilitate, & ad unguem, quod ajunt, distinguit. Quare cum potiores visui in aliis partes tribuamus, hoc certe auribus cum tympano suo, stapede, malleolo, nervoque auditorio, aut potius ipsi menti, ex occasione diversissimorum in his motuum, varie sentienti concedamus oportet; quod in accurata simul & facili objecti sui proprii, minimarumque ejus differentiarum, perceptione ipsum visum superet; atque hactenus ad sermonem longe sit visu accommodatior.

Quod si vero ab altera parte vocis organa consideramus, ingentem sonorum, quibus nihil est perceptu facilius, varietatem nullo propemodum labore, & vix sensibilibus motiunculis, iis produci videmus. Non est nostri instituti, hæc multis describere, quippe quæ ex Anatomicorum libris observationibusque repeti possunt. Et si quid his addi potest, pluribus id persecuti sunt, tum in principio laudatus à nobis Philosophus Gallus, tum *Joannes* etiam *Wallisius* in tractatu *Grammatico Physico*, quem de sonorum formatione *Grammaticæ Anglicæ* præfixit. Unde cuilibet videre licet, qua ratione omnes & singulæ alphabeti literæ gignantur: quæ omnia, si cui id jucundum videtur, facile potest, adhibito præsertim speculo, experiri.

Hæc autem sequentia ad institutum nostrum nunc quidem scire sufficiat: Aër pectoris compressione è pulmonibus explosus per fistulam quandam, pulmonibus adhærentem, quam ob asperitatem *Tracheam arteriam* vocant, permeat, cumque ad caput ejus, quod *Larynx* dicitur, pervenit, ex quinque cartilaginibus constans, egressurus inde rimulam offendit, quam *Glottida* appellant, quæ si angustior est, quam in communi exspiratione solet, sonum edi

magis minusve acutum, prout rimula, cæteris paribus (nam ad hoc ipsum, non quidem, ut Wallisius credidit, asperæ arteriæ amplitudo aut longitudo, sed faucium, palati, totiusque oris ratio aliquid confert) à musculis, ob id ipsum unice factis, magis minusque contrahitur: qui inde ad fauces, ac porro ad palatum, tanquam in fornicem impingens, diversimode resonat; ac varias, antequam ore egrediatur, linguæ (quâ nihil est in omnes partes mobilius) diversa ad palatum, dentes, labia applicatione & flexu, dentium collisione, labiorum compressione aut distinctione, majori oris minorive apertione, modulationes accipit. Ex quibus non modo oritur hæc, quæ in omnibus linguis est, mira vocum multitudo, sed quæ insuper innumerabilibus adhuc linguis faciendis sufficeret.

His verò omnibus nihil facilius cogitari potest, plane ut tam leves, quales in his partibus sunt, motuum varietates (quæ si in digitis essent, vix visu, oculis proxime admotis, percipi possent) admirabilem sonorum diversitatem producant, qui etiam ab aliquot hominum millibus & commode audiri, & accuratissime distingui queunt. Atque ipsa vocis organa cum aspicimus, ac præsertim laryngem cum cartilaginibus, rimula & musculis, ad hanc contrahendam aut dilatandam unice destinatis, illamque linguæ musculosam structuram singularemque mobilitatem; nemo dubitare potest, quin hunc unum aut certe præcipuum in finem, nempe illa ad vocem formandam, hæc ad modulandam & variandam, à sapientissimo Conditore DEO nobis datæ sint; ut ita haberemus modum quendam aptissimum, minimo labore signa commodissima, &, ut res poscit, diversissima eaque perceptu facillima, edendi, quibus infinitam illam cogitationum nostrarum varietatem aliis patefacere possemus.

Quare, ut ad nostros illos linguæ inquisitores redeamus, iisque aurium usum, quem ademeramus, reddamus; nemini dubium esse potest, quin, tentatis & relictis denique cæteris omnibus, sua sponte & proprio marte vocalia, quibus animi sensa nota facerent, signa excogitaturi essent. Quæ quidem caussa est, quod his, & non aliis, omnes in hoc universo populi utuntur; qui tametsi hæc à patribus tradita acceperunt, nullam tamen, absque hoc esset, illa consensu adeo universali retinendi, cœterisque omnibus præferendi, caussam habuissent.

Quod si forte quibusdam alia, cogitata mentis significandi, tradita fuisset ratio, illam tandem cum hac longe commodiore commutassent: ac si aliquibus populis, nulla prorsus à patribus aut vicinis fuisset tradita, hanc denique, nunc ubique receptam, quæ per oris sonos id exsequitur, sponte sua tandem invenissent.

Quod qua ratione facere potuerint, dictu non est difficile. Nempe usi fuissent ab initio *naturali* sua *lingua*, quæ multas quoque voces, *clamorem*, *ejulatum*, *suspiria*, *singultum*, *risum*, &c. complectitur. Has voces, ab ipsa natura productas, cum similes iis, à quibus expressæ sunt, cogitationes significare voluissent, fuissent imitati: id quod *interjectionibus* in omnibus linguis originem dedit; quæ nihil fere sunt aliud, quàm μιμήματα & simulacra earum vocum, quas affectus aliæque cogitationes vehementiores nobis vel invitis extorquent.

A' *naturali lingua* ad *repræsentativam* transiissent, quæ inter alia multa continet signa *varios sonos* repræsentantia; quod sine dubio melius fieri non potuit, quam cum quoslibet sonos, de quibus cogitarunt, voce sua, quantum potuerunt, imitari sunt conati. Invenissent ita varias *in lingua repræsentativa* voces, ex quibus orta sunt omnia propemodum sonorum vocabula, per ὀνοματοποιΐαν, uti loquuntur, facta, qualia sunt in lingua latina: *murmur*, *strepitus*, *stridor*, *tinnitus*, *sibilus*, *tonitrû*, *mugitus*, *balatus*, aliaque plurima; immo non sonorum modo vocabula, sed aliarum quoque rerum, quæ peculiarem quendam sonum edunt, aut adjunctum habent, qualia sunt: *tuba*, *tympanum*, *campana*, *bombarda*, &c.

Horum signorum vocalium usu, jam hujus rationis, animi sensa significandi, præ alia quacunque commoditatem, clare satis vidissent; unde hujus medii facilitate commoti, accurate in qualibet re, aut qualitate; aut actione observassent, numquid illa singularem quendam sonum quomodocunque adjunctum haberet, cujus imitatione postea suam de illa re cogitationem significare possent. Ita non tantum pleraque animalia vocibus, quas illa edunt, similibus denotassent (ut nos hodieque cum puerulis loqui solemus, bovem vaccamve *mumu*, pullos avium *pipi* vocando) sed in multis actionibus & motibus sonos aut observassent, aut certe imaginati essent, quos, quotiescunque de iis cogitassent, quomodocunque exprimere essent conati: unde orta esse illa credo verba: *ruo*, *rumpo*, *frango*, *quatio*, *findo*, *scindo*; aut, si quæ ex his ab aliis linguis orta sunt, primitiva illa verba, à quibus sunt deducta. Quæsivissent itidem, an non aliqua inter voces ac res vocibus significatas analogia excogitari possit; unde, quæ jucunda, suavia ac facilia sunt, vocibus quoque, pronuntiatu jucundis & facilibus; quæ injucunda, injucundis & cum pronuntiatu difficilibus tum auditu molestis, significassent: unde orta credo vocabula, *mollis*, *durus*, *asper*, *dulcis*, *amarus*, &c.

Quæ quidem caussa est, quod multi ex priscis Philosophis, atque inter eos Plato, in omnibus fere literis earumque pronuntiatione aliquam quæsiverint cum rebus convenientiam; quæ quidem sit ratio, cur illæ literæ præcipuam vocum, quæ res illas significant, partem constituant: sic ρ motum repræsentare vult, ι tenuitatem, φ, ψ, σ, ζ vehementiam, δ, τ vinculum & stationem, λ facilitatem labendi, γ lapsum sistendi potentiam, ο rotunditatem, &c. Et inde apud Gellium Publium Nigidium ita ratiocinantem invenias: Vos *cum dicimus*, *motu quodam oris conveniente cum ipsius verbi demonstratione utimur*, *ac labias sensim primores emovemus*, *ac spiritum atque animam porro versum*, *&* *ad eos*, *quibuscum sermocinamur*, *intendimus*: *ac contra cum dicimus* Nos, *neque profuso*, *intentoque flatu vocis*, *neque projectis labiis pronunciamus*, *sed & spiritum & labias quasi intra nosmet ipsos coërcemus. Hoc idem fit & in eo, quod dicimus* TU *&* EGO, *&* TIBI *&* MIHI: *nam sicuti, quum abnuimus & adnuimus, motus quidem ille vel capitis vel oculorum à natura rei, quam significat, non abhorret; ita in his vocibus quasi gestus quidam oris & spiritus naturalis est. Eadem ratio est in græcis quoque vocibus, quam esse in nostris animadvertimus.*

Vid. ejus Cratylum.

Lib. X. c. 4.

Quo

Quo pertinet & lepidum illud Chrysippi argumentum, quo probare volebat, mentem in pectore esse, non in cerebro; quia, cum vocem EGO pronuntiamus, mentum deorsum ad pectus & ad cor movemus, ut quasi nutu ostendamus eam partem, qua præcipue sumus id quod sumus: non secus ac de nobis loquentes manum ad pectus, non ad caput, referimus.

Quæ, certe omnia, quanquam partim levia, partim ridicula sint; hoc tamen inde quodammodo liquet, potuisse priscos nominum inventores aliquid nonnunquam in rebus animadvertere, quod quadam vocis analogia significare potuerint; atque hactenus tolerari eorum posse sententiam, qui verba, saltem quædam, non casu fortuito, sed quadem ratione facta esse contendunt. Quinetiam nostros homines id primo fecisse non temere nobis fingere videmur, cum de rebus, quibus nihil est cum sonis commune, vocibus significandis, nisi aliquam inter eas similitudinem aut animadvertissent aut imaginati essent, principio vix cogitassent.

Hæc verò omnia signa vocalia ab initio cum visibilibus, rem sine dubio melius repræsentantibus, conjunxissent; deinde sensim hæc ultima tanquam operosiora negligentes, ac denique eorum prorsus obliti, vocalia sola retinuissent. Paulatim etiam de vocum & rerum similitudine minus soliciti fuissent: observassent enim inter multa vocalia signa, quorum alia res magis alia minus repræsentarent, quædam fortuito tantum casu cum rebus conjuncta essent, æque tamen omnia ad cogitatus nostros patefaciendos esse accommodata; ac denique vidissent, se, quotiescunque eodem tempore rem aliquam ostendissent, aut suam de illa cogitationem gestibus qualitercunque repræsentassent, simulque vocem aliquam, qualiscunque fuerit, pronuntiassent, idque semel atque iterum fecissent, talem se habitum acquirere, ut nunquam postea vocem hanc pronuntiare possint, quin simul de re illa cogitent. Unde facile concludere potuissent, ut voces aptæ cogitationum notæ sint, non necessarium esse, ut rem illam, de qua cogitamus, aut aliquod rei adjunctum, repræsentent; sed posse pro lubitu quamcunque vocem ad rem aliquam significandam assumi, dummodo eadem semper vox retineatur, totiesque una cum signis rem repræsentantibus pronuntietur, donec, habitu confirmato, illa vox sine his signis menti observari non possit.

Atque hic nemo quærat, qua ratione duæ cogitationes diversissimæ, qualis v. gr. est auditus hujus vocis *Deus*, & cogitatio de *ente perfectissimo*, ita conjungi possint, ut priorem nunquam habeamus, quin altera menti nostræ obversetur. Cum enim nulla propemodum cogitatio, præsertim sensus & imaginatio, sit, quam non motus aliquis cerebri comitetur, facile quis concipiet, si bis, ter, quater aut amplius, duo motus conjungantur, cerebrum, cujus substantia admodum mollis, fibræque perquam flexiles sunt, eam dispositionem & conformationem acquirere, ut horum motuum non modo neuter alterum impediat, sed etiam alter alterum juvet & promoveat, ita ut nunquam facilius fiat unus horum motuum, quam si ita cerebrum est dispositum ut fuit sæpissime antea,

i. e. cum alterum quoque motum comitem habuit. Quo fit denique, ut duo hi cerebri motus, & propter hos motus etiam suæ cuique respondentes cogitationes, semper propemodum sint conjunctæ; id quod in aliis quoque corporis nostri partibus experiri licet.

Quando enim assueti sumus duos simul digitos movere, vix unquam alterum movere possumus, quin alterius motus sua sponte consequatur, plane ut difficilimum sit alterum sine altero movere. Cujus quidem rei nulla alia caussa, est, quàm quod spiritus, qui simul in utriusque digiti musculos sæpe influxerunt, tales vias fecerunt, itaque omnem eam corporis nostri partem, quæ ad utrumque hunc motum quicquam confert, aptarunt; ut tandem non alia ratione facilius in unius digiti musculos influere possint, quam si eodem tempore vias, per quas in alterius quoque musculos penetrent, apertas inveniant atque in eas confluant. Idem plane experiemur, si sæpius duas manus, aut caput & manum aut pedem simul movere assuescimus: tunc enim vix unquam alterutrum horum facere possumus, quin unius membri motus, etiam motum alterius, nobis sæpe non cogitantibus, immo repugnantibus, post se trahat.

Quæ omnia, si quis ad cerebrum transferat, aut partem eam cerebri, in qua sensus communis residere dicitur; ac perpendat, suas quemque motum cogitationes aut præcedere aut sequi aut comitari; facile animadvertet, qua ratione cogitationes, inter quas non modo nullus naturalis est nexus, sed etiam mirum quantum diffidentes, conjungere possimus; simulque intelliget, quæ sit illa memoriæ vis, quæ tam admirabilis in quibusdam hominibus est: cur adeo à corporis recta temperie dependeat; cur cum ætate crescat aut decrescat; cur morbis variis imminuatur, & quandoque funditus pereat; ita ut universa vocum atque cogitationum connexio ita dissolvatur, ut vix nominis quisque sui amplius recordetur.

Quanquam verò hæc cogitationum conjunctio sit mutua, ut v. gr. sonum hujus vocis *Deus* audientes de ente perfectissimo cogitemus, & vicissim cum de ente perfectissimo cogitamus, aliquod hujus soni phantasma nobis occurrat; hoc tamen posterius non tam est atque prius necessarium. Cujus rei, ut mihi quidem videtur, hæc reddi potest ratio, quod sensus & imaginatio tales sint cogitationes, quas majores & vehementiores motus comitantur, quam illi sunt, qui comitantur puras perceptiones; atque idcirco quoties audimus hanc vocem, *Deus*, motum qui inde in cerebro oritur, alter quoque motus, quem cogitatio de ente perfectissimo comitatur, necessario sequitur: vehementior enim motus facilius secum trahit leviorem, quam levior vehementiorem. Nisi forte dicere velimus, esse nonnunquam in nobis puras rerum perceptiones, quas nulli cerebri motus aut præcedunt aut sequuntur; id quod tamen, cum, quantum mens nostra à corpore dependeat, considero, & quomodo morbus aut alia corporis nostri mutatio non sensus modo & imaginationem, sed etiam quæ puræ perceptionis esse videntur, mutet; mihi nondum factum est verisimile.

Quod

Quod si vero homines cum auditu vocum diversissimas ab his sonis cogitationes conjungere possunt: idem prorsus de vocum pronuntiatione judicium est ferendum: quam si in teneris annis cum certis quibusdam cogitationibus connectere assuevimus, vel solo temporis progressu nunquam postea orietur illa cogitatio, quin hi corporis nostri motus, quibus varias voces edimus, sponte sequantur: ita ut, cum cogitata nostra proloqui volumus, adeo de vocum pronuntiatione, de rimulæ Laryngis coarctatione, aut dilatatione, varia oris opertione, diversis linguæ flexibus, &c. solliciti non simus, ut vix nos abstinere possimus, quin & ea, quæ dicere nolumus, enuntiemus: ac lingua sæpenumero voluntatem præcurrat; id quod in pueris præsertim cernitur, qui cogitata sua adeo celare non possunt, ut etiam soli, quicquid in mentem iis venit, proloquantur.

Atque in hac cerebri conformatione caussa latet, quare ii, qui meditationibus dediti sunt, præsertim abstractioribus, quique sæpius mentem à sensibus & imaginibus rerum abducunt, neque aliorum dicta tam celeriter percipiant, neque etiam tam expedite, ut multi alii, loquantur. Cogitationes enim eorum non tam vehementes in cerebro producunt motus, quales requiruntur ad promtam vocum, qua cogitationes illæ significantur, imaginationem, spirituumque in organa vocis celerrimum influxum. Quare hos, ut aliorum dicta citius percipiant, & ipsi fiant eloquentiores, aut affectus varios induere, aut corpus movere manusve jactare oportet; ut hac ratione in cerebro eorum spirituum motus reddatur vehementior, sicque hic celeriores & vividiores vocum imagines, pronuntiationemque promptiorem & faciliorem efficiat. Nisi forte & hæc ejus rei ratio est, quod, qui rerum naturas attentius considerant, videntes ad ea nihil signa, quæ homines pro lubitu ad ea indicanda instituerunt, conferre; illa cogitatione crebro resecent, atque ita hanc vocum cum cogitationibus connexionem imminuant & quodammodo dissolvant: quo fit, ut, cum cogitata proloqui volunt, sæpissime hæreant, ac verba cogitationes sequi nolint; itidemque cum alios loquentes audiunt; cogitationes, quæ illis vocibus significari solent, auditum vocum non statim excipiant; atque idcirco hi tardius atque alii mentem aliorum percipiant.

Ex iis, quæ dicta sunt adhuc, satis tandem perspicimus, qua ratione homines, sibi relicti, cum certis cogitationibus certas voces conjungere potuerint, iisque cogitata significare, ac paulatim signis cogitationum sive *naturalibus* sive *repræsentantibus* substituere, proque earum multitudine voces, quantum potuerunt, variare, instrumenta ad id destinata diversimode movere, linguam in omnes partes flectere, & si quæ alia necessaria erant, ut infinitæ cogitationum varietati totidem vocabula responderent; denique talem aliquam linguam, quali nos aliique per orbem terrarum populi utimur, proprio marte excogitare; quam nos linguam, ut eam à præcedentibus distinguamus, LINGUAM VOCALEM appellabimus, quæque nunc peculiari nomine SERMO aut ORATIO dicitur.

Quoniam vero longo satis tempore, & aliquot forte generationibus, ut ex ante dictis satis patet, ad hujus *linguæ vocalis* non perfectionem sed qualemcunque inventionem opus fuisset; DEUS, qua est erga hominum genus bonitate, non satis habuit, homini hanc ad rem ingenium dedisse, eumque organis necessariis instruxisse, sed ipsi hic viam præivit, & quasi magistri vicem præstitit. Non quidem ille homini cum natura certam quandam linguam infudit, quam cum eadem in posteros quoque propagaret. Talis enim lingua naturalis nulla est; ut frustra *Psammeticus* ille Ægypti rex, duobus infantibus expositis atque ab hominum consortio remotis, primam illam & naturalem linguam quæsiverit, atque ex illa voce: *Begg*, *Begg*, quam à brutis didicerant, *Phrygiam linguam* (qui panem hac voce significant) talem esse conjecerit.

Quod si qui igitur sunt, qui hoc sensu nomina φύσει non θέσει rem aliquam significare putant, somnia nobis vendere videntur. Hoc enim si esset, cur non omnes naturali lingua contenti, quæ sine dubio optima omnium esset, aliam discendi labore supersederent? Cur tot essent in linguis differentiæ? Cur surdi omnes, qui auditu nullam linguam percipere possunt, muti pariter sunt? Ac si Hebræa naturalis illa lingua est (nam & hæc illa barbara esse videtur, quam Plato in Cratylo primigeniam facit) cur non cæteris est omnibus longe facilior? cur non minori studio quam cæteræ discitur? Hoc enim *necessario* fieret, si hæc lingua naturalis esset; quid enim aliud esset Hebraicè discere, quam ductui naturæ se permittere, ac linguæ à natura nobis inditæ reminisci? Ac si vocalia talia signa DEUS hominibus infudit, cur non & visibilia, cur non characteres, variarumque literarum formam, totamque illam scribendi rationem, ac denique artem typographicam? Nulla enim ratio idonea excogitari potest, quare una potius animi sensa enuntiandi ratio, quam altera, naturalis sit putanda.

Talem igitur linguam primus homo cum ipsa natura propagandam non accepit: immo nec ipsi Adamo, in proprium tantum usum, integram in creatione linguam DEUS indidit, quam, si vellet, posteros suos docere posset. Hoc enim si fecisset, cur nulla animalium nomina in illa lingua fuerunt, quæ ab ipso Adamo postea sunt inventa? Et si nulla in illa animalium fuerunt, nomina, quæ caussa est, cur potius plantarum, arborum, herbarum, fruticum, lapidum, metallorum, aliorumque in visceribus terræ absconditorum, nomina in illa lingua fuisse credamus? Magnæ, fateor, fuerunt primi hominis dotes, quales ejus esse debuerunt, qui recens ex summi artificis manu venit: ingenium felix; judicium acre; cognitio DEI, suique ipsius, rerumque necessariarum sufficiens; sapientia denique, quanta naturalis esse potest, maxima: illa tamen, quæ experientia comparari debebat, quæque non minus quàm Angelorum atque adeo Christi ipsius in terris viventis crescere poterat, nulla tum erat.

Quare quod vulgo dicitur, Adamum omnium plantarum atque animalium naturam penitus perspectam habuisse: qui tamen nullum unquam animal aperuit, ut

ut tot corporis partes innumerasque venarum & arteriarum nervorumque propagines atque humorum in iis contentorum rationem videret, sine quo non intelligi potest harum machinarum constructio; imo qui de pluribus harum rerum omnino nunquam cogitavit, melioribus longe curis districtus, nescio an satis firmum sit. Neque id ex animalium ὀνοματοθεσίᾳ concludi potest, quæ non tam sapientiæ physicæ quàm dominii argumentum est. Enimvero ex hac demonstrare velle, Adamum perfecte animalium omnium naturam cognovisse, quantumvis apta illa animalium nomina fuerint, idem esset, ac si quis vellet, neminem apte horologium, organum pneumaticum, hydraulicum, aliasve machinas appellare posse, nisi qui artem ista construendi perfecte cognoscat. Quod si dicendum esset, quodnam tandem illud nomen esset, quod rem perfecte exprimeret? Tale certe esse deberet, quod ex tot nominibus simplicibus componeretur, iisque eodem ordine dispositis, ex quot rebus & quo ordine illæ machinæ compositæ sunt. Quod si quis ad animalia transferat, & consideret, quanto magis eorum structura, quam omnium harum machinarum, sit composita; facile quisque animadvertet, quàm prodigiosum, quàmque decompositum illud nomen esse deberet, quod ipsorum naturam perfecte exprimeret; quamque ridiculum sit eorum argumentum, qui ex hac nominum impositione, exactam prorsus & perfectam in Adamo cognitionem animalium fuisse, concludunt.

Omnino nomina rebus variis imponere, non majorem earum requirit cognitionem, quam tantam, quæ sufficit, ut alias ab aliis probe discernere possimus; simulque memoriam satis felicem, ut tantam nominum varietatem queamus retinere. Quare, ut eorum errorem rejicimus, qui Adamum crassæ rerum omnium ignorantiæ & plusquam puerilis stuporis accusant; ita cavendum esse arbitramur, ne in alterum extremum incidamus, eumque plane omniscium faciamus, & vel Angelis ipsoque Christo sapientiorem; earumque rerum scientiam, nescio quo miraculo divinitus inditam, illi tribuamus, quorum ignorantia nihil felicitati derogat: quæque naturaliter, nisi experientia atque usu, sciri non possunt. *Duplex* [verba sunt eximii Theologi] *ignorantia est puræ negationis & pravæ dispositionis: quarum hæc quidem repugnabat statui innocentiæ, illa non item. Pueri enim in illo statu multarum rerum ignorantes diu fuissent, quas processu temporis didicissent. Firmo autem assensu falsa pro veris aut vera pro falsis approbare magnum fuisset vitium, & malum perfectioni status illius contrarium. Potest igitur Evæ* (quid ni etiam Adamo?) *sine præjudicio innocentiæ tribui puræ negationis, non pravæ dispositionis, ignorantia: qua initio nescivit, utrum serpens loqui posset, necne; quam brevi per experientiam abjecisset.* Quod certe si verum est, non tantum plurimarum rerum ignorantiam, atque adeo omnium earum, quarum cognitio experientia comparari debebat, in primis hominibus fuisse patet; sed & illud concidit, quod de perfecta vulgo naturæ animalium scientia dici solet: quomodo enim perfecte animalia omnia cognoverunt ii, qui nequidem sciverunt, utrum quibusdam brutis animantibus orationis usus competeret?

Rivet. in Genes. exercit. XXVIII. p. m. 114.

Hæc tamen utut se habeant, id certe negari non potest, Adamum non modo plurimas res, qualitates, & actiones ignorasse, immo de iis ne quidem cogitasse; quarum nomina idcirco nota ipsi esse non potuerunt: nisi dicere velimus, signorum cognitionem res significatas præcessisse: aut posse aliquem scire, hederam suspensam signum esse vini venalis, qui tamen quid sit vinum, nunquam audivit.

Addamus omnia artium vocabula, rerumque innumerabilium, humana arte & industria factarum. Nimirum illa nominare potuisset, quæ tum ne quidem in mentem ipsi venire potuerunt. Ac præterea quot nunc vocabula habemus rerum atque artium, quæ in statu innocentiæ ignotæ semper fuissent, quarumque tum nullus fuisset usus? Nominare Adam, credo, potuit omnia vestimentorum genera, sartores & sutores, variaque eorum instrumenta, omnes cibos, legumina, cupedias, quæ post homines voluptati dediti excogitarunt; ædificiorum partes, architectorum malleos, serras, secures; qui nudus fuit, simplicissimo victu contentus, sub dio habitavit: omnia vitia, vitiorum pœnas, genera morborum, hisque parata remedia, arma, tormenta, aliaque innumera, quæ cum peccato sunt in mundum ingressa. Et, ne plura proferam, percurrat aliquis, nisi molestum est, Lexicon quoddam, cujuscunque linguæ, atque in eo unum vocabulum post aliud legendo, consideret, an etiam hujus rei, quæ *isto* vocabulo significatur, aliquam Adam in statu innocentiæ cognitionem habuerit, an de ea cogitasse, atque idcirco nomen aliquod ejus habuisse, verisimile sit: si id non videtur, vocabulum deleat: tandemque quid reliquum sibi sit hujus linguæ Adamicæ, videat. Hoc sane quisquis faciet, mirabitur, esse quenquam, qui integram Adamo à DEO linguam inditam esse, credere possit.

Et, si prima illa lingua, ut hujus sententiæ propugnatores existimant, Hebraïca fuit, hanc à DEO Adamum non accepisse, vel inde patet, quod hæc lingua cæteris non modo non perfectior, sed plerisque imperfectior sit. Eam enim linguam, si quid ego judico, perfectissimam recte dixeris, quæ distinctis rebus distincta imponit nomina, ac propterea, quantum fieri potest, rerum confusionem tollit; à quo sane Hebræa, quæ omnium consensu magna vocum penuria laborat, atque unico nonnunquam vocabulo res distinctissimas, imo plane contrarias, notat, longissime abest; ut de aliis taceam, quæ in hac lingua desiderari possunt: in quibus non postremum est, quod omnes prope res spirituales, sicut in cæteris quoque linguis, imo magis quam in aliis plerisque, nominibus, à rebus corporalibus desumtis, significantur: quod sane arguit, DEUM hujus linguæ primum auctorem minime esse, quippe qui res, toto genere distinctas, si ullas alias, nominibus quoque accuratissime distinxisset: imo neque hanc linguam ab Adamo jam in statu innocentiæ, qui sine dubio distinctissimas & minime corporales de spiritibus habebat cogitationes; sed ab homine in peccatum lapso, quod magnam harum rerum confusionem attulit, esse inventam.

Quare

Quare cum DEUM primo homini in oratione magistri vicem præstitisse dicimus, hæc nostra sententia est: DEUS, cum homini voluntatem suam significare voluit, sola voluntate sine voce id facere potuit; immo neque hic voces quicquam profuissent. Cum enim illæ nihil natura sua significent, homo ipse per se, ad quas res significandas à DEO fuerint institutæ, divinare nunquam potuisset; unde necessario una cum voce homini significatio ejus inspiranda fuerat. Nihilominus DEUS, homini voluntatem suam patefacturus, voce usus esse videtur, cum statim post lapsum hominem his verbis: *Adam ubi es*, vocavit; quam vocem DEI Adam se audivisse testatur. Unde colligi potest, DEUM jam ante lapsum Adamum voce fuisse allocutum. Quod sane, cum ad voluntatem DEI manifestandam nihil per se fecerit, siquidem DEUS nihilo minus, quàm si voce nulla fuisset usus, homini ejusque menti voluntatem suam intrinsecus patefacere debuit; non aliam DEUS ob caussam fecisse videtur, quam ut Adamum hac ratione commonefaceret, hanc *vocalem linguam* esse viam commodissimam, aliis hominibus, quibuscum post commercium illi futurum erat, animi sui sensa enuntiandi. Eundem in finem DEUS hominem postea ad animalia duxit, singulisque eum nomina imponere jussit, ut ita Adam primum hujus artis, in qua DEUM ipsum sibi præeuntem vidit, tyrocinium poneret.

Hæc igitur animalium nomina, una cum iis vocabulis, quæ, qua erat memoriæ felicitate, ex colloquiis divinis, quæ crebriora sine dubio erant, quàm quæ à Mose narrantur, retinuit, initium linguæ constituebant. Hâc vero animalium ὀνομαθεσία admonitus est Adam, ut vix unquam postea rem aliquam attentius consideraret, quin statim de nomine ei imponendo cogitaret. Quare, posteaquam DEUS mulierem, ex costa illi dormienti ablata factam, ad ipsum duxit; vix eam aspexerat, cum jam nomen ei imponendum quæsivit; eamque à similitudine, quam præ cæteris animantibus secum habere viderat, *Viram* vocavit: plane ut vix dubitari possit, idem post hominem in aliis rebus, piscibus, avibus, plantis, syderibus, & si quæ alia ipsi occurrerunt, eorum itidem actionibus, qualitatibusque fecisse. Atque in hac lingua jam in statu innocentiæ ita homines profecerunt, ut Satan, eos tentaturus, humanis vocibus (cum iis, quas à DEO didicerunt, tum de quibus ipsi ad certas res significandas convenerunt) fuerit usus: neque enim alia ratio afferri potest, quare serpente ejusque corpore ad hanc rem abusus fuerit.

Quanquam verò aliquousque homines in lingua sua jam in statu innocentiæ profecerunt, nondum tamen lingua illa perfecta & absoluta esse poterat. Quippe cum status ille, ut plerisque placet, non diu duraverit. Unde de rebus quamplurimis, rerum modis atque actionibus, quæ in rerum natura observari possunt, nequidem cogitare potuerunt, multo minus vocabula illis omnibus imponere: ut hic de iis omnibus vocabulis taceam, quæ, ut ante dixi, peccatum in mundum introduxit.

Neque illud dubium est, quin lingua illa primigenia, cujus partem Adam à

DEO accepit, partem ipse in statu innocentiæ formavit, statim à lapsu admodum fuerit mutata. Cum enim peccatum magnas menti humanæ tenebras attulerit, multos errores magnamque rerum diversarum confusionem invexerit, mentem corpori, sensibus, animique perturbationibus subjecerit, ejusque serenitatem non parum obscurarit, atque in universum, si cum Poëta loqui licet, *illam divinæ particulam auræ* humi demerserit; non potuit non lingua quoque ejus admodum mutari; fierique non potuit, quin homo oblivisceretur multorum vocabulorum, qui rerum illis significatarum est oblitus; non potuit non confundere voces, qui res ipsas confudit; id quod factum esse unico exemplo ex lingua Hebræa ante probavimus. Et cum hodieque linguæ aut perfectiores aut imperfectiores sint, prout populi, qui illis utuntur, sunt aut cultiores aut rudiores; necesse est, linguam Adami non parum fuisse mutatam, cum sapientiam suam & mirificas dotes peccato perdidit.

Quare si qui sunt, qui linguam Hebraicam linguarum omnium primam fuisse credunt, uti, cum ex aliis argumentis, tum præsertim ex nominibus propriis hominum, regionum, urbium (hæc enim fere in linguis mutari non solent) recte concludere videntur: ii tamen ne credant, Adami illam linguam primigeniam, qua in ipso est statu innocentiæ usus, Hebraicæ, quæ etiam nunc in S. Scriptura extat, per omnia similem fuisse; sed pauca ejus ad *summum* in hac reperiri vestigia: plane ut, si quæ huic post accesserunt vocabula, quæ perierunt, quæ mutata sunt, aut quorum significationes confusæ fuerunt, probe consideres, hodierna lingua Hebraica alia plane sit lingua dicenda.

Habuerunt itaque homines statim à lapsu linguam quidem, sed imperfectam valde ac mutilam; quam postea cùm quotidie se iis, immo singulis horis, novi quid obtulit, cui vocabulum ante impositum non erat, auxerunt ac perfecerunt; idque non primi modo homines, sed posteri quoque eorum, nepotes & pronepotes, &c. fecerunt. Quod ideo probe notari velim, ne quis, vana ductus superstitione, nescio quam in una lingua præ alia divinitatem quærat, mysteria inde exsculpat, Cabalisticis nugis indulgeat: cum omnes linguæ ab hominum, & hominum quidem, quales nos sumus, nudo arbitratu ac voluntaria quadam institutione pendeant. Qua vero ratione primi homines linguam suam & auctiorem & commodiorem reddiderint, deinceps dicam; nunc paucis, unde tanta linguarum, quæ in orbe auditur, varietas originem traxerit, exponam.

Enimvero quàm diu homines in una telluris parte omnes manserunt, una atque eadem omnibus lingua fuit; quæcunque enim nova vocabula instituerunt, communi omnium consensu fuerunt recepta. At verò, quamprimum in diversas partes abiverunt, atque alii ab aliorum se consortio segregarunt, paulatim diversas linguas extitisse, necesse fuit. Cum enim nominum institutio ab hominum libera voluntate dependeat, quâ nihil est mutabilius ac magis varium: non possunt non linguæ inter eos, qui de nominibus imponendis propter locorum intervalla convenire non possunt, admodum variare. Id quod tum potissi-

mum accidit; cum linguæ adhuc ſunt rudes & imperfectæ; multa enim tum vocabula identidem ſunt addenda, multa in melius mutanda, multa reddenda ſunt faciliora, multa ſermonis compendia invenienda; quo fit, ut inter eos, qui de his rebus convenire non poſſunt, brevi tempore magna exiſtat linguarum diverſitas.

Accedit huc aëris quoque temperies, quæ vocis organa non parum mutat, ut quod uni pronuntiatu facile, alteri difficile ſit; cujus rei exemplum habemus in populis Septentrionalibus, qui magnum conſonantium concurſum, (quod cæteris gentibus non difficile modo, ſed fieri plane non poſſe videtur) facile pronuntiant. Quin etiam auditus aliquid ad hanc varietatem confert, ut quod uni gratum auditu & jucundum, alteri moleſtum ſit & aures offendat. Ac denique cum ſanguine ac ſpiritibus ingenia quoque variare ſolent, & prout ſunt magis maſcula aut mollia atque effœminata, ita maſculas magis & graves, aut molles & fractas voces amant. Similiter ut huic illive generi ſtudiorum, voluptatum, laborum dediti ſunt, ita vocibus in eo genere abundant. Accedit imitatio eorum, qui aliquo apud nos numero ſunt, aut quorum vel ſapientiam vel eloquentiam probamus, ad quorum elocutionem & pronuntiationem, tanquam aliquod exemplar, omnes propemodum ſe componunt, prorſus ut Ariſtotelis diſcipulis etiam balbutire cum magiſtro ſuo pulchrum videatur. Quinetiam mulierculárum gratæ voces, atque infantium inarticulati ſoni, nobis interdum accepti, & imitandi videntur, noviſque vocabulis locum præbent: & denique caſu nonnunquam fuſis vocibus delectati, eas retinemus.

Addendi ſunt varii populorum ritus, mores, leges, conſuetudines, quæ omnia linguis magnam varietatem afferunt. Sic qui *venerationem manu ori admota* peragit, ei *venerari* eſt *adorare*; qui *corpore proſtrato*, ei idem eſt προσκυνεῖν: qui *pecude* ſignat *æs*, hoc ita ſignatum *pecuniam* vocabit; qui *ſcuto*, *ſcutatum*, &c. Neque mirabitur aliquis, nomina à nuda inſtitutione pendentia in populis diſſitis plane variare: cum & illa diverſa ſint, quæ certa ratione rebus ſunt impoſita, quibuſque rem ipſam per quandam ὀνοματοποιΐαν repræſentare homines voluerunt: ita quod Latinis *tympanum*, Germanis *Trommen*, Gallis *Tambour* eſt. *Ineptum garritum* Latini *blaterare* vocant, Germani *Klapperen*, Galli *Cacqueter*: & cum omnes, qui has voces invenerunt, his rem ipſam adumbrare voluerint, eſt tamen aliqua nunc major nunc minor in his diverſitas. Quod inde venit, quod diverſimode iſta homines fuerunt imaginati, quemadmodum ſi campanæ aut tympani ſonum audimus, alius hanc alius aliam vocem illis affingit.

Quare dubium non eſt, quin ſimulatque homines in diverſas terras abiverunt, illico quædam linguarum varietas extiterit. Quod ſi quis ante diluvium accidiſſe dixerit, non admodum repugnaverim. Vix enim potuit tanta hominum multitudo, quæ per annos M D C L V. tellurem inhabitavit, in una ſede morari: præſertim in tanta propenſionum varietate, quantam inter

inter eos fuisse credibile est, qui *filii Dei* & *filii hominum* dicuntur. Unde & urbes, idque satis mature, ante diluvium conditas esse constat.

Hæc tamen utut sint, rem post diluvium, in quo unica Noachi familia conservata fuit, ad unicam quoque linguam rediisse certum est. Et quoniam in uno loco homines aliquandiu manserunt, talis usque ad ædificationem turris Babelis perseveravit. Durante hoc tempore multa quidem vocabula accesserunt, cum *vini* Noachus, alii fortasse aliarum rerum inventores fuerint. Sed quia hæc accessio voaabulorum, & quorundam forte mutatio, communi omnium omnium consensu facta est, nulla inde linguarum varietas oriri potuit.

Postea vero res mira accidit: quanquam enim homines, cum ex rationis ductu, tum ex oraculis divinis, intelligere potuerunt, nolle DEUM, qui universam hominibus tellurem habitandam dedit, ut in uno omnes loco considerent; ac, reliquis telluris partibus incultis relictis, in uno angulo perpetuo conclusi essent: tamen, nescio qua insania, an vero etiam ferarum metu, consilium inierunt, in terra Sinehar, quæ propter spatiosam planiciem aptissima ad hanc rem ipsis visa est, commorandi. Quare ne dispergerentur in varias terræ partes, urbem magnam, quæ omnes caperet, ædificare cœperunt, simulque eximiæ altitudinis turrim; tum ad urbis ornamentum, utque hujus structura nominis sibi immortalitatem pararent: tum fortasse, ut hujus apicem eminus conspicientes, quo redeundum sibi esset, si quando ad pabulum, aliave necessaria quærenda, latius in terra, parum adhuc trita & in calles distincta, vagarentur, hoc signo, velut pharo, viderent.

Tum vero DEUS, tametsi exspectare potuisset, donec ipsos, quod, crescente hominum numero, certo futurum erat, hujus inepti consilii pœniteret; quoniam tamen multa mala, antequam hoc fieret, prævidebat facile illis eventura; tum quod suos à reliqua hominum colluvione separare volebat; simulque homines, qui terram Canaan, quam populo suo destinaverat, mature colerent, præmittere; statuit hoc insanum consilium irritum facere, eumque in finem quandam terræ incolis linguarum confusionem immisit, non modo ut, alter alterum non intelligentes, ab incepto desistere cogerentur; sed, quod potissimum erat, ut hoc ipso intelligerent, nolle DEUM, ut perpetuo in uno loco conjuncti manerent; sed ut oratione, quæ unicum societatis humanæ vinculum est, inter eos divisa & variata, societas quoque eorum dissolveretur; atque in tot diversas terras abirent, in quot linguas aut dialectos unicam ante linguam divisam viderunt. Quo quidem portento, quod non nisi DEO tribuere potuerunt, commoti, paruerunt, atque in diversas mundi plagas concesserunt.

Enimvero quanta tum linguarum varietas extiterit, certo scire non possumus. Illud sane probabile minime est, DEUM tum temporis suam cuique populo linguam infudisse: cum ista ratione totidem divinæ linguæ extitissent; ipsa illa Hebræa, quæ, ut vidimus, hominum institutioni maximam partem debetur, longe perfectiores: itaque illa linguarum confusio beneficium verius quam pœna fuisset. Neque etiam pristinæ linguæ aut omnes aut plurimos plane oblitos

oblitos esse, verisimile est: sic enim plerique fuissent ἄφωνοι prorsus facti, hæcque potius *ademtio* linguarum fuisset, quam confusio. Ergo, si hic aliquid conjicere licet, credimus, plerosque illorum hominum, retentis priscis vocabulis earum rerum, quæ in hac urbis turrisque molitione erant necessariæ, pristinæ significationis eorundem subito oblitos, ea vocabula aliis rebus, atque alium quidem huic, alium alii aptasse; quo sane modo haud scio an quidquam cum hac appellatione confusionis linguarum, ita enim quod tum contigerat vocatur, melius conveniat.

Potuit autem id fieri levissima quadam cerebri mutatione, à cujus certa dispositione hæc vocum cum rebus significatis conjunctio dependet, quæ nonnunquam morbis etiam, præsertim apoplexia ac similibus, dissolvi solet. Non fuisse autem omnimodam linguarum mutationem, vel exinde colligi posse videtur, quod pleræque linguæ, præsertim antiquæ, magnam habeant cum Hebræa affinitatem, quales sunt Syra, Chaldaica, Cananæa sive Phœnicia, Punica, Æthiopica, Ægyptiaca, &c. Ex quo efficitur non adeo magnam fuisse ab initio hanc linguarum differentiam, & non nisi tantam, quanta ad impediendum stolidum hominum conatum, eosque de DEI consilio, quo dispersos eos in varias mundi partes esse volebat, commonefaciendos satis erat.

Postquam verò in varia terræ climata concesserunt, atque aliquandiu alii ab aliorum consortio separati vixerunt, brevi tempore in immensum crevit linguarum varietas, eousque ut denique in parva aliqua regione magna fuerit linguarum diversitas observata, ac nonnunquam quælibet urbs peculiari sua ac propria lingua gaudeat; immò etiam platea & vicus, cujus exemplum in nostra Helvetia habemus; ubi parvulus quandoque rivus non terras modo sed linguas etiam dividit.

Quanquam verò hæc omnia, quæ, de hac confusionis linguarum historia, extra sacras literas dicuntur, meræ conjecturæ videri possint; illud tamen certum est, vehementer eos omnes errare, qui de caussa tantæ, quam hodie videmus, in linguis varietatis interrogati, culpam hujus rei omnem in turrim Babel conferunt: perinde ac, nisi insanum istud consilium prisci illi homines iniissent, omnes hodie eadem lingua fuissent usuri. Nam sanè, tametsi nemo nunquam de excelsa hac turri exstruenda cogitasset, nihilo tamen minorem hodie linguarum diversitatem haberemus, & summum esset miraculum, si omnes gentes eadem lingua loquerentur. Ausim etiam affirmare, neque timeo, ne quisquam erroris me coarguat, nullam earum linguarum, quæ tempore dispersionis fuerunt, qualiscunque tum fuerit sermonis mutatio, hodie superesse. Neque enim illas linguas superesse dico, quæ non nisi in libris extant, ac propterea vulgo mortuæ appellantur; quanquam neque harum ullam, si Hebraicam excipias, antiquitatem suam ad tempora confusionis referre credere possim. Notum est, linguam Germanorum hodiernam, etiam Belgicam, Danicam, Suecicam, Anglicam à prisca Teutonica, quæ nusquam amplius exstat, ortas esse. Italica, Hispanica, Gallica, Rhætica

maximam partem Latinæ, & hæc ipsa Græcæ, Æolicæ potissimum, originem debent. Polonica, Moscovitica, Bohemica, Dalmatica, Croatica Sclavonicæ sive Illyricæ linguæ sunt propagines: ex quibus de cæteris omnibus judicium ferri potest.

Quanta sit linguarum mutabilitas, quotidiana nos docet experientia; ubi continuo

Horat. Art. Poët. 70.

Multa renascuntur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi.

Docent id præcipue Galli hodierni, qui singulis prope annis nova in linguam suam vocabula inducunt, voces mutant, expoliunt, addunt, demunt, ut pene decimo quoque anno alia lingua videatur. Ac, ne quis hoc nationis inconstantiæ tribuat, idem Germanis, antiquitatis tenacissimis, accidit. Tanta enim est inter hodiernam Germanorum & priscam eorum linguam differentia, ut homines nostri Majores suos, si reviviscerent, non intelligerent.

Quod si vero tantum linguæ mutari potuerunt etiam post literas inventas, quæ unæ fideles rerum custodes, præsertim linguarum, sunt; quanto facilius id fieri potuit aut ante earum inventionem, aut tum, cum literæ non satis in vulgus notæ erant; aut cum characteres res potius, idque satis obscure, quàm syllabas & literas significarunt. Quæ quidem, ut hoc in transitu moneam, caussa est, quare rejicienda mihi videatur virorum doctissimorum opinio, qui hodiernam Sinensium linguam unam ex primævis fuisse, & in ipsa confusione Babylonica exortam, existimant. Cum enim literæ Sinensium non voces, ex literis & syllabis constantes, sed res ipsas immediate notent; immò iisdem characteribus variæ nationes, linguis discrepantes, utantur, quemadmodum Europæi easdem prope ubique notas numerales, quas tamen varie appellant, habent: non potuit hæc Sinensium lingua nisi ad peculiare quoddam miraculum confugiamus, per tot sæcula conservari.

„ Hoc argumentum, ut ex superioribus patet, ulterius per otium per-
„ sequi volebam: ac monstrare, quomodo linguæ paulatim fuerint expolitæ,
„ & denique de inventione quoque scripturæ pro captû meo philosophari. Sed ad
„ aliud vocatus, id facere pensumque absolvere non potui.

DIS-

DISSERTATIO
DE
METEORIS ORATIONIS.

METEORA *orationis*, ne quis nomine deceptus nescio quid magni expectet, nihil sunt aliud, quam *dicta in speciem sublimia, revera inania atque vitiosa*: quam appellationem à Longino Rhetore accepimus, qui ὑψηλὰ in oratione & μετέωρα ita distinguit, ut illis vere sublimia, his vanam granditatis speciem præ se ferentia * denotet. Qua in re infelix, ut aliorum, vocabuli fatum fuit: nam cum ante idem quod ὑψηλὸν significaret, factum est abutentium culpa, ut in pejorem partem traheretur. Illi enim, qui scientiæ aut eloquentiæ sublimitatem ostentaturi, qua data, occasione, de cœli meteoris loquebantur, μετέωρα sua identidem crepando, id tandem consecuti sunt, ut peculiari nomine μετεωρολέσχαι dici cœperint qua voce, si Hesychio credimus, notantur οἱ τὰ περὶ οὐρανῶν μετέωρα φλυαροῦντες: unde & ipsa vox nescio quid odii contraxit, ut μετεωρολόγοι non modo dicerentur μεγαλορρήμονες atque *inepti gloriosi*, sed omnia in oratione *vitiose sublimia* μετέωρα à Rhetoribus appellarentur: prorsus, ut propter abusum nominis Phœbi evenit, ut omnes, qui altius in orati-

Meteora orationis quid.
Longinus auctor vocabuli.
* *Galliis dicuntur*: des manieres de parler guindées *Germanis*: *verstiegene Reden.*
Hesych. in hac voce.
Abusus nominis Phœbi apud Gallos. Parler Phebus.

Sublime in oratione, quid.

oratione, quam decet, se extollere volunt,. Gallis hodiernis φοιϐολογεῖν *Phœbum loqui* dicantur.

ὕψος & μέγεθος an differant

Quid in oratione μετέωρον sit, nequit intelligi, nisi prius, quid revera sit sublime, cognoscamus: id quod ante omnia planum est faciendum. Sitne idem ὕψος *Longini* & μέγεθος *Hermogenis*, uti plerisque placuit, an hæc inter se differant, ut *Tanaquillo Fabro* visum fuit, atque elegantissimo Viro, cui *Gallicam Longini versionem* * debemus: decidere nolumus. Confundant hæc, distinguant, quibus lubet: nobis dicendi præcepta tradere, non Rhetorum vocabula interpretari propositum est.

* Boileau, Despreaux, summus Poëta,

Ad sublimem orationem quid requiratur.

Ad *grandem* atque *sublimem* orationem, his enim vocibus idem significamus, primum omnium requiritur, ut *res*, de qua dicimus, *grandis* sit atque *sublimis*. Alia ab hominibus pluris, alia minoris æstimantur; quæ pluris æstimantur majora, quæ minoris, minora dicuntur: quæ inter majora excellunt, ea magna, grandia, & sublimia vocamus; producuntque hæc in hominibus admirationem, quemadmodum ea, quæ parva sunt, contemtus sequitur.

Res sublimes quænam.

Sunt igitur *magna* & *sublimia* ea omnia, *quæ*, *quod inter illa*, *quæ homines aliis præferre solent*, *excellunt*, *admiramur*. Ita Reges magni sunt, quia eminent inter homines in dignitate constitutos, quos aliis anteponimus: Majores qui excellunt inter Reges: Maximus Rex Regum & Dominus dominantium: eademque ratione *actiones*, & *res* magnæ dicuntur.

Res magnæ & sublimes bonæ & malæ.

Magna vero sunt non tantum *bona*, sed etiam *mala*, quoniam & hæc in suo genere excellentia admirationem pariunt: sic magna crudelitas dicitur, magnum flagitium, magna clades, magna miseria, magna jactura, & id genus alia; quæ bonis, quæ in suo genere eminent, non modo non minora, sed majora vulgo habentur: eos enim in hominibus affectus exitant, qui *objectum* suum, ut loquuntur, mirum quantum augere & in majus extollere solent: ut sunt ira, indignatio, metus, tristitia, terror, desperatio: qui affectus tanto sunt in hominibus vehementiores iis, qui circa bonum versantur, quo major est fuga mali, quam appetitus boni. Hinc est, quod Reges valde superbi malint metui, quam diligi; quia parva etiam homines amare, sed non nisi magna metuère solent; amorque sæpe contemtui vicinus est, nihil vero minus contemnimus, quam quod valde timemus. Malunt autem isti homines magni, quam boni videri; prorsus, ut boni appellatio multis nescio quam parvitatis significationem habere videatur.

Oratori quid magnum.

Hic vero non semper necesse est, ut res, de qua dicit Orator, sit magna *judicio Philosophorum*, qui in pretio rebus statuendo cum vulgo non conveniunt; sufficit, si talis est, aut *communi hominum opinione*, aut *apud eos*, *apud quos dicimus*, *tum cum dicimus*, *atque ibi*, *ubi dicimus*. Sic Imperator etsi divitias contemnat, cum milites spe prædæ ad prælium vult inflammare, potest de ea magnifice loqui: de injuria etiam, tanquam de re magna dicere licet Oratori, quam fortasse Socrates aut Diogenes nihili faceret. Quin imo,

si res per se magna, tanta Auditoribus non videtur, sublimi oratione non est utendum, nisi prius humiliori stilo, magisque rationum pondere, quam verborum magnificentia, id de quo dicis, revera magnum esse probaveris: tum demum, si non vanis indiciis id te consecutum esse, animadvertis, assurgere potest oratio atque elatior incedere. Hæcque caussa est, quod pleraque *orationis exordia modestiora* esse conveniat: quia indecorum est tam magnifice loqui de argumento, quod, cum magnitudinem ejus nondum ostenderimus, potest auditori longe minus ac nobis videri.

Rei magnæ magna concipienda idea quæ argumentum adæquet.

Neque vero ad dictionis sublimitatem sufficit, magnum orationis argumentum delegisse, ac nonnisi de rebus grandibus dicere velle: *ingenium nostrum argumentum* adæquet, necesse est; ut ejus, quod eximium est, *magnam* concipiamus in mente *ideam*, atque ita magnam, ut omnem ejus excellentiam cogitatione complectamur.

Ingenium hic vocamus insignem *Imaginationis* tum *capacitatem*, tum *vim* & vigorem.

Capacitas imaginationis.

Capax imaginatio est, quæ simul, aut saltem brevissimo tempore magnam rerum multitudinem, sine confusione, repræsentare potest; quæque propterea grande argumentum incredibili celeritate in omnes partes versat; omnia percurrit, quæ in eo maxime sunt admiranda, omnia cum quibus aut comparatum, aut quibus oppositum majus videri possit.

Vis imaginationis.

Vis imaginationis in eo consistit, ut ea omnia ac singula tam vivide menti nostræ repræsententur, ut non procul absit imaginatio à sensu, mensque non tam remota imaginari, quam præsentia cernere sibi videatur; quo fit, ut, quos aspectus harum rerum excitaret affectus, hos nuda in nobis excitet imaginatio.

Utraque in poëtis maxime conspicua.

Hanc imaginationis & capacitatem & vim præcipue in Poëtis admiramur: Capacitatem, cum imagines suas ex tot partibus componunt, tot in iis circumstantias exprimunt, ut concipi nequeat, qua ratione hæc omnia in mentem illis venire potuerint. Vim & vigorem imaginationis miramur, cum hæc legentes, non tam legere quam intueri nobis videmur, neque ab affectibus, quos præsens harum rerum conspectus concitare solet, temperare nobis possumus. Utrumque ad magnam in mente rei ideam atque imaginem formandam conjungi debet. Qui priori carent, eorum *oratio jejuna* est ac *sterilis*; qui posteriori, illi *elumbes* ac *languidi* vocantur. Capacitas imaginationis *in Ovidio* nunquam desiderari potest, nihil eo abundantius; vis interdum requiritur. Confer hujus *Didonem* cum *Didone Virgiliana*: dices, ibi Poëtam loqui, elegantissimum illum quidem, sed tamen Poëtam: at hic Didonem ipsam plenam affectus, plenam desperationis.

De Ovidio judicium.

Virg. lib. 4. Æneid. Ovid. Epist Heroid. 7.

Judicii præcipuæ in dicendo partes.

At non omnes in dicendo *imaginationis* sunt partes, non præcipuæ; *judicium* ubique regnare debet:

Scribendi recte sapere est & pincipium & fons.

Si

Horat. in arte Poet.

Si in carmine non omnia statim effundenda sunt, quæ concitata & luxurians imaginatio suggerit, quanto major delectus est habendus in prosa oratione, cujus gravitas longe minus imaginationi indulget?

Judicii in sit acre, incorruptum & severum.

Regat igitur *judicium* imaginationem, eique habenas modo relaxet, modo contrahat. Sit illud *acre*, omnia pervidens: sit *incorruptum*, nihil dans propriorum conceptuum amori: sit *severum* & inexorabile, nihil indecens imaginationi condonans. Tale cum sit, discernat, quid in illa, quam mente concipimus, imagine maxime sit admirandum: quid Auditores, hoc loco, hoc tempore maxime commoveat: Num *generatim*, quæ ad rei magnitudinem pertineant, proponere satis sit, an eundum sit *per singulas* partes, an *gravissima* tantum deligenda; an *uni*, quod inter cuncta eminet, sit insistendum, idque vividissimis coloribus exprimendum: an etiam *tegendum sit*, quod maximæ admirationi esse volumus, sed ita tegendum, ut nescio quid magni tegi videatur. Fingat imaginem suam, refingat imaginatio, donec judicio placeat. Vertatur in omnes partes, donec severus iste judex pronuntiet: *hac parte maxime est admirabilis, hac auditoribus obvertenda.*

Verba æquare debent imaginem ut imago rem.

Postquam absoluta est in mente rei magnæ imago atque à judicio probata, de *verbis*, quibus, tanquam coloribus, eam aliis depingimus, soliciti esse debemus, ut, quanta nobis, tanta & illis videatur. *Verba igitur imaginem æquare debent, ut imago rem*: unde & hæc in grandi oratione grandia & sublimia esse oportet. Fit autem hoc tribus modis: *auctoritate utentium*, *sono*, & *significatione*.

Grandia verba fiunt vel auctoritate loquentium.

Auctoritate utentium sublimia sunt verba, quæ non ex hara, ex ergastulis, atque ex triviis petita, lixis & calonibus in deliciis sunt, sed hominum liberaliter educatorum, nobilium, atque in eminentia constitutorum communi usu trita. Qualia verba in omnibus linguis politiores atque elegantiores ab iis, quæ sordidorum hominum usu viluerunt, facile distinguunt. Verba cum dico, phrases etiam, quas vocant, proverbia, & quæ sunt his similia intelligo.

Vel sono,

lib. 1. Æneid.

Sono grandia sunt verba, incisa membra, periodi (hæc enim omnia ad verborum sonum pertinent) si majorem sonum edunt, si aures implent, percellunt, & tantum non terrent aliquando, ut cum apud *Virgilium venti* ex cavernis *erumpunt*, aut cum

> -- -- *crines effusa sacerdos*
> *Tercentum tonat ore Deos, Erebumque Chaosque*
> *Tergeminamque Hecaten.*

lib. 4. Æneid.

De Raptu Proserpinæ.

aut cum apud *Claudianum* Ceres, amissa filia,

> -- -- *toto bacchatur Olympo.*

Sed hæc auribus dijudicantur, quas alii aliis elegantiores habent.

Sed maxima, significatione.

Maxima vero verborum sublimitas in *significatione* consistit: ubi nemo est, qui nescit, aliud vocabulum plus alio significare: ita *amare* plus significare, quam

quam *diligere*; flagitare, quam petere; erumpere, quam evadere. Ad orationis igitur granditatem non tantum facit vocabulis, uti *quæ res magnas significant*, sed ea deligere, *quæ plus* significant. Ita grandius est illud: *furor arma ministrat*, quam si *iram* Poëta dixisset.

Significationes secundariæ.

Sunt autem præter notiores & *præcipuas* cujuslibet vocis *significationes* innumerabliles aliæ, quas cum illis usus hominum conjunxit, *secundarias* quidam vocant: ita si quem furem appellas, non id tantum dicis, abstulisse hunc hominem aliquid invito Domino, quæ præcipua vocis est significatio: alia plura simul innuis: te illi homini iratum esse, verbo hoc te vindictam quærere, te illum de industria offendere velle, & usque eò contemnere, ut iram illius provocando ultionem non metuas: significas etiam aliquando hoc verbo, te hominem esse parum politum.

Pauca sunt verba, quæ non complures hujus generis significationes adjunctas habent; quæ cum in omni orationis genere, tum in sublimi potissimum sunt observandæ, non modo, ut nihil significemus voce, quod significare nolumus; sed ut his quoque verborum significationibus orationis sublimitatem augeamus. Quantum Cæsar dixit, cum unica voce, *Quirites*, seditiosum exercitum compescuit? frustra in Lexicis quæres omnes hujus verbi significationes, quas milites tumultuantes, illo audito, intellexerunt. Imo dicere possumus, nulla re orationem grandiorem fieri, quam vocibus, quæ multas hujus generis significationes habent. Sic enim fit, ut in paucis verbis iisque simplicissimis grandis lateat sensus, quo nihil est in oratione sublimius.

Suetonius in Julio Cæsare, n. 70.

Nulla re Oratio fit grandior quam vocibus quæ multas significationes habent.

Exemplum Valerii Poplicolæ.

Liv. Decad. 1. lib. 2. c. 8.

Ita *Valerius Poplicola*, vindex Romanæ libertatis, qui Romanis in regni affectati suspicionem venit, ob ædes in monte Velia exstructas: *Non obstabunt*, inquit, *Publii Valerii ædes libertati vestræ, Quirites. Tuta vobis erit Velia. Deferam non in planum modo ædes, sed colli etiam subjiciam, ut vos supra suspectum me civem habitetis. In Velia ædificent, quibus melius, quam P. Valerio, creditur libertas.* Nihil sublimius legi potest; at ut videas, quam pauca verba quantum significare possint; dele repetitum *P. Valerii* nomen, & illa verba, *suspectum civem*: videbis quantum de sublimitate eorum detraxeris.

Ciceronis orat. 1. in Catilinam.

Jam illa *Ciceronis*: *Senatus hoc intelligit, Consul videt, hic tamen vivit*, quam sublimia sunt? quantum significant hic verba, *Senatus*, *Consulis*, à Cicerone Consule in Senatu dicta? quanto minus dixisset, si dixisset: *Vos* hoc intelligitis & *ego* video? Eum in finem inventæ sunt *figuræ*, ut præter rem affectus nostros declararent. Ita in eadem oratione, cum Cicero exclamat: *O tempora! ô mores!* non simpliciter morum temporumque perversitatem notat; sed simul exprimit, quanto se dolore hæc morum temporumque depravatio afficiat. Alios *affectus* aliæ *figuræ* produnt.

Tropis quomodo grandior fiat oratio.

Tropis etiam grandis fit oratio, *metaphoris* præcipue, sed in loco adhibitis: nunquam autem iis locus est in sublimi oratione, nisi sint *necessarii*, aut ad orationis varietatem, aut cum propria verba rei magnitudinem non satis expri-

exprimere videntur; tum vero recurrimus ad voces, quæ res majores significant, easque cum propriis permutamus. Sed in troporum doctrina Rhetores multi sunt, imo nimii.

Quæ hactenus dicta sunt, sufficere plerisque videbuntur ad dictionis sublimitatem; sed unum mihi restare videtur, quod haud scio an sit præcipuum. Orator non argumentum modo suum oratione depingit, sed se ipsum; ἔστιν ἐκ παντὸς λόγου ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος, verissime Demetrius ait. Videndum igitur in sublimi genere, ut non *rem* modo *sublimem* pingamus, sed *animum*. *Animum dico*, non ingenium, quod in animo humili & pusillo interdum magnum est.

lib. περὶ ἑρμηνείας. *Et animus in sublimi genere pingendus. Magnus animus quinam.*

Est autem *magnus animus* atque excelsus ejus, qui omni affectu ita in res magnas atque eximias fertur, ut his unice delectetur, his lubentissime occupetur, atque adeo totum se his tradat: ut ea, quæ viles animæ maximi faciunt, tanquam ad se non magnopere pertinentia, despiciat; in omni fortuna sibi constans, semper liber, semper sui juris, verus, simplex, apertus, recti tenax; conservans ita dignitatem suam, ut propter nullius rei aut metum, aut aliam quampiam perturbationem, ad ea, quæ se indigna judicat, demittatur, atque abjiciatur. Talem se pingat Orator, si majestatem orationi quandam vult conciliare.

Pingit se integro orationis habitu.

Talem se pingit *integro orationis habitu*, qui non putidam diligentiam, & Rhetorum scholas redolet, angusti enim animi hæc sunt: sed in qua eloquentia mascula, simplex candida; quæ in illis est, qui dicunt, quod sentiunt; qui magis curant, quid dicant, quam quomodo; qui denique bene dicunt, non quod volunt bene dicere, sed quod aliter dicere non possunt. Talem se declarat nobili quadam *dicendi libertate & παῤῥησίᾳ*, quam ubique spirat oratio, quæ, ut nihil agreste & rusticum habet, ita aliena est à puerili pudore, servili timore, atque turpi adulatione.

Affectus generosi in oratore. lib. 1. Æneid.

Affectus ipsi, qui in plerisque hominibus impotentis animi signa sunt, in tanto Oratore *generosi* videntur, quales sunt *ira Neptuni* apud Virgilium: lacrymæ Ciceronis in oratione pro Milone.

Sparsis per orationem sententiis animi magnitudinem prodit orator.

Sparsis denique per orationem *sententiis* animi magnitudinem prodit Orator: ita tamen, ut hæ orationi non de industria assutæ, sed ut sibi, nonnisi de argumento cogitanti, ideo quod res ita ferebat, excidisse videantur. Hæc animi magnitudo declarari vix potest, ubi non est: si illam simulare velis, ostentatio ipsa & affectatio, aut metaphora interdum à re levi petita, aut figura grandis in humiliori argumento te prodet. In hac animi magnitudine exprimenda regnat *Livius*, cum ubique, tum *in concionibus*. Has cum legis, non Livium te legere, sed ipsos illos rerum Dominos te audire tibi videris.

Ut & apophtegmatibus priscorum.

Huc pertinent quædam priscorum *apophtegmata*. *Nolo furari victoriam*, *Alexander* dixit; si divinandum foret, cujus hoc esset dictum, Alexandri dicerent, qui Alexandrum nossent. Et quis, nisi Alexander, Parmenioni dicenti,

Face-

Facerem hoc, si Alexander essem, ita respondisset, *& ego, si essem Parmenio.* Illud *Cæsarem vehis*, quantum rem significat, sed quantum etiam animum?

Videantur plur. apud Plutarch.

Circumfertur hodie *dictum Ducis Genuensis*, qui in Galliam ire coactus, ut Reipublicæ nomine Regi Galliarum se submitteret, postquam illi, quidquid Lutetia splendoris habet monstratum esset, interrogatus, *quid in urbe & aula toto orbe celeberrima maxime vidisset admirandum:* haud cunctatus, *Me*, inquit. Cui responso nihil prorsus deest ad sublimitatem. Maxima res dicitur; unica, simplici sed significantissima voce dicitur; summamque excelsi animi significationem habet. Hujus sublimitatis incredibilis quædam vis est: ut istiusmodi dicta qui legunt, qui audiunt, inter legendum & audiendum sentiant, cum oratione suum quoque animum attolli, & generosos impetus concipere.

Ducis Genuensis responsum nuper Gallis datum.

Etiam inimica veritate, in qua hæc sublimitas apparet, homines delectantur: & quæ alias odium pareret, tunc admirationem excitat. Alexander Piratæ vitam condonasse dicitur, his verbis caussam dicenti: *Ego quoniam unico navigiolo maria infesto, Pirata nominor; tu, quum idem facias magna classe, Rex appellaris.* Noluit nimirum rex animi magnitudine, quam dictum hoc declarat, Piratæ cedere.

Piratæ magnanima verba ad Alex. M.

Ex his, quæ dicta sunt, cuique nunc manifestum est, quantum hoc sit, non unum atque alterum *sublime dictum*, sed *sublimis oratio.* In hac qui excellere cupit, ab hoc, ut paucis verbis, quæ adhuc dixi, comprehendam, requiritur, *ut magnam quandam rei grandis ideam, simulque animi sui sublimitatem verbis tam significantibus exprimat, ut auditores & in argumenti, & in animi sui admirationem rapiat.* Hujus rei difficultas, si quos ab hoc dicendi genere absterret, sapiunt illi mea quidem sententia; possunt enim in alio genere non modo placere sed eminere. Paucissimi in sublimi dictione tolerabiles sunt, excellit fortasse unus & alter, si modo excellunt. Reliqui omnes, quo magis se attollere volunt, eo magis aut judicii, aut ingenii, aut animi humilitatem produnt, *dumque humum vitant, nubes & inania captant*, dum *sublimia* sectantur, in μετέωρα incidunt, ut omnis μετεώρων origo à male affectata orationis sublimitate proveniat. Sed de his nunc, ut plura dicamus, instituti ratio requirit.

Sublimis oratio quam difficilis sit res.

Ut loquitur Horatius art. poët.

Meteor. orationis origo à male affectata orationis sublimitate.

Omnia orationis *meteora* ad *tria genera* referri possunt, aut enim *oratio vere sublimis rei humili accommodatur*, aut *non vera est in argumento magno granditas orationis:* aut denique *neque res sublimis est, neque vera dictionis sublimitas. Primum* genus *duas* caussas habet: vel enim *majoris facimus res leves* atque revera sunt, & hinc illi clamores; vel existimamus, apte, & *eleganter* de nulla re dici posse, nisi *magnifice* dicatur. Prius animi humilitatem, utrumque judicii infirmitatem arguit.

Tria genera meteor. orationis.

Prioris generis caussæ duæ.

Dici non potest, quot sint hujus vitii exempla. Plerumque *literati*, cum de rebus suis loquuntur, nimis magnifica oratione utuntur, fortasse, quia nimis magnifice de rebus suis sentiunt. Omnes *dicendi figuras*, quæ vehementissimos affectus significant, *impendunt*, ut dicant, *quomodo hoc aut illud sit legendum, quid hæc aut illa vox significet, qua methodo ars aliqua sit tradenda, &c. Julius Cæsar* Sca-

Plerumque litterati nimis magnifice de se loquuntur.

Exempl. Jul. Cæs. Scaligeri. Scaliger. in præf. lib. de caussis Latinæ linguæ.

Scaliger; magnum inter literatos nomen, *Sylvio Filio*, postquam is, prima Latinæ linguæ rudimenta didicerat, accuratiorem hujus linguæ rationem traditurus, ita de hac re loquitur. *Egressum te ex angustiis tenuioris literaturæ; Sylvi Cæsar Fili, non ante decet inire rationem graviorum studiorum, quam istarum præceptionum caussas notas habeas, per quas excellentissimæ cujusque scientiæ cursus aperiri debuit. Quanquam enim hæc ipsa tenes, quæ certis observationibus recepta sunt, tamen quia sæpius dubitare, an ita sit, semper quærere, quare sint talia, cogi possis, nisi te exemtum ex his difficultatibus in tuto collocatum videam, vitam mihi acerbam putem.* Et paulo post: *Ætati quidem tuæ, Fili mi, quanquam primo in congressu videantur hæc asperiuscula: ita tamen velim cum animo tuo statuas, Nihil unquam vulgare pretium ullum operæ fecisse. At quanti tandem sit, excellentissimis quibusque rebus à vita ipsius primordiis assuescere? Itaque tetrica hæc nonnisi barbaris atque incultis animis terrorem, ac desperationis facere opinionem, pro nobis vero appetentibus veritatis tanquam armatas stare putes legiones.* Diceres Hamilcarem Hannibalem filium ad bellum perpetuum Romanis faciendum inflammare: aut saltem Julium Cæsarem nostrum Sylvium suum, qua virtute amissum Veronæ principatum recuperare possit, docere; non filio patrem præcepta Grammatica tradere.

& C. Longolii L. Vives de conscribendis epistolis.

Huc pertinet *Ludovici Vivis de Chrift. Longolio* judicium, *Verba illum*, ait, *habere Ciceroniana, at sensu ineptiorem esse, propterea, quod dicta grandia rebus exiguis aptarit. Non enim*, inquit, *satis illi erat, verba & phrasin Ciceronis miro studio imitari, nisi etiam totum Ciceronem exprimeret, rem illam publicam simularet & curam imperii, quo totus continebatur orbis, privatus ipse & in angulum studiosi secessus abditus, in quo tam erat ridiculus, quam si gigantis vestitum induisset, & verba ac prounciationem gigantis effingeret, ut gigas videretur.* Nunquam magis hoc *meteori* genus apparet, quam in ejus Apologia, in qua ita adversus frivolas quasdam otiosorum hominum accusationes se defendit, ut Rex Angliæ Carolus I. hoc seculo capitis caussam dicere coactus, majori verborum magnificentia uti non potuisset. Hæc pluribus facete, ut solet, prosequitur *Erasmus*.

In Ciceroniano *Ciceroniani & alii imitatores scriptorum magnorum*

In idem vitium incidunt non reliqui modo *Ciceroniani*, sed *plerique imitatores*. Imitantur maximorum Virorum dictionem, qui? Umbratici homines, in museo latentes, non nisi pueris, adolescentibus, aut quibusdam sui similibus noti. Imitantur loquentes de rebus gravissimis, atque adeo admirandis, qui? qui nihil, quod dicant, habent, si ea exceperis, quæ ad studia literarum pertinent. *T. Livii imitator*, quoties in loci alicujus lectione, aut sententia hæret, non aliter loquitur, ac si Romanus exercitus in *furcis Caudinis* hæreret. Si quis in docendi methodo aliquid innovat, *Salustii amator* ab hoc scriptore colores ad hominis audaciam depingendam mutuabitur, quibus ille *Catilinam* depinxit. *Cui Tacitus in deliciis est*, is cum de disciplina Scholastica, aut de artibus tradendis agitur, sententias loquetur, obscura oracula fundet: dicere eum *occultas Regnantium artes & arcana dominationis aperire*. Frequens *Q. Curtii lector* de lucubratiunculis eruditorum non aliter loquetur, atque Alexander *de Asia subjugata*. Hic imagines *Velleji Paterculi*, quibus tot Heroas expressit, cuilibet *amicorum*, quem

quem laudare vult, accommodat. Ille Bella Gammaticalia & doctorum rixas describet ea pompa, qua *Florus* bella Populi Romani. Quid quæris? Nulla urbs est tam obscura, nullum oppidum tam parvum, in quo non Romanorum scriptornm imitatores *forum*, *comitium*, *rostra*, *Capitolium, sellas curules*, *fasces*, *secures*, *trabeas*, *ovationes*, *triumphos*, omnem denique, tanquam in compendio, inveniant antiquæ urbis majestatem. Qui quidem omnes recte fortasse cum Tityro Virgiliano dicerent:

> *Urbem quam dicunt Romam Melibæe putavi*
> *Stultus ego huic nostræ similem.*

Demetrius. περὶ ἑρμηνείας.

Magis ridiculi quam ille, qui exiguum fluviolum ita descripsit: ὃς ἀπὸ τῶν Ταυρικῶν ὀρέων ὁρμώμενος ἐκδίδωσ᾽ εἰς θάλασσαν: tanquam si de Nili aut Euphratis impetu fuisset dicendum.

Abusus magnorum nominum ex historia Rom.

Imo, quod mireris, nostri Romani, *Magistratus Romanos*, togatos pariter & sagatos, non in *civili* modo cujuslibet urbis *Republica inveniunt*, sed *in Republica* etiam uti loquuntur, *literaria*. Huicque adeo Reipublicæ *Michael Fernus Poëmata Campani* his verbis dedicat: *Dictatori Perpetuo*, *Imperatori nostro Maximo*, *Pomponio Læto*, *Magistro equitum*, *cunctæque Reipublicæ literariæ*, *Michael Fernus Mediolanensis vilis pabulator strenuam pugnam*, *pulchram victoriam*. Huc pertinent ii, quibus semper in ore sunt *magna Vetustatis nomina: Magnum illum Alexandrum ajunt: Pyrrhum Epirotarum Regem prædicant; Quod Furio quondam Camillo accidit: Hannibal ille terror Romæ: Quintus Fabius. M. Marcellus, ille scutum, hic gladius* P. R. Imperitus historiæ, tanta nomina toties in Academicis orationibus, merito quæreret, num hi omnes Doctores fuerint, aut L. A. Magistri. Quædam horum nominum nimio usu in Gallia usque eo viluerunt, ut nisi quis explodi velit, in oratione *Cambysen* aut *Epaminondam* appellare non audeat; si quando de his necessario loquendum est, circuitione uti oportet. Hunc magnorum nominum in re exigua abusum facete ridet Martialis epigrammate in Postumum Caussidicum.

exosus in Gallia.

Bouhours. remarques sur la langue Françoise.

Martialis lib. 6. epigram. 19.

> *Non de vi neque cæde nec veneno,*
> *Sed lis est mihi de tribus capellis.*
> *Vicini queror has abesse furto.*
> *Hoc judex sibi postulat probari:*
> *Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,*
> *Et perjuria Punici furoris,*
> *Et Syllas, Mariosque, Mutiosque,*
> *Magna voce sonas, manuque tota.*
> *Jam dic, Postume, de tribus capellis.*

Aliud vitium, res

Huic vitio vicinum est illud aliorum, qui, ut plus majestatis habeat oratio, levissima quæque, quæ nemo ignorare potest, *magni alicujus* ex antiquitate *Viri*

leviſſimas magni viri auctoritate comprobare.

Viri auctoritate comprobant, quaſi vero non liceret dicere, *ſolem lucere*, niſi ante idem *Alphonſus Arragoniæ Rex*, aut *Ageſilaus interrogatus* dixiſſet. Qui quidem oratores ſæpe non minus riſu digni ſunt, atque ille eſſet, qui in Convivio ſodales ad hilaritatem excitaturus, ita graviter ordiretur: *Non minus vere quam eleganter Venuſinus Olor: Nunc, inquit, eſt bibendum.*

& magnam orationem parvis rebus aptare.

Magnam præterea orationem parvis rebus aptant; quorum in *Comœdiis* ſervus loquitur, ut Oedipus in Tragœdia: in quorum *Eclogis* Tityrus loquitur, ut Æneas: in quorum *Tragœdiis nutrix* cum *Medea* de ſublimitate ſententiarumque magnificentia certare videtur: qui in *elegia* ita flent, ut Hercules furens bacchatur; qui in *epiſtolis familiaribus* ita loquuntur, tanquam ſi in Senatu aut pro Roſtris dicerent: qui *colloquia* fingunt, qualia cum Diis ſunt Sibyllarum, quoties oracula conſulunt. Et quis omnes in hanc partem peccantes enumeraret?

Alterum meteori genus, cum in grandi argumento vitioſa eſt ſublimitas orationis.

Alterum meteori genus non in eo peccat, quod humili argumento orationem magnificam, *infanti*, ut loquuntur, *Herculis cothurnos* aptat, ſed quod in grandi argumento, *vitioſa* ſit *ſublimitas* orationis: Ita omne illud voco, *quod quibuſdam ſublime videtur, ſed revera non eſt.*

Hic peccant ii quibus omne obſcurum eſt ſublime.

Quo in genere peccant primo ii, quibus *ſublime* omne id eſt, quod eſt *obſcurum*. Quære ex his, quinam oratores ſint maxime ſublimes, *Panegyricos Cæſarum* aut *Tertullianum* noninabunt, aut recentiores quoſdam horum imitatores. Quid *Cicero*? Quem tu mihi *Ciceronem* narras, cujus oratio vel à pueris intelligitur? In hiſtoria longe *Tacitus Livio* eſt ſublimior; quoniam hic longe facilius intelligitur. In Satyra Perſius regnat, qui vix poſt tot doctiſſimorum virorum commentarios capi poteſt. Mirantur, in Epico carmine *Virgilio* primas tribui, qui multo eſt intellectu facilior *Lucano*, *Statio*, *Claudiano*, *Prudentio*, & hodiernis quamplurimis. *Horatii* odas contemnunt, quamdiu capiunt: tum demum Poëtam admirantur, cum is ex conſpectu ſuo ſe ſubducit: tum vero ſublimis, tum *alter Pindarus* eſt.

Multæ erroris cauſſæ.

Mirari aliquis poſſet, unde hoc hominibus in mentem venire potuerit, ut & ipſi in obſcuritate gloriam quærerent, & aliorum obſcuritatem admirarentur, cum oratio nobis non ad obſcuranda, ſed ad patefacienda animi ſenſa data ſit? Multas hic error cauſſas habet. Præterquam enim, quod ſemper ea majora habentur, quæ latent: exiſtimant quidam, auctorem, qui librum ſuum intelligit, te, qui non intelligis, neceſſario hoc ipſo eſſe ſuperiorem; capit enim, quod tu non capis; alii, quia in pueritia ſcriptores vere ſublimes intelligere non potuerunt, aſſueverunt jam in ſcholis obſcuri & ſublimis notionem confundere: quod & iis accidit, qui admirantur auctores grandes illos quidem, ſed ſimul intellectu difficiles: ſolemus enim in iis, quod admiramur, promiſcue virtutes & vitia admirari: alii denique magnitudinem ingenii, atque eruditionis, quæ ab interpretibus ad intelligentiam obſcuri auctoris requiritur, ad ipſum auctorem transferunt? Quantum eſt illud, quod vix *Heinſii*, *Caſauboni*, *Grotii*, *Salmaſii*, *Scaligeri* intelligere potuerunt?

In

In quam ſententiam memini cujuſdam eloquentiam his verbis mihi jactantis: *Quid tu? ait, noſtine illum?* nominabat hominem in humanioribus literis apprime verſatum: *doctum prædicant & ingenioſum: noſtin? ſed nihil ad me. Scripſi ad eum his diebus literas, quas vellem vidiſſes. Venio ad hominem poſtridie: ecquid literas meas acceperit, rogo. Annuit, ſed quid mihi vellem his literis quærit: quaſi vero, inquam, tu illas non intelligas: tum vero ille dejerare, ſe ne verbulum quidem capere: ego hominis miſereri, dicta explicare. Quid multis? coactus eſt denique fateri, ſe, niſi veniſſem, nihil horum, quæ dicere volebam, unquam fuiſſe divinaturum.* Hæc cum dixiſſet homo ſublimis eloquentiæ, ridens me aſpexit: & ego ridebam; uter noſtrum graviores ridendi cauſſas habuerit, alii velim judicent.

Ad has cauſas affectatæ obſcuritatis, ſi accedit ineptus præceptor, qui diſcipulis illud σκό·τισον, σκότισον, ubique inculcat; qui illis obſcuriſſimos quoſque ſcriptores, ut nimirum illos videatur intelligere, præ cæteris commendat, qui diſcipulos propter obſcuritatem laudat: *tanto melius, ne ipſe quidem intellexi*; facile quilibet videt, unde tanta obſcuritatis veniat reverentia.

Quintil. Inſtitut. Orator. l. 8. c. 2. verba Rhetoris apud Quintilianum, ibid.

At non neceſſe erat tenebras in oratione quærere; vix vitari poſſunt, cum ſummo ſtudio illas vitamus; quod tot optimorum Scriptorum exempla docent; in ſublimi præſertim genere dicendi, cum & grandia, & grandibus verbis dicere volumus. Cum enim magnam in mente rei imaginem formare conamur, ſæpenumero tot tantaque imagine noſtra ſimul complecti volumus, ut imaginatio turbetur & confundatur, ipſique adeo, quid imaginemur, neſciamus; quod neceſſario obſcuram & confuſam parit orationem. Nonnunquam imagine in mente recte formata, verba grandia deſunt, quæ cum nimis longe petimus, non intelligimur. Nonnunquam grandem ſenſum verbis nimis paucis, ad augendam orationis vim, exprimere volumus; quod ſi raro fit, & fit ſalva orationis perſpicuitate, ſummam affert ei ſublimitatem: ſed quam facilis ſit inde in obſcuritatem lapſus, *Taciti* exemplum declarat. Excuſanda hæc ſunt in magnis ſcriptoribus, non imitanda, præſertim ab iis, qui nonniſi vitia eorum imitari poſſunt.

Tenebræ in oratione non ſtudio quærendæ, cum vix vitari poſſint, etiam cum maxime vitare volumus.

Sed & illi *meteora* tanquam ſublimia captant, quibus omne id ſublime videtur, quod eſt *inſolens, rarum, atque extraordinarium.* His ſordent omnia verba, omnes loquendi formæ vulgares & conſuetæ. Cum legunt ſcriptores, ea tantum obſervant, quæ raro, aut, ut loqui ſolent, *rarenter* occurrunt. Faſtidiunt fere *Ciceronem, Cæſarem, Cornelium Nepotem, Terentium;* nihil in horum libris eſt, quod excerpas. Quanto his *Barclajus* ſublimior? quantus ex hoc auctore colligi poteſt rariſſimarum vocum, phraſium, ut loquuntur, formularum, ſententiarum, troporum, figurarum, theſaurus. In Poëtis etiam, præſertim hodiernis, multa rara; In *præfationibus* vero librorum, in *Inſcriptionibus*, in *programmatibus*, quot phraſes occurrunt, *cedro dignæ & auro contra caræ.*

Et illi meteora tanquam ſublimia captant, quibus omne inſolens videtur ſublime.

Tot phraſium raritatibus, ex omnium ſeculorum Poëtis, Oratoribus, Philoſophis, magno numero congeſtis, tandem ſtilus formatur, ſimilis cimeliarcho,

quo

quo nonnisi rara naturæ & artis asservari solent. Hi homines nunquam ita se abjicient, ut *Ciceronem*, *Ciceronem* vocent: *Arpinas noster* ex libro phrasium est vocandus: *Plautus*, *familiaris noster Sarsinas*. *Horatius* nunquam *Horatius* est, sed *Venusinus Cygnus*; *hunc* si forte cum *Virgilio* comparant, dicent, se *lacrymas* & *suspiria* inter se comparare. Quantumcunque nomen *Homeri* sit, nunquam tamen *Homerus* est vocandus, sed ex Horatio, *is qui nil molitur inepte*. Loquere cum his de *Martiali*; quærent an *Bilbilitanum argutatorem* velis dicere. Erras, si hos unquam vinum bibere aut panem edere putas: *Bacchi munera hauriunt*, *Cererem consumunt*. Quid quæris? Omnes communes loquendi formas *Spaniologi* isti *cane pejus & angue*, sic enim loquuntur, *fugiunt, & plusquam Vatiniano odio prosequuntur*; & ne quidem cum Deo nisi ex Viridario aut ex formularum libro loqui possunt.

Errant quibus rariora semper sublimiora videntur. A. Gell. lib. I. c. 10. *Exempla.*

Sed errant, quibus rariora semper sublimiora videntur: aliter sensit C. Cæsar, qui *verbum insolens tanquam scopulum fugiendum esse* censuit. Rara quoque sunt monstra, sed non ideo pulchra: Rari nani, sed non ideo grandes. Illis Plauti; *ipsissimus*, *geminissimus*, *exclusissimus*, *occisissimus*, *sycolatronidæ*, *argentiexterebronidæ*, *fustitudineæ*, *ferricrepinæ insulæ*, quæ ad risum captandum conficta sunt, in oratione sublimi uti velle; quis non videt esse ridiculum? Qui Alexandrum ubique *Pellæum juvenem*, Aristotelem *Stagyritam* vocant; magnifice sibi loqui videntur, quasi Alexandri & Aristotelis nomina non essent grandiora. Magnopere videlicet Carolum V. Imperatorem & Henricum IV. Galliæ Regem extolleret, qui alterum *Gandensem juvenem*, alterum *Bearnensem* appellaret? Grandius se loqui existimat, qui Pindarum, *Thebanæ Lyræ fidicinem*, quam qui Pindarum dicit, qui tamen ipse mallet Pindarus quam fidicen vocari. Sunt, quos nullis conditionibus permoveres, ut dicerent: Omnibus hoc notum est; malunt ex formularum libro: *Et lippis & tonsoribus est notum*: at lippi hi cum suis tonsoribus illustri præsentia magnificam orationem non valde condecorant.

Alii magnopere sibi extollere videntur quaslibet res, si tantum eas inter cæteras sui generis caput efferre dicunt,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi:

neque animadvertunt, hominem agrestem apud Virgilium ita loqui, cui campis, pratis, atque arboribus nihil prius est.

Ita *tropi* quoque, tametsi propriis verbis sint rariores, non ideo semper sunt sublimiores. Iniqua sæpe conditione propria cum alienis permutamus, plusque est in hac permutatione jacturæ quam lucri. Qui de excellentia hominis loquuntur, non augent orationem, si eum non trita voce hominem, sed *mortalem* vocant. Qui toties de *mundi fornicibus* loquuntur, plus dicerent si cœlum *cœlum* vocarent. Qui *cœlum buccinare* ait, longe minus dicit, quam si proprie tonare diceret. Qui mare appellavit *fossam ponti*, significantiore usus esset verbo, si quotidianum maris nomen retinuisset, Ita nihil in permutatione vocum lucri capiunt, qui terram cum *terræ pila*, mare cum *Neptunia lacuna*, equum

ungnla vehi Sarbievius. d.

equum cum *ungula*, domum cum *nido*, majus cum minori, significantius cum minus significanti permutant vocabulo. Addere possumus honestum cum turpi & obscœno, ut sunt, *nubes* Varronis *aquam vomentes*, Furii *Jupiter Alpes nive conspuens:* de quibus sapienter Cicero: *Quoniam hæc vel summa*, inquit, *laus est verbi transferendi, ut sensum feriat id, quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet similitudo. Nolo morte Africani castratam esse Rempubl. nolo stercus Curiæ dici Glauciam. Quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis.* Viderint igitur, quam magnifice loquantur, quibus: *maledicta evomere, & blasphemias eructare, in patrios cineres mingere, cacatæ chartæ, Judæis curtis oppedere*, & aliæ hujusmodi munditiæ tantopere placent.

Cicero libro 3. de Oratore.

Neque illi μετέωρον in Oratione & sublime distinguunt, qui nimis *exquisitum* in sublimi oratione affectant *ornatum*. *Periodos* ubique quærunt probe *mensuratas*, omnia *cola* & *incisa* apte sibi *respondentia*, libratas plurium membrorum *antitheses* & *comparationes*, earum æquales itus reditusque, *voces sonosque* ad numerum *repetitos*, *similiter incipientia* & *cadentia*, rotundas *sententiolas*, *clausulas inexpectatas*, argutos *lusus in similibus*, *oppositis*. aut *verborum ambiguitatibus*, *dicta factaque* veterum, *fabulas*, totamque rerum *naturam* per ingeniosam allegoriam *ad argumentum* suum *tractam*, ne dicam *tortam*. Horum quædam si modice adhibentur in oratione ad delectationem composita, aliquid venustatis habent: si frequentantur, inepta vel in ludicra oratione, at in gravi & sublimi monstra sunt non ferenda, neque magis huic orationi conveniunt, quam si vir gravis in concione populi ad numerum saltare vellet.

Meteora eorum qui nimis exquisitum in sublimi oratione affectant ornatum.

Romani Augusti ævo has delicias non magnopere captabant; solus *Ovidius* his interdum lusibus delectari videtur: Tempore vero Neronis frequentari cœperunt, quod *Senecarum scripta* demonstrant: ac paulo post tota eloquentia in his ponebatur, ut *Petronii* (a) & *Quintiliani* (b) docent *querelæ*.

Hæ deliciæ non tempore Augusti, sed Neronis quæri cœperunt.

(a) Petron initio Satyr.

(b) Quint. lib. 2. & 8.

Inde transiit hæc dicendi consuetudo in Ecclesiam. *Non pudet*, inquit (c) Hieronymus, *Christianos & Sacerdotes Dei, quasi de rebus ludicris agatur, verbis dubiis hærere, & ambiguas librare sententias, quibus loquens magis quam audiens decipitur.* Multorum *Ecclesiæ Patrum* scripta his lusibus plena: à quibus eadem dicendi ratio ad *nostra usque tempora* manavit, quam tanta fide sacri quidam Oratores retinent, ut nullus dubitem, eos hanc consuetudinem posteris quoque esse tradituros. Ubi dolendum est, in iis orationibus maxime ludi, ubi minime ludi oportebat.

Et paulo post in Ecclesiam transierunt.

(c) Epist. ad Pammachium.

Hæc vel aptissime summoque cum judicio adhibita orationem aliquando venustiorem reddunt, nunquam sublimiorem & grandiorem; atque adeo tantum Orationi gravitatis detrahunt, quantum addunt venustatis. Recte Demetrius ἡ ὁμοιότης ἡ περὶ τὰ κῶλα καὶ ἡ ἀντίθεσις ἐκλύει τὴν δεινότητα. Id de omnibus hujus generis pigmentis dici potest. Exemplo sit elegantissimum illud de *Didonis Interitu* Epigramma.

His multorum Patrum scripta sunt plena.

περὶ ἑρμηνείας.

Ausonii

Infelix

epigramma elegans quidem, Epitaph. Heroum. 30. sed non sublime.

Infelix Dido, nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Nihil venustius est, sed & nihil minus sublime: hoc enim quisquis legit, non Didonis interitum miseratur, sed Poëtae argutiam miratur: ἀντιθέσεως concinnitas, tamque apta alternatio verborum *fugere & perire* facit, ut Didonis tantum non obliviscamur. Augustinus certe, qui, lecto quarto libro Æneidos Virgilianae, mortem Didonis lacrymis prosecutus est, siccis hoc Epigramma oculis legisset.

Sublimi dictioni convenit parcior ornatus, sed non ubique. Quo quid simplicius eo sublimius. περὶ ὕψους cap. 7.

Convenit quidem sublimi dictioni parcior ornatus, sed non ubique. Quod si enim imago rei, quam mente concepimus, vere magna est, tanto major videbitur, quo simplicioribus eam verbis exprimimus: prorsus quemadmodum eximia pulchritudo vestibus elegantissimis non tam ornatur quam tegitur: cibus exquisiti saporis multis condimentis corrumpitur, suavissimumque melos nimiis vocis modulationibus redditur deterius; denique omne id, quod nudum & simplex optimum est, tale si relinquatur, est gratissimum. Illud Geneseos: *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; fiat terra, & facta est terra;* Cujus dicti sublimitatem tantopere *Longinus* deprædicat, ideo tam sublime est, quia tam simplex.

Ornatus in oratione sublimi apparere non debet.

Quod si vero quædam in oratione sublimi verbis ornanda sunt; danda est opera, ut *nullus*, quantum fieri potest, *ornatus appareat*, nusquam enim minus conspicuus esse debet. Poscunt Architecturæ regulæ, ut columnæ ornatus gratia splendidis ædibus additæ, necessitatis causa, ad fulciendum ædificii pondus, illi substructæ esse videantur: Ita & in Oratione id ipsum quod ornat, non ornatus causa quæsitum, sed, ad pondus sententiæ nostræ sustinendum, *necessario dictum* esse videatur.

In ornatu modus adhibendus. Quint. l. 11. & 12.

Talis denique in ornatu *modus adhibeatur*, ne auditorem ab illo affectu, quem in eo concitare volumus, ad orationis venustatem admirandam aliasque cogitationes, avocemus. Id quod faciunt illi, qui, ut ait Quintilianus, *sententiolis flent*, aut *Periodis postulant*, itaque nihil aliud dicendo consequuntur, quam ut, qui his capiuntur, dicant, elegantem se audivisse orationem; cæterum dictis neque moventur neque mutantur.

Periphrases affectatæ meteora dici merentur.

Huc pertinent quoque, quas adeo multi affectant, periphrases, quæ non semper plus sensus habent, ut plus habent verborum, nisi forte magnifice is de Cicerone locutus est, qui illum *Romanorum aromatum Myropolam* vocavit. Sed & minus ineptæ enervant sæpius orationem quam augent, fitque, ut propter verborum multitudinem sententiæ vis ac sublimitas non conspiciatur. Quam sublime est illud Virgilii:

— — *Et campus ubi Troja fuit.*

Da periphrastice, ut Præceptor clamat, magna sublimitatis pars evanescet.

Quid

Quid illud *Lucani* excusantis Romæ universæ, Cæsare adventante, terrorem, quem cum magnifice descripsisset, subjicit:

Danda tamen venia est tantorum danda pavorum,
Pompejo fugiente timent.

Lucan. lib. I.

Tribus his verbis plus dixit Poëta, quam si omnem Pompeji magnitudinem, si fugam ipsius magno verborum ambitu descripsisset. Id quod iis etiam dictum esse volo, qui nullum nomen, ut loquuntur, substantivum solum incedere patiuntur, sed omnia honoris causa splendido epitheto comitantur.

At nec illi in Oratione μετέωρον & sublime discernunt, qui dictionis sublimitatem ponunt in grande quiddam sonantibus vocibus, ac magnifica & nescio quid promittente verborum grandium nihil magni significantium structura. In Poëtis id appellat Horatius:

Aliud meteorum. Voces grande sonantes, & nihil magni significantes.

Versus inopes rerum nugæque canoræ.

Art. Poët.

Qui hæc affectant, aut nesciunt in quo vera orationis granditas consistat, aut ingenio destituti, illam cum assequi non possint, magnam sibi sonantium verborum copiam comparant, quibus ingenii parvitatem utcunque tegant, ut quidam splendore vestium paupertatem.

Hi non magnopere solliciti sunt quid dicant, aut num omnino aliquid dicant, dummodo possint Orationem, ut Sedulii, magni in hac arte Magistri, verbis utar,

Exempla.

Grandisones pompare modis tragicoque boatu;

Sedul. l. I. Operis Paschalis

dummodo verba sint, *resonantia*, *undantia*, *rorantia*, *rutilantia*, *radiantia*, *flammantia*, *coruscantia*, *tumultuantia*, *bacchantia quadrupedantia*. Hæc verba parum aut nihil significent: dummodo *tonent*, *fulgurent*, *fulminent*, *late grassentur*, *quaquavorsum* omnia *quatiant*, *perrumpant*, *proruant*. Sit sensus humilis, dum verba sint *aurata*, *marmorea*, *eborea*, *fastigiata*. Nihil in oratione cohæreat, dum in ea compareat *bosphorus*, *campi hyperborei*, *æstuantis Adriæ sinus*, *Carpathium pelagus*, cum *inhospitali Caucaso & Acroceraunis*. Tantorum verborum sono quis non deciperetur, ut existimaret, sublime esse in Oratione, quod, si sensum quæret, non nisi μετέωρα esse videbit.

Hæc fere est causa, quare multi sequioris ævi Poëtas iis, qui Augusti tempore & ante floruerunt, tanquam grandiores anteponunt. Hi *Claudianum* libros de *raptu Proserpinæ* longe sublimiori stilo incipere dicent, quam Virgilius Æneida, aut Ovidius Metamorphoses orditur. Ita enim ille:

Talium amatores, sequiores Poëtas melioribus anteponunt.

Inferni raptoris equos, afflatque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ
Junonis thalamos audaci promere cantu
Mens congesta jubet.

Claudiani verborum granditas.

Videamus hoc exemplo, an non verborum granditas lectori fucum facere possit, ut majus, quam quod legit, sibi legere videatur. Ambitiosa illa epitheta: *Raptor infernus*, *currus Tænarius*, *thalami caligantes*, *Juno profunda*, *cantus audax* & *mens congesta* plus sonant, quam significant. Quomodo interpretabimur ista: *mens congesta jubet promere, aut prodere*, ut alii legunt, *cantu equos & sidera curru afflata*? Maluissem, Poëta nobis cecinisset, infandum Plutonis facinus, crudeles horrendi raptoris manus, durissima brachia, quæ Jovis filiam, unicum Cereris delicium, Deam perpetua luce dignam, nequicquam Patrem Matremque implorantem, corripuerunt, comprehensamque per immanes specus ad æternas secum tenebras traxerunt.

Nihil horum in isto Claudiani exordio videmus: *equi* raptoris comparent, post *currus* sequitur: *Proserpinam* non conspicimus, nisi in *thalamis*, cum jam *Juno profunda* est, fortasse ne rapta Proserpina commiseratione nos tangat. Hujus nuptiæ *thalami* appellantur *caligantes*; qua in re Juno profunda non infelix videbitur illis, qui in his thalamis lucem non requirunt. Magnam igitur Poëta neque concepit, neque verbis expressit imaginem argumenti sui, in quo equi Plutonis, currus ejus & nuptiæ Proserpinæ minimum atrocitatis habent. Maximum in hoc raptu est ipse raptus. Similisque adeo pictori est Poëta, qui quadrigam nobis depingeret trahentem currum, quo homines velati veherentur: post in alia tabulæ parte, tanquam in loco remotiore, lectum in tenebris, cum hac Inscriptione: *Raptus Proserpinæ*. Quanto rectius Ovidius orditur Metamorphoses:

& inanitas.

> *In nova fert animus mutatas dicere formas*
> *Corpora.*

paucis verbis iisque perspicuis omnem argumenti sui magnitudinem complectitur, ut de *Æneidos initio*, *secundique libri Lucretii*, quo vix quicquam sublimius est, taceam.

Cæterum, quod Claudiano contigit, quem non negamus ingentis spiritus Poëtam fuisse; id hodiernis quoque Poëtis, cum illo minime comparandis, aliquando accidit, ut plus soni quam sensus habeant eorum carmina, minime est mirandum: facilius quippe est grandia verba ex Poëtis, aut, quod quidam faciunt, ex Phrasium Thesauris excerpere, quam grandes sensus ex pectore depromere.

Meteora, tumida, turgida, inflata. Tumor orationis.

Inter omnia vero μετέωρα nulla sunt, quæ magis sublimitatis speciem mentiuntur, quam illa quæ *præcipitia* Quintilianus, alii *tumida*, *turgida* & *inflata* appellant. Est autem *tumor orationis* nihil aliud, quam *quidam granditatis excessus*, in quem ii omnes prolabuntur, qui, cum imaginandi potius facultate, quam judicandi pollent, quoties magnifice dicere volunt, omnia quidem adhibent, quibus orationem sublimem fieri diximus, sed nusquam aut modum aut decorum servare possunt.

Hi

Hi igitur si magnam rei in mente imaginem formare volunt, formant vastam; si sublimem, formant enormem; si admirabilem, formant portentosam prorsus & incredibilem. Cum *procerum hominem* concipere volunt, concipiunt *gigantem*: cum *virum fortem*; nescio quem *fabulosum* concipiunt *Heroëm*. Grandem Cicero amicitiæ imaginem animo complexus est: *Non aqua, inquit, non igni, non aëre pluribus locis utimur, quam amicitia:* Si quis Ciceronem hic superaturus diceret: *amicitia longe pluribus in locis utimur, quam aëre,* modum excederet. Magnam corrupti sæculi ideam concipit, qui dicit, usque eo rem venisse, ut scelerum neminem pudeat, multi iis etiam glorientur. Nimiam conciperet, si quis cum Seneca diceret: *nullum intra se manet hodie vitium, adeo unusquisque sua amat, ut nolit peccare, nisi adsit testis.*

Exempla. In Lælio. Seneca epist. 93.

Qui hæc μετέωρα amant, ii in soluta oratione tantum nonnunquam imaginationi indulgent, quantum Poëtæ, imo quantum vix Poëtis concederetur. Hos si audis, *D. Brutus Gallæcos domuit, atque omnes Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen oblivionis, peragratoque victor Oceani littore non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu & horrore deprehendit.* Si temperatam describunt regionem: *Nulla unquam nubes cœlum asperat, nulla bruma segetes extinguit, nulli æstus adurunt.* Si sapientem laudant: *Quovis ille adamante durior est: non modo nulli telo penetrabilis, sed ipsi etiam arietes & machinæ, quæ altissimas turres prosternunt, munitissimas arces diruunt, hunc ne agitant quidem: firmior est Babylonis, Carthaginis, Numantiæ, ipsius denique Capitolii muris. Quantumcunque telorum multitudinem in eum conjicias, nullum eorum hominem tantum vulnerat, ferit, imo ne quidem attingit.* Quemcunque aut Regem aut Principem extollere volunt: hic vero magis Alexander est & Cæsar, quam ipse Alexander & Cæsar fuerunt: & si quando crescit imaginationis fervor: *totus mundus basis est nimis exigua ad imaginem ejus sustentandam: non satis in hoc universo papyri est, ad virtutes ejus describendas: neque omnino calamo id peragi potest: solem has radiis suis scribere oportet.*

Meteora in soluta oratione. Florus lib. 2. cap. 17. Barclajus. Senecæ effigies sapientis. Relation d'Espagne.

In *carmine* vero, quid non audet concitata, nulloque judicio frenata, imaginatio; quia multa licent, omnia licere putat. Nihil tam vastum, tam enorme, tam monstrosum est, quod non effundit. Nunc in nubibus est, nunc in abysso, nunc extra mundum rapitur, cœlum terramque miscet:

Meteora in poësi. Horat. art. poët.

> *Cum variare volet rem prodigialiter unam,*
> *Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum.*

Hic milites nobis adeo pugnæ intentos narrat, *ut etiam post mortem in pugnando perseverarint, non animadvertentes, se mortuos esse:* Hic aggerem, *quem Poëtæ inter Zodiaci signa collocarent, nisi metuerent, ne firmitate & altitudine sua solis cursum impediret.* Si tempestas describitur mare concutiens, quo non aufertur imaginatio? Venti bella gerunt: Aquilo vincit: hic non fluctus concitat, sed maria integra loco movet: commiscentur mare Ægeum & Tyrrhe-

Auvray lettre 46.

num, Ionium & Adriaticum: Oceanus à reliquis ventis tenetur: terra denique omnis inundatur, mare est sine littore, cœlo solo tenetur:

Lucan. lib. 5.

Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
Ni superum rector pressisset nubibus undas.

In sacro etiam argumento non minus imaginatio sibi permittit. Licuerit *Homero* nescio quæ monstra Deorum fingere; Deos ab hominibus vulneratos, quod cum Marti contigisset, clamaverit bellator iste Deus,

Iliad. ε.

Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι.

Neque enim certo id scit Poëta. Quis Christianum Poëtam feret, Christo nascente, hæc evenisse fingentem:

Barlæus Hymno in Christum lib. 1. Heroicor.

— ---- stellataque machina mundi
Proscripsit ferale jubar, micuere secundo
Omine sidereæ facies: dum pignora cœlum
Tanta sibi promissa putat: sua frigora fulgens
Ægoceros media voluit mitescere bruma,
Et tepuit glacialis hiems, decessit Olympo
Arctophylax, fugit socia cum conjuge Cepheus.
Et Chiron Perseusque furens, & Plejas, & ipse
Amphitryoniades.

Ut illam permixtionem religionis nostræ mysteriorum cum absurdissimis Gentilium fabulis, in qua tantum sibi Christiani Poetæ nonnunquam indulgent, silentio prætereaam.

Aliud meteoron. Etiam in verbis sublimitatem quærunt nonnulli.

Cum vero non in sensu tantum orationis, sed in verbis etiam sublimitatem quærunt ii, qui plus ingenii, quam judicii, habent, quæ non verba, quas loquendi formas non adducunt? Ad petendas *metaphoras* aliosque tropos ab uno mundi extremo ad aliud currunt; quæ sponte sequi nolunt, trahuntur: *periphrases* finguntur *enormes*, & non uno spiritu enuntiandæ: quicquid in hoc universo magnum est, cœlum cum plagis suis omnibusque astris, omnes terræ earumque populi, omnia maria, lacus, flumina, montes, omnes Dii Deæque, omnia denique monstra, *nomina* sua, *cognomina* atque *epitetha* scribenti commodare debent, ut his coarcervatis granditas orationis augeatur. Neptuno tridens, Minervæ clypeus, cum capite Medusæ, Phœbo quadriga, Mercurio talares alæ, ipsi denique Herculi clava, imo Jovi trisulcum fulmen eripitur. Xerxes jam non amplius est Persarum Rex, sed *Persarum Jupiter*. Vultures jam non amplius aves sunt rapaces, sed *sepulchra animata*. *Heliotropium horum est Mathusalemus*. Qui lac equinum bibunt, illi *ex cornipedis visceribus cibos extrahunt*. Nullæ jam amplius in aëre sagittæ volitant, sed *pennatæ mortes æthera sibi vindicant*. Non jam amplius orator clamat, *quid primum, quid deinde dicam?* sed ita: *Quas aristas horreis inferam, quas relinquam?* En formulam

Exempla ridicula.

Longin. c. 2.

Gongora Hisp. Poëta.

Ennod. Paneg.

mulam oratoris Panegyrici ad finem orationis properantis: *Vellem, fateor, ad orationis terminum victus gestorum tuorum enormitate descendere, & novellas adoreas, hebetatus priscorum luce, transire. Quemadmodum si atherei axis in numerum redigere ornamenta voluissem, &, trionum fulgore comprehenso, cœli decorem impotenti lingua describere, cederet divino splendori mortalis obscuritas, jubaris lampadi non sufficeret humilium scintilla sermonum.*

Denique ne singulæ quidem voces, vulgares si sunt, placent; nulla satis dignitatis, aut soni, aut sensus habet. Novæ fingendæ, veteres revocandæ; ubi consuetæ justam mensuram non habent. Delphini sunt *repandirostrum & incurvicervicum pecus*: grande periculum est *hypobrychium irrespirabile*: aries est *animal reciprocicorne*, aper *Nemorivagus*, cerva *sylvicultrix*. Huc faciunt Poëtica illa *composita* nomina cum verbis *gero* & *fero*, ad quorum imitationem alia plura confingi possunt; nomina *superlativa*, *patronymica*; verba *frequentativa*, *inchoativa*, *imitativa*, *desiderativa*; omnia denique majoris & sesquipedalis mensuræ vocabula.

Aliud Meteorum. Multi illa dicta sublimia esse existimant, quæ sunt superba & impia.

Quum supra diximus, ad sublimitatem orationis facere, si magnum illa & excelsum animum præ se ferat; multi, qui inter veram animi magnitudinem & superbiam distinguere nequeunt, illa dicta sublimia esse existimant, quæ sunt arrogantia, superba, ferocia atque impia: quæ arguunt contemtum non rerum parvarum, sed rerum contemtore longe majorum atque adeo maximarum, quorum illud animi magni, hoc superbi est.

Tale μετέωρον est illud Pharaonis, *quis est Jehova, cui dicto audiens sim?* tale illud Sennacharibi: *quis tandem est ex omnibus terrarum diis, qui suam terram à mea manu defenderit?* tale Nabuchodonosoris: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Hi nimirum sunt illi μετέωροι, qui, ait Psalmista, *de sublimi loquuntur, qui ponunt os suum in cœlum, quorum lingua ambulat in terra.* Tale est illud, quod Augusto à quibusdam tribuitur, *etiam invito Neptuno victoriam se adepturum.* Tale illud Caligulæ, Jovi suo ita comminantis: Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάσω σε. Hujus adeo omnia dicta, ipsæ etiam metaphoræ truculentam quandam superbiam redoluerunt plane, ut peroraturus, *strictûrum se lucubrationis suæ telum minaretur.* Pari arrogantia Domitianus, cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.*

Exempla Exod. 5. 2. 2. Reg. 18. vs. 35. Isaiæ 14. vs. 14. Psal. 73. vs. 8. 9. Sueton. in Augusto. Idem in Caligula. Idem in Domitiano.

Falluntur in hoc sæpe Poëtæ, ut, cum magnum quiddam & sublime dicere volunt, superbum & impium dicant. Sic Lucanus de Nerone successore eorum, qui per bella civilia multaque scelera ad imperium pervenerunt: *scelera ipsa nefasque hac mercede placent.* Idem conferens Cæsaris & Pompeji partes:

Lucan. lib. 1.

Victrix caussa Diis placuit, sed victa Catoni.

Unum Catonem omnibus Diis opponit, si non antepọnit. Hercules apud Senecam, si modo Seneca hujus Tragœdiæ auctor est, his verbis à Jove in cœlum recipi postulat:

Herculis Oetæi, qui Senecæ tribuitur act. 1. sc. 1.

—— —— Quid tamen nectis moras?
Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum cœlo Herculem? &c.
Da, da tuendos Jupiter saltem Deos:
Illa licebit fulmen à parte auferas.
Ego quam tuebor, sive glacialem polum,
Seu me tueri fervidam partem jubes,
Hac esse superos parte securos puta.

Typhon aut Enceladus aliquis ita loquitur, cœlum oppugnaturus, non Heros sanæ mentis. Cui non dissimile illud Martialis ad Domitianum epigramma, quo vitam illi longævam precatur:

Martialis l. 8. epigram. 39.

Esse velis, oro, serus conviva Tonantis.
At tu si properas, Jupiter, ipse veni.

Ita non modo superbus & impius est ille mos Poëtarum, Deos accusandi, invidiam iis conflandi, convitiis eos onerandi: sed & illæ loquendi formæ nescio quid arrogantiæ & impietatis habent, quibus *Dii invidia exonerari, probari, absolvi* dicuntur; omnes denique, quæ contemtum sapiunt rerum minime contemnendarum: quales sunt res sacræ, probitas, pietas, *justitia*, reliquæ virtutes, præstantes viri, dicta factaque præclara, Reges, Magistratus, qui nobis præsunt, patria, parentes, jura, leges, patriæ consuetudines, & hujusmodi alia: quæ dicta harum rerum contemtum redolent, nihil veræ granditatis habent.

Unde hoc vitium.

Quod si quando hæc audacter & intrepide dicta nobis quadam sublimitatis specie adblandiuntur, inde id oritur, quia omnes quotquot sumus, superba animalia sumus, qui non modo amamus nos efferre supra ea, quæ nobis inferiora sunt, qua in re minime peccaremus; sed tum etiam, cum infra vilissimas nos res abjicimus, quasi ad dignitatem recuperandam, nos ipsos supra omne id quod excellit, evehimus. Quod cum facimus, mirificam voluptatem capimus ex omnibus dictis, quæ nos in hac superbia confirmant. Hæc dicta consideramus tanquam specula, in quibus animi nostri longe grandiores apparent, atque sunt; eaque propterea tanquam grandia atque sublimia amamus atque exosculamur. Hanc caussam viri perspicaces esse putant, quare omnis orationis sublimitas tantopere audientibus placeat: sapienter certe, si modo inter veram & animi & orationis sublimitatem, & vanum utriusque fastum, discrimen agnoscerent.

Nec tamen culpandi scriptores, qui superbiam loquentium oratione depingunt.

Neque tamen culpandi illi sunt scriptores, qui, cum alios in libris suis loquentes introducunt, superbiam loquentium ipsa oratione depingunt. Egregie T. Livius, cum Servius Tullius rebellem Tarquinium his verbis comprimere vellet: *Quid hoc, Tarquini, rei est? qua tu audacia me vivo vocare ausus es Patres? aut in sede considere mea?* hoc Tarquinium & Regi & Socero suo respon-

respondisse inquit: *Se patris sui tenere sedem; multo, quam servum, potiorem filium regis regni hæredem: satis illum diu per licentiam eludentem insultâsse Dominis.* Superbus est Tarquinius, qui ita loquitur: at Livius sublimis, qui tam vividam hujus superbiæ in oratione exprimit imaginem. Medeæ apud Senecam, cum à nutrice objiceretur, nihil illi è tantis opibus reliquum esse, ad levitatem Jasonis ulciscendam: ita Medea.

Liv. dec. 1. l. 1. c. 48.

Medea super est: heic mare & terras vides,
Ferrumque & ignes & Deos & fulmina.

Superba, impia, imo insaniens est Medea, quæ ita loquitur; at præclare Seneca audacis mulieris rabiem his verbis depingit. Qua ratione neque Polyphemi meteora in Ovidio sunt reprehendenda. Horrida est Polyphemi eloquentia, at Ovidii carmen elegantissimum. In his non id quod repræsentatur, sed repræsentatio nobis placere debet,

Tertium meteori genus: Vitiosa orationis sublimitas.

Dicendum tandem aliquid est de *tertio*, partitionis nostræ, *meteori genere*, ubi duo priora ita concurrunt, ut *non modo argumentum orationis sublimis humile sit, sed & vitiosa orationis sublimitas.* Hoc scilicet est infanti non cothurnos Herculis, sed Polyphemi aut Typhonis calceos aptare.

Exempla.

Neque tamen defuerunt, neque etiam nunc desunt, qui his meteoris capiuntur; quique se adeo demittere nequeunt, ut res etiam vulgatissimas atque communissimas turgida oratione induant. Aves appellaturi, *pennatas tibias aut alatos Poëtas* vocabunt: virginem μίνανδρον dicent: Gallum gallinaceum ὀρθρόβοιν. Quære ex horum aliquo, quodnam munus exerceat: Respondebit fortasse ex Sedulio: *Ego decachordo psalterio inter beati dogmatis choros Davidicæ modulationis cantus exerceo.* Cantorem in Ecclesia se vult dicere. Quære ex alio: ut valeat; *Satis bene se in caruncula folliculo constitutum esse, dicet:* quid agat, interroga: dicet, *se in castris Musarum militare*, aut, si scribit, dicet, se *aliquid Niliaci papyro gurgitis calamo perarante conradere.*

Vide plura hujusmodi apud Athenæum lib. 3. p. m. 98. 99. *ex Sedulio.*

Quære, quo anno aliquid factum sit: annum ita describet, *post tempora incarnati Verbi, ignea romphea in ostio Paradisi fonte lateris Christi extincta, ut regnum Dei violentius raperetur*, hoc vel illo anno res contigit; aut si magnis vocibus magis capitur, quam magnis periphrasibus: dicet, ex nescio quo antiquo *tabulario*, id accidisse, hoc illove *Præsule Archiepiscopante*, hoc illove Rege *Ptolomante*: aut, si cultius loqui velit, dicet adolescentem in Siciliam venisse tum, cum *nondum orbis adoraverat Romam, cum nondum Oceanus concesserat Tybri.* Parum etiam aberit, quin servo mandaturus, ut ocreas sibi demat, formula utatur, quam in hoc casu nescio quis Rhetor magnifice dicturo suadet, *Tu qui me inferior es, innitere corporis tui columnis, & ab his mortui bovis exuviis me libera.*

Glossar. Du Fresne verb. *Ptolomare*,

Alius familiarem æstatis tempore ex urbe in agrum ad se vocabit his verbis: *Jam ver decedit æstati, & per lineas sol altatus extremas, in axem Scythicum radio peregrinante porrigitur. Mundus incanduit, glacies Alpina deletur, & hiulcis arem-*

Sidon. Apollinar. Epist: ad Domi-

tium lib. 2. ep. 2.

arentium rivorum flexibus terra perscribitur: squalet glarea in vadis, limus in ripis, pulvis in campis, aqua ipsa quaecunque perpetuo labens, tractu exsudante languescit. Etiam non solum calet unda sed coquitur, & nunc, dum in carbaso sudat unus, alter in bombyce: tu endromidatus exterius, intrinsecus fasciatus, insuper & concavi municipii Camerini sede compressus, discipulis non aestu minus, quam timore pallentibus, exponere oscitabundus ordiris: Samia mihi mater fuit. Quin tu magis, si quid salubre tibi cordi, raptim subduceris anhelantibus angustiis civitatis, & contubernio nostro aventer insertus, fallis clementissimo recessu inclementiam canicularem. Hunc stilum facile agnoscet *vigilax* lector, qui *Sidonii Apollinaris* Avernorum Episcopi *lectitandis epistolis voluptuosam patientiam impendit.* Adeo enim ubique sibi constat, ut amicum ne salutare quidem possit, nisi in *salutationem erumpat.* Ad Papam i. e. Episcopum & fratrem vero cum scribit, se ipsum superat: Papae *attremit turba collegii: in gravitatis ipsius comparationem ipsa etiam grandaevorum corda puerascunt: spiritualia castra eum venerantur tanquam quendam conclamatissimum primipilarem utriusque sanctorum ordinis: qui manum lingua porrigit omnibus in conscientia sauciatis*; neque proinde est mirandum, quod Papae se submissurus *lixam* se & *calonem* vocat, imo leprosi illius in Evangelio *conleprosum.*

Sidonii verba.

Idem ad Papam Lupum epist. 1. lib. 6.

Martianus Capella.

Maxime terribilia *meteora* Africa produxit. Tale est *Martiani Capellae* liber, cujus vel ipse titulus, *de nuptiis Philologiae & Mercurii* nescio quid magni promittere videtur. Orditur eum magnificis versibus, quibus *Hymenaeum* invocat. Fabulam te legere crederes, quam Romanensem vocant. Omnes Dii Deaeque in scenam prodeunt. Singulae Musae singula canunt epithalamia. Sponsa tandem deducitur in *Jovialem domum, quae etiam granditate mira mundanum ambitum possideret, & decore conspicuo fulgorem siderum vinceret, & novitate situs signiferum circulum decussaret.* Ita loquitur auctor, cum intelligi vult: pleraque longe obscuriora. Legis primum, legis secundum, legis initium tertii libri: per longos & sinuosos Labyrinthi alicujus magnifici, sed tenebrosi, anfractus putes te duci nescio quo: expectas exitum: subito tandem lux apparet, locum notum agnoscis: in *Grammaticam* es delatus, *literarum, syllabarum, vocum* ratio explicatur: hincque ad *Dialectica praedicabilia* deduceris, tandemque vides heroicam hanc fabulam eo tendere, ut generalia artium liberalium praecepta tradat.

Tertullianus de pallio.

Huic terribili meteoro nihilo inferius est *Tertulliani liber de Pallio.* Auctor notatus erat ab Afris, quod, posita toga, Pallium sumserit. Indignum neque ferendum hoc cum illi videretur convicium, scripsit *Apologiam pallii*; ubi postquam omnes, quascunque vastissima, totumque mundum complectens, imaginatio excogitare poterat, mutationes, ad suam palliandam, adduxisset, & quicquid magnificentissime de pallio dici potest, coacervasset; tandem Pallium ipsum loquens introducitur: *Adigo*, audite pallium loquens, *cauterem ambitioni.* * *Dabo catharticum impuritati.* * *De occursu meo vitia suffundo.* * *De meo vestiuntur & primus informator literarum; & primus enodator vocis, & primus numerorum arenarius & Grammaticus, & Rhetor &*

Sophis-

Sophista & Medicus & Poëta & qui Musicam pulsat, & qui stellarem conjectat & qui volaticam spectat. Omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis continetur. Quisquamne unquam magnificentius, atque hic pallium, verba fecit? Integram ejus orationem adduxissem, nisi stilus hujus pallii paulo esset obscurior; qua virtute vel ipsum dominum superat.

His duobus Afris tertium adjungere possem, Apulejum, in quo multa etiam meteora observabis: *modo si papyrum Ægyptiam tu, argutia Nilotici calami inscriptam, non spreveris inspicere.* Sed Scriptor iste in omnium manibus est, adeoque à multis amatur, ut, si quis eum reprehenderet, illum *invidiæ nefariæ lethali plaga percussum* esse clamarent. Nihil audemus dicere, quando Lipsius ipse stilum ejus *adversus istos de Arpinati Schola investes pueros*, ita eleganter Ciceronis cultores vocat, asserere non veretur.

Apulejus.

Epist quæst. epist. 22.

Optandum esset, ut hæc sublimis videl. eloquentia non pueris in scholis instillaretur. Inde enim prima stili corruptio provenit. Eam sublimitatis ideam multi retinent, quam à præceptore suo acceperunt, qui si inepte hic sentit, discipulis eundem tradit errorem. Cum præceptorem identidem audiunt & affectantem & commendantem *mellitos* nescio quos *verborum globulos*, *dictaque quasi papavere & sesamo sparsa*: *non magis*, ut ait Eumolpus apud Petronium, *sapere possunt, quam bene olere qui in culina habitant*: nisi eo sint in pueritia judicio, quod in Henrico Valesio fuisse Frater Hadrianus Valesius commemorat. Digna res quæ hic adducatur: *Præceptor Henrici vocabatur Rusellus, homo minime malus, sed admodum imperitus, & artis, quam profitebatur, rudis & ignarus, qui in prosa eloquentia verba grandia & bene sonantia, orationem in re vel levissima numerosam, plenam pompæ & majestatis, descriptionesque ne in carmine quidem tolerabiles affectabat: qualis est hæc primæ lucis descriptio, quam Valesius, à ludo recens, sæpe recitantis more graviter pronunciabat: Dilucescebat: &, emissa jam uberioris affuturæ lucis quasi præcone aurora, flavescentem auro cæsariem, pullulantibus in altum radiis, sol matutinus depectebat. Actum erat*, inquit Hadrianus, *de Valesio, si talem Præceptorem esset imitatus: sed exemplis magistri malis atque vitiosis judicium discipuli prævaluit.* Quam sibi placerent multi Magistri, si tam alte in oratione, ut Rusellus iste, possent ascendere? Nunc cum id non possint, satis sublimes sibi videntur; si discipulis, ut epistolas ita incipiant: *Salutem à fonte salutis Amice medullitus peramande*: itaque finiant: *Tuus per saxa per ignes*, & alias hujusmodi formulas præcipiunt.

Prima stili corruptio provenit ab hac sublimitate quæ pueris in scholis instillatur.

Sed & extra scholas in vulgaribus linguis meteora inveniuntur. Pleni sunt illis *Itali*, pleni *Hispani* scriptores; *Germani multi* eos in his imitantur. *Galli hodierni* saniores patribus atque avis, veram tandem, fulgoribus his relictis, scribendi formam animo sunt complexi, quam si retinere possent; est autem difficile huic genti diu aliquid retinere; proxime eorum eloquentia ad priscam illam, quæ in Græcia Demosthenis & Romæ Ciceronis tempore

Etiam extra scholas in vulgaribus linguis meteora inveniuntur.

pore viguit, accederet. Superſunt tamen in omnibus linguis hodiernis, neſcio quæ meteora priſcis incognita. Hæc ſunt formulæ illæ, quibus alii aliis obſervantiam & reverentiam teſtamur, *complementa* vocant, ad quod ſignificandum neque Græci neque Romani ullum nomen invenerunt, *verba honoris* quidam appellant; ubi magnis & neſcio quid promittentibus verbis nihil fere ſignificamus; dicere ſe *humilimum atque obedientiſſimum alicujus ſervum aut mancipium*; nihilo plus ſignificat quam Græcorum χαῖρε & *ave* Latinorum: ut alias longiores atque ſublimiores formulas taceam. Nemini ſuaderem ut has formulas, ubi illas conſuetudo poſcit, omitteret: optandum tamen eſſet, ut paulatim politiores homines hanc ineptam conſuetudinem dediſcere poſſent; non tot inutilibus vocibus oratio inflaretur atque enervaretur.

Complementa.

VITA
EXIMII VIRI
JOH. JACOBI BUXTORFII
IN ACADEM. BASILIENSI
LINGUÆ SANCTÆ PROFESSORIS
FUNEBRI ORATIONE,
DIE XXX. DECEMB. A. MDCC IV.
UTCUNQUE DELINEATA.

SAM. WERENFELSIUS,

S. THEOL. DOCT. V. T. PROFESS. FACULT. THEOL. H. T. DECANUS,

LECTORI SALUTEM GRATIAMQUE DIVINAM PRECATUR.

SI monumenta historiarum evolvere jucundissimus labor est, non minus certe utilitatis habet, quam voluptatis, dummodo res olim gestas non tam ad tempus fallendum legas, aut ut habeas, quod in circulis narres, quam ut inde petas, quod in vita instituenda seu imiteris, seu caveas. Sed cum Præstantissimorum, quæ extant, Historicorum scripta tota fere sint in recensendis bellis, pacificationibus, fœderibus, varia variorum gubernandi ratione, aliisque hujusmodi, quæ imperia summamque Reipubl. spectant; fit ut exigua sæpe ad privatos homines inde redundet utilitas. Paucissimi enim sunt, qui-

bus

bus Provinciæ, legiones & exercitus, aut aliæ Reipubl. curandæ partes committuntur: plerique neque præsunt aliis, neque ab iis, qui præsunt, in consilium adhibentur; nihilque adeo, quod regant, habent, nisi se ipsos, parvamque, si qua iis est, familiam.

Hi sanè parum didicerunt, quod quidem ex usu suo sit, tametsi ad unguem norint, qua virtute Alexander Persas, aut Cæsar Pompeii partes fregerit; quibus artibus Augustus sub Principis titulo Romanos regni patientes reddiderit; qua denique versutia Tiberius potestatem à Patre traditam conservare & augere studuerit. Tantarum rerum cognitionem, pulcherrimam licet, si ad privatos usus convertere velis, nano gigantis arma, aut, quod est in proverbio, infanti cothurnos Herculis aptare tentas. Longe plus emolumenti capiet privatus aliquis ex lectis vel crebro auditis privatorum suique similium hominum historiis. Unde & S. Literarum, quæ omnis generis & conditionis hominibus docendis, arguendis, corrigendis, in justitia erudiendis *divinitus datæ sunt, non minimam neque postremam partem constituunt variæ, de privatorum hominum actionibus, aut saltem, de privata hominum eminentium vita, narrationes. Et unde plus salutaris eruditionis hauriemus, quam ex vita Servatoris nostri, & qui ipsi adhæserunt, Apostolorum? Sed hi nullam Reipubl. partem attingentes vixerunt, ut plebeii, imo ut infimæ sortis & de vulgi fæce homines. Ut hic nihil commemorem de fructu, qui percipi potest ex vitis sanctorum Ecclesiæ luminum, aliorumque arte & virtute præstantium Virorum, quæ magno numero literis consignatæ extant. Quam ipsam ob causam semper existimavi, funebres illas orationes, quibus mortui non adulatoriis laudibus ornantur, sed eorum vita succincte & candide narratur, non sine multiplici Auditorum fructu in Ecclesiis & Academiis frequentari. Præsertim si defuncti eximiis ante alios dotibus & virtutibus eminuerunt, plurimaque de iis bene sapienterque cogitata, dicta & facta atque alia memoratu digna referri possunt. E quorum numero, cum cordatorum omnium calculo fuerit, quem hoc anno, lugente cum Academia universa civitate, extulimus, Vir Reverendus & Clarissimus* JOH. JACOBUS BUXTORFIUS, *Linguæ Sanctæ quondam inter nos Professor: ejusque adeo merita publicam grati animi debitæque reverentiæ testificationem à nobis flagitent:*

pio

pio hoc officio (ob arctiſſimam, qua τῷ μακαρίτῃ fueram conjunctus, neceſſitudinem mihi demandato) ita defungi ſtatui, ut non tam ejus virtute panegyrica oratione extollam, quam ſimplici dictionis genere re enſeam præcipua, quæ de ejus vita & morte cum ipſe reminiſcendo aſſequi, tum aliunde diſcere potui. Hoc vero die Martis, quæ erit XXX. *Decembris, hora decima, in Auditorio Jureconſultorum, Divina aſpirante gratia, executurus, omnes* BUXTORFIANI NOMINIS *Cultores, i. e. omnes, quibus ſcientia & virtus in precio eſt, Academiæ inprimis noſtræ Mœcenates, Proceres, Cives, docentes & diſcentes, etiam atque etiam rogo: ut hunc actum frequenti præſentia condecorare nobisque benevolas aures præbere ne dedignentur. Exhibebunt ita extremum honorem, beatis Noſtri manibus multis nominibus debitum: ad lugentium ſolatium haud parum conferent: agnoſcent nobiscum, qualem civem amiſerimus: audient non pauca admiratione & imitatione digna; &, quod præcipuum eſt, diſcent bene vivere, & pie mori. Quod ſi denique & hoc aliquod invitationi noſtræ pondus addere poteſt, me quoque novo beneficio obſtringent, quod grato animo agnoſcere, &, qua data occaſione, mutuis meis officiis demereri nunquam ceſſabo.*

SI

SI memoriam Clariſſimi Viri JOH. JACOBI BUXTORFII funebri oratione recolere, ejus demum eſſet, qui prompta quadam & expedita facundia cæteris præſtaret, quemlibet potius, quam me, in hoc nunc ſuggeſtu conſpiceretis. Hac enim facultate quantopere deſtituar, & experior quotidie, & tunc inprimis ſentio, cum apud vos dicendum mihi eſt, atque aliquid non indignum tam eruditis auribus in medium eſt proferendum. At ſi extremum, quod viris bene meritis debetur, officium BUXTORFIO noſtro ab eo potiſſimum eſt præſtandum, cui is & viro & adoleſcenti, imo & infanti vix è cunis egreſſo notiſſimus fuerat, qui plurimis illi & arctiſſimis neceſſitudinis vinculis erat conjunctus, quo nemo ſæpius jucundiſſima valentis conſuetudine eſt gaviſus, qui languenti & cum diutino morbo conflictanti frequentiſſime adfuit, & tandem tandem eheu! morientis oculos clauſit, ultimumque ſpiritum excepit: ſi ab hoc, inquam, juſta deſideratiſſimo hominum ſunt potiſſimum perſolvenda; fatemini, Auditores, mihi, mihi ante omnes alios, triſte hoc munus incumbere.

Et hæc quidem, hæc unica cauſa fuit, cur in tanta doctorum hominum copia, ego potius, quamquis quam alius, pullatam hanc cathedram conſcendi. Non hic de ingenio non de doctrina, non de eloquentia oſtentanda mihi videbatur agi: ſed de grato animo, de obſervantia, de amore, de pietate erga Defunctum noſtrum publice demonſtranda. Quem vero in tam frequenti hominum concurſu, quem unum cernitis, qui tantum ad hoc, quantum ego, qui tot nominibus ſit abſtrictus?

Quo

Quo magis veniam me à vobis impetrare par est, ſicubi hodie neque pro argumenti gravitate, neque pro hujus conſeſſus dignitate viſus fuero dixiſſe. Poſcite ab iis verborum ſplendorem, qui nulla neceſſitate compulſi ad dicendum ſurgunt: me vero, cui in BUXTORFII funere tacere nefas eſt, ſatis diſertum fuiſſe putate, ſi modo tam inevitabili officio qualitercunque fuero defunctus.

Verum eheu! quomodo ego, quomodo BUXTORFII mei ſine acerbiſſimo dolore recordari potero? quomodo vobis illum, qualis quantusque fuit, ante oculos ponam, quin idem, qualis quantusque fuit, meo ſimul animo objiciatur; quin mihi obverſentur omnes illæ dotes & virtutes, quas in eo quotidie & vidi & colui, tam variæ, tam raræ, tam amabiles: quin mentem ſubeat, hoc delicium Academiæ noſtræ me quoque amaſſe, amaſſe à puero, huncque in me animum ad extremum, quem duxit, ſpiritum conſervaſſe. Quid tandem vobis de chariſſimo hoc capite referre potero, quod non faciat ad exaſperandum vulnus, hujus obitu mihi inflictum; atque ad exaggerandam jacturæ, quam feci gravitatem?

Sed ſi nec ingenii tenuitas, nec præcordia comprimens dolor, nunc patiuntur, ut oratorem & *Buxtorfianæ* virtutis encomiaſten agam: neutrum fortaſſe penitus obſtabit, quo minus ſimplici & incomto dictionis genere narrem ſaltem vobis, quis qualisque fuerit, quem amiſimus, *Buxtorfius*. Et hoc eſt, Auditores, quod unum à me expectare debetis: hoc terminabitur omnis pietas mea: atque adeo multum mihi præſtitiſſe videbor, ſi modo præcipua, quæ de ejus vita & morte comperta mihi ſunt, utcunque balbutire potero.

In hoc tamen elaborabo, ut quo minus luculenta mea erit narratio, eo magis candida ſit & ſincera, rudisque adeo, quam vobis exhibebo *Buxtorfii* imago *Buxtorfium* fideliter referat. Sic forſitan accidet, ut quemadmodum parentum effigies, rudi licet penicillo expreſſæ, hoc uno ſæpe nomine in precio nobis ſunt, quod dilectos patris matrisque vultus in iis agnoſcimus: ita & vos, viſa Chariſſimi Viri icone, craſſo quamlibet ſtilo delineata, qualicunque ſimilitudine capti, artem in ea non magnopere requiratis.

Qua quidem ſpe fretus aggredior ſine ulterioribus ambagibus ſuſceptam narrationem, eamque, ut mos & ordo poſtulat, inde usque ab illuſtribus JOH. JACOBI BUXTORFII natalibus repeto, quibus ille, ſi quispiam hominum, merito gloriari potuit. Fuit enim ille ſeptima proles *Johannis Buxtorfii filii*, quam is ſuſcepit ex quarta conjuge *Eliſabetha Luzelmannia* filia Ampliſſ. Viri *Leonhardi Lüzelmani* Reip. noſtræ Tribuni Plebis, qui primarius in ea & par Conſulari magiſtratus eſt.

Qui Viri fuerint *Johannes Buxtorfius* noſtri *Parens*, *Avusque* cognominis, nonniſi apud Barbaros commemorare neceſſe eſt: inter gentes humanitatis non penitus expertes hos nominaſſe ſufficit. Mihi ſi de tantis viris judicium ferre licet, hoc in iis præcipua laude dignum videtur, quod incomparabili, & ante ipſos

ipsos inaudita, Hebraicarum iisque affinium literarum notitia non ad inanem pompam usi sunt, nec tam in eo laborarunt, ut insolita scientia orbi admirationi essent, quam ut hæc ipsa scientia desineret tandem in orbe esse insolita, atque, ut est utilissima, ita inter Christianos redderetur & frequentissima. Qua quidem ratione id consecuti sunt, ut non ea modo, quæ ipsi primum in apricum protulerunt, quæ sane plurima sunt & maxima, sed & ea quæ à posteris, horum scriptis adjutis, detecta sunt, *Buxtorfiis* accepta referantur: Siquidem horum opera factum sit, ut in Hebraicis literis jam medocri diligentia plus proficі queat, quam immenso ante ipsos labore fieri poterat.

Avia Nostri, conjux *Johannis Buxtorfii* patris, fuit *Margareta Leonis Curionis* & *Flaminiæ Muraltæ* filia, neptis *Cælii Secundi Curionis* sui temporis Clarissimi viri, & *Margaretæ Isaciæ Mediolanensis*, heroici, ut à patribus accepimus, spiritus matrona. Faustum Patriæ, si quod unquam, fuit hoc Westphali hominis, nam inde *Buxtorfium* venisse notum est, cum Italicæ stirpis fœmina conjugium. Ex eo enim prodiit celebris ille *Johannes alter* Pater, & nostri *Joh. Jacobi* & Fratris natu majoris, etiamnunc superstitis, Viri Prudentiss. *Joh. Buxtorfii*, senatoria dignitate unaque præfectura feliciter defuncti, nunc alteram pari cum humanitatis laude obeuntis; qui præter alios utriusque sexus liberos filium sibi, patri avoque cognominem, Virum itidem Clarissimum *Johannem Buxtorfium*, magno bonorum plausu, in desideratissimi fratris locum suffectum, non sine summo aspicit solatio.

Sed & filiæ, *Johanni Buxtorfio* primo, hujusque apud nos stirpis capiti, ex *Curionia* propugnatæ, plurimorum hunc præstantium doctrina & virtute virorum avum proavumque reddiderunt. Inter nepotes enim hujus fuerunt *Johannes Grynæus* V. D. Minister & Capituli Lucisvallensis Decanus: *Johannes König* Reip. nostræ Senator & Triumvir; &, cujus recentia sunt in Academiam & rem literariam merita, Eximius Theologus *Johannes Zvvingerus*: quorum hic *Magdalenam*, iste *Luciam*, ille *Mariam Buxtorfias* matres habuerunt.

Quin & ii, quos hodie inter præcipua patriæ ornamenta numeramus, *Zvvingeri*, *Gernleri*, *Grynæi*, qui in Ecclesia Academiave, aut summos aut non ignobiles locos magno suo merito tenent, sunt ad unum omnes ejusdem illius *Johannis Buxtorfii* pronepotes: quibus ego viris, quod & me adjungere possim, impar in cæteris omnibus, at in hoc solo par, quod tantum Virum communem cum iis Proavum agnosco, in præcipua honoris & felicitatis parte ponere soleo.

Et ne quis vereatur, tam generosam stirpem brevi exarituram, jam & inter Abnepotes incomparabilis hujus viri conspicimus, qui aut publico in Ecclesia ministerio non sine laude defunguntur: aut ingentia ætatemque superantia ingenii, judicii, eruditionis, ejus imprimis, quæ *Buxtorfiorum* propria fuit, edunt specimina *: aut ingenii & indolis felicitate magnam apud omnes spem

* Nemo, cui Buxtorfiana Genealogia quoquo modo cognita est, non facile sentiet, Auctorem hic alludere ad insignem Virum, *Joh. Ludovicum Frey*, S. Th. D. Historiar. Ord,

de se concitant: plane ut haud vane augurari liceat, nunquam patriæ eximios hujus stemmatis surculos defuturos: & quemadmodum olim *Abraham* ex *Chaldæa* vocatus est, ut in terra peregrina pater fieret numerosi populi, cui Deus præ cæteris *eloquia sua credere* constituit; ita *Johannem Buxtorfium* non sine numine ex Westphaliæ finibus Basileam esse translatum, ut pater ibi fieret quam plurimorum doctrina & virrute insignium virorum, quibus Deus ad regni sui propagationem efficacissime esset usurus.

Enim vero si impense lætatus est Avus ille nostri, cum aliquando tres simul filios, uno partu à conjuge editos, Christo suo per Baptismum dedicaret: quanto magis fuisset gavisus, si animo prospicere potuisset, qualium hominum pater, avus, proavus, abavus, &, ut speramus, atavus etiam tritavusque esset futurus: si vidisset, Ecclesiæ nostræ Antistites inde à suo decessu ad hoc usque tempus nusquam, nisi in familia sua, repertos: † si vidisset in hac sublimi statione Generum primo suum, post duos Neptium Maritos, hisque Pronepotem non interrupto ordine succedentes: hocque munus longe omnium gravissimum tanto cum omnium plausu obeuntes, ut quoties horum aliquis moreretur, jactura irreparabilis, quoties alter in alterius locum substitueretur, hac unica via resarciri potuisse, unanimi consensu crederetur: si vidisset, *non in Hebraica modo* Professione, sed etiam in Theologica filium nepotes, *hos vero pronepotes*, continua etiam in hunc usque diem, serie excipientes: ut alia stirpis decora taceam, quæ nos patresque conspexerunt, & posteri, ut non temere spondemus, cernent & mirabuntur.

Quamnam putatis, Auditores, tam conspicuæ Dei benedictionis causam esse? Cæcus est, qui hic non animadvertit veritatem ejus, quod est divinitus à Psalte dictum: *Beatus vir, qui timet Dominum & mandatis ejus delectatur valde: potens in terra erit semen ejus, generatio justorum benedicetur.* Si quis enim unquam ex eorum fuit numero, quos S. literæ *rectos, justos*, & *Dei timentes* vocat: Si quis unquam *mandatis Dei valde fuit delectatus*: fuit is caput *Buxtorfiæ* gentis, vivum non eruditionis modo & indefessæ sedulitatis, sed integritatis etiam & non fucatæ pietatis exemplar.

* Talem, ut in viam redeamus, talem, inquam, Avum, Patremque Avo parem, habuit *Joh. Jacobus Buxtorfius*: qui hanc lucem primum adspexit Anno superioris seculi XLV. pridie Nonas Septembris; non sine ingenti Patris gaudio, cui tanto optatior mascula hæc fuit soboles, quod ei obtigit ætate jam provecto, omnibusque fere liberis, cum ex prioribus tum ex hoc ipso conjugio susceptis, orbato. In eo simulatque Pater ingenium vividum erectamque indolem

* Ord. & Theologiæ Professf. Extraordin., cui, sive multiplicem & solidissimam in omni disciplinarum & linguarum genere eruditionem spectes, sive incomparabilem prorsus ingenii & judicii perspicaciam, patria nostra paucissimos pares habuit.

† Antistites hi Ecclesiæ Basiliensis fuerunt: *Theodorus Zuvingerus*, *Lucas Gernlerus*, *Petrus Werenfelsius, Joh. Rodolfus Zuvingerus*; quorum primus matrimonio habuit *Magdalenam Buxtorfiam*, Johannis filiam: secundus *Mariam Magdalenam Zuvingeriam*: tertius *Margaretham Grynæam*, utramque neptim hujus Buxtorfii. Quartus ejus fuit pronepos.

indolem animadvertit, quæ in paucis hominum tam mature ſeſe prodiderunt; omnem ſolicitudinem ad hæc probe excolenda convertit. Nemini enim notius fuerat, quantum ſit in liberorum educatione poſitum, quamque ſancte ſe ad eam Parentes obſtringant, cum in S. Baptismo liberos DEO & Servatori ſuo conſecrant.

Hujus vero tam neceſſariæ curæ, partem idoneis magiſtris delegavit, partem & quidem præcipuam ipſe ſuſcepit, ut non modo memoriæ pueruli Chriſtianæ religionis elementa infigerentur, ſed inprimis vera pietas, in qua omnis hujus religionis vis poſita eſt, tenello ejus pectori inſtillaretur. Efficaciſſimum ad præclara quævis Noſtro calcar fuerunt, & parta à majoribus gloria, & viva exempla, ei quotidie ante oculos poſita, cum *Patris* tum *Avinculorum*: liceat mihi ita appellare Venerabiles Viros, qui duabus Doctoris Buxtorfii ſororibus matrimonio juncti fuerant, *Theodorum Zvvingerum*, magnum illum Eccleſiæ noſtræ Antiſtitem, & *Samuelem Grynæum*, Paſtorem Eccleſiæ Leonhardinæ, Avum meum maternum: quorum laudes & inſignia in Eccleſiam remque literariam merita, cum celebrari quotidie audiret, non poterat, quin hoc generoſos identidem impetus in optima indole excitaret.

Non poſtrema paternarum curarum fuit, ut filiolus primo quoque tempore Linguæ S. elementis imbueretur. Non enim ignorabat, ea tenaciſſime memoriæ inhærere, quæ in hac ætate ei imprimuntur: eſſe præterea in linguarum rudimentis neſcio quæ parum jucunda, ad quæ adultiores, inprimis poſt amœniora ſtudia ſemel deguſtata, ægre ſe demittant: niſi qui forte reperiuntur, qui aut tam excellenti ſunt memoria, ut hac moleſtia brevi tempore defungi poſſint, aut inſolito quodam ſtimulo ad eam devorandam impellantur.

Neque hic judicium providum Patrem fefellit: jactis enim in prima pueritia fundamentis Noſter maximam partem debuit, quod illi poſtea, per reliquum vitæ tempus Hebraïca lingua haud multo minus ac vernacula familiaris extiterit. Et fuerunt ſane poſita in hac ætate fundamenta talia, ut puer ſeptennis & octennis omnibus admirationi eſſet: prorſus, ut jam vix quiſquam peregrinorum, quos fama Parentis Baſileam traxerat, hunc ſalutaret, quin filiolum quoque noſſe cuperet; adultique homines, ii præſertim, qui hoſpitio & convictu Patris utebantur, cum eo jam non ut cum puero, ſed ut cum æquali verſarentur: cui rei fidem inter alia facit *album*, ut appellant, *amicorum*, quod inter libros ſuos Noſter aſſervavit.

Ex hoc quotidiano cum variarum gentium hominibus commercio *Buxtorfium* noſtrum, jam in ipſa pueritia, imbibiſſe credo illam morum facilitatem & ſuavitatem, illam ſolertiam, ſe ad quælibet quorumlibet ingenia accommodandi; quibus poſtea dotibus omnibus ſe amabilem reddidit: nec non & illam prudentiam, quæ jam in adoleſcente tam conſpicua fuit, ut aliquando Vir

summus *Lucas Gernlerus* de eo loquens ad Amicum etiam nunc superstitem, *admirari se dixerit in hoc juvene senilem prudentiam.*

Ex umbra Gymnasii Anno Sup. Sec. LIX. in lucem Academicam dimissum, Pater non sibi relinquendum censuit; sed quo major in Academiis juventuti libertas indulgetur, hoc majori cura providendum, ne illa in licentiam converteretur: adversus hoc malum nullum esse præsentius remedium, quam cum honesto labore adolescentia occupatur: qui ut filio non deesset, non modo operam dedit, ut, se duce, in Hebraicarum Literarum studio indies ad graviora & altiora progrederetur, sed ut Philosophicarum quoque artium & humaniorum literarum notitiam non vulgarem cum his conjungeret.

Quem in finem eum Clariss. Viros, qui tum bonas artes publice profitebantur, attente audire, impositaque ab iis munia diligenter obire voluit: privatim vero filium accuratissime in omnigena literatura instituendum tradidit, Celeberrimo Polyhistori nostro *Joh. Jacobo Hofmanno*, qui, etsi tum publico munere nondum fungeretur, satis tamen Doctori *Buxtorfio* cognitus erat, ut quod charissimum habebat, ejus potissimum fidei committere non dubitaret.

Hujus fideli institutioni Noster ita respondit, ut hoc à Præceptore testimonium reportarit, *fuisse illum*, utor ipsius V. C. verbis, *inter primos imo primum fortasse, qui alios ad imitationem invitaret, sicque iis ad vitam paulo negotiosiorem transeundi præberet occasionem.* Cui & hoc Vir Clariss. addere non gravabitur, *Buxtorfium* nunquam postea operæ sibi præstitæ immemorem fuisse, ac mansisse ad obitum usque discipulum gratissimum, Veterique suo præceptori addictissimum.

Postquam, oratoriis & disputatoriis speciminibus publice cum applausu editis, solitos in Philosophia honores adeptus esset, & quidem *Magisterii*, ut vocant, *gradum* condiscipulis trimestri citius: Anno sup. Seculi LXI. S. Theologiæ studium excolere cæpit, tanto cœteris felicius, quanto majorem non modo variarum literarum & artium, sed vel inprimis Hebraicæ literaturæ notitiam ad illud attulerat. Quanquam enim *omnes artes*, ut Tullius ait, *communi quodam vinculo inter se contineantur*, negari tamen nequit, Philologiam Hebraicam longe maximum in Theologia usum habere, non modo ad Veteris, Hebraice scripti, sed Novi etiam Testamenti libros, Hebraismis ubique scatentes, atque ad priscos Hebræorum ritus frequentissime alludentes, probe intelligendos.

Atque hic præter Parentem publice magno cum plausu docentes audivit Celeberrimos Viros *Joh. Rodolfum Wetstenium* Patrem N. T. Prof. & propinquum præcipuumque studiorum moderatorem, *τὸν πάνυ Lucam Gernlerum* Antistitem, locos communes & controversias explicantem; cui, Patris jussu, adjunxit privatum & quotidianum commercium cum Beato Parente meo, *Buxtorfiis* duplici affinitate, & veteri atque à Patre tradita familiaritate conjunctissimo.

Non possum, quin hic commemorem judicium, quod de Collegiis privatis, ubique tunc in Academiis invalescentibus, tulit Doctor *Buxtorfius*; cum priva-

privatæ institutioni Parentis mei filium committeret: id enim à Patre sæpe me audivisse memini: esse quidem ea ipsa per se valde utilia: se tamen magnopere vereri, ne ista docendi ratio paulatim Studiosos à lectione bonorum auctorum abstrahat: tum vero eos segnes reddat, ut jam nihil sibi in libris quærendum putent, nihilque omnino discendum, nisi quod oscitantibus in talibus collegiis inculcetur, &, velut lacticinia infantibus solent, in os ingeratur. Existimabat nimirum Vir Sagacissimus, principia quædam artium & scientiarum in ejusmodi collegiis commodissime hauriri, solidam vero eruditionem potissimum petendam esse ex libris, ut ætatem ferant, elucubratis; ut in quibus docti Viri omnia accuratius & enucleatius tradant, quam cum nescio quid festinatum tyronibus aut in Auditorio prælegunt, aut in Museo effundunt.

In hoc vero studio Theologico cum Noster, pro summa, qua pollebat, ingenii felicitate, insignes brevi tempore fecisset profectus; senilibus Parentis infirmitatibus, indies crescentibus, id subito abrumpere est coactus. Ut enim Pater optimus animadvertebat, deserendum sibi brevi fragile hoc domicilium: inter præcipuas ejus fuit solicitudines, ut & filio, avitorum paternorumque studiorum hæredi, de honesta in Academia statione, & ipsi simul Academiæ de digno successore prospiceret. Cum igitur ab Ampliss. Senatu Academico petiisset, ut Filius sibi, in Hebraicæ Linguæ Professione Vicarius, simulque in ea post obitum suum indubius Successor decerneretur: utrumque & posterius quidem, annuentibus Gravissimis ejus temporis Scholarchis, haud ægre obtinuit: non ob eximia tantum cum sua tum parentis merita, sed vel ideo quoque, quod jam ea in Nostro Orientalium Literarum peritia conspiciebatur, ut, si Majoribus nihil datum fuisset, nemo tamen in nostris oris fuisset repertus, illi, quamlibet adolescenti, hac in literatura comparandus, nedum anteponendus.

Postquam cum insigni isto solatio Magnus ille Doctor Buxtorfius paulo post è vita excessisset; Filius, è profundissimo luctu, qui non cum Academia modo nostra, sed cum universo literato orbe ipsi communis erat, aliquo modo emersus, ad relicti à Patre muneris administrationem omnes cogitationes convertit: S. Linguam non modo publice privatimque docendo: sed, quod ætati suæ convenientissimum arbitrabatur, plura indies discendo, tum ex Hebræorum libris, quorum eximiam supellectilem à Majoribus collectam acceperat: tum ex colloquiis cum viris harum literarum peritis: quem in finem Tigurum quoque eo tempore excurrit, ut Magni illius Helvetiæ Mithridatis *Joh. Henrici Hottingeri* consilio, in communibus studiis tractandis, uteretur.

Frequentissime fere tunc usus est opera cujusdam in vicinia degentis Judæi, qui *Rabbi Abraham* à suis vocabatur. Hic, qua potissimum ratione Nostro conciliatus fuerit, non injucundum auditu erit. Fuerat is jam à multis annis Parenti ejus, *Doctori Buxtorfio*, familiaris, solitus vulgo recutitorum integerrimus ab eo appellari. Forte evenit paucis ante *Buxtorfii* obitum annis, ut hic

Judæus nescio quid genti suæ sacrosanctum amitteret. Hic recutitus ille gemere, angi, sese ipsum excruciare: *Buxtorfius*, ad quem interea res perdita delata erat, misertus tandem hominis, quærit, ecquod indici præmium sit expectandum: cumque Judæus nihil non, quod quidem in sua sit potestate, pollicitus esset: Nihil, inquit, à te postulo, nisi ut contractam inter nos familiaritatem ad filium, si quid mihi humanitus accidat, derives, huncque, sicubi in scriptis tuæ gentis interpretandis operam tuam desiderabit, candide adjuves: simulque Rabbino id, quod tam anxie quærebat, restituit. Memor postea Judæus, quoad vixit, datæ fidei permansit: hujusque ego magistri, in ædes nostras, in quas post Patris mortem Filius transiit, assidue ventitantis, probe recordor.

At vero, cum Huic cognitum esset, quantum peregrinationes literariæ conferant, cum ad eruditionem prudentiamque augendam, tum ad morum culturam, sine qua plerumque agrestis & pædagogica eruditio molesta potius aliis, quam accepta & grata est; tale iter, vere Anni Sup. Sec. LXV. ingruente, venia á Senatu Acad. impetrata, & B. Patre meo, in muneris administratione, vicario tantisper relicto, bonis avibus est aggressus: una cum comite fidissimo, Viro pl. Reverendo & de Ecclesia Deoque consecrata juventute meritissimo, *Friderico Seilero*, Sacri tunc Ministerii Candidato, nunc Ecclesiæ Petrinæ Pastore vigilantissimo. Cum hoc Achate, *Solothuro*, *Berna*, & *Lausanna* in transitu salutatis, *Geneva* aliquandiu apud Reverend. *De Furno* commoratus: tum vero viso in Allobrogibus *Camberiano*, celebrique propugnaculo *Montmeliano*: & post *maximo* illo vetustissimo *Cartusiani ordinis cœnobio*, *Gratianopolim*, hincque *Lugdunum* venit. Inde per *Aureliam*, *Lutetiam Parisiorum* petiit, ibique tantum temporis substitit, quantum necesse erat ad præcipua, quæ in hoc Orbis compendio notatu digna sunt, perlustranda. Hinc *Picardia*, *Hannonia*, iisque *Belgii* civitatibus, quæ Hispanicæ tum ditioni suberant, peragratis, in Fœderata tandem Belgica appulit, duasque inprimis ejus civitates, in quibus justum tempus consisteret, *Trajectum ad Rhenum* & *Lugdunum Batavorum* delegit.

Totum hoc iter in brevissimum compendium redigo. Quæ enim in eo memoratu digna acciderint, malim ex Venerando Nostri comite, quam ex me discatis. Hic, data, occasione, curiosis non gravabitur exponere, quam utile, quamque honorificum sibi fuerit, cum *Buxtorfio* iter fecisse: quantam hoc nomen commendationem ubique gentium habuerit: quantum valuerit ad omnia palatia, collegia, cœnobia; ad omnia gazophylacia, & cimeliarchia; ad omnes Bibliothecas, ad omnia doctorum virorum musea & scrinia, imo ad ipsa horum pectora peregrinatoribus nostris recludenda. Quam avide noster expectatus, quam amanter & honorifice exceptus sit, Bernæ præcipue ab *Hummelio*, Lausannæ à *Müllero & Schœnauero*: Genevæ à *Mestrezatio*, *Turretino* & *Tronchino*, Lutetiæ à *Dallæis*, *Moro* & *Justello*, ipsisque adeo Sorbonicis Doctoribus, & inter eos inprimis à *Capellano*: Trajecti à *Voëtio*, *Essenio*, *Netheno* & magno

magno Buxtorfiorum admiratore *Leusdenio*: Leidæ à *Coccejo*, *Heidano*, *Hornbekio*, *Golio*, *Uchtmanno*, atque hinc inde ab aliis plurimis. Exponet petenti Vir Reverendus, quoties ex ore tot celebrium virorum audiverit Buxtorfiorum elogia, quoties doctissimos viros audiverit confitentes, Buxtorfiis nostris omnem se, quacunque polleant, Hebraicarunt literarum scientiam debere: quanti denique omnes fecerint hunc tam illustris stirpis surculum: quomodo in eo admirati sint eruditionem & prudentiam: quomodo in eo Majorum dotes, quomodo genuinum Buxtorfiorum sanguinem agnoverint. Hæc omnia Vir Reverendus & disertius, &, quoniam omnium particeps fuit, accuratius, atque ego, quærenti narrare poterit.

Postquam Buxtorfius noster hyemem Lugduni Batavorum transegisset, ibique Studiosis Hebraicarum literarum id petentibus, magnaque ad eum frequentia accurrentibus, privatum interea collegium indulsisset: vere sequente in *Angliam* trajecit, *Londinumque* venit paulo ante lamentabile illud incendium, quod magnam spaciosissimæ Urbis partem, atque inter alia LXXXVII. templa parochialia absumpsit. Hoc miserabile spectaculum cum oculis usurpasset, idque non sine periculo; quando plebi concitatæ & incendii auctores quærenti peregrini omnes suspecti erant: ut studiis, Arabicæ imprimis linguæ, liberius & tranquillius vacaret, in propinquum urbi pagum secessit, ibique apud quendam M. *Boncle*, virum orientalium linguarum peritissimum, aliquandiu latuit: ita tamen, ut subinde in Urbem migraret, ad doctos in ea Viros invisendos, inter quos fuerunt *Du Portus*, *Oldenburgerus*, *Durellus*, & præter Londinensem Episcopum, *Morlæus* Episcopus Vintoniensis, & *Wardus* Episcopus Exoniensis.

Inde Oxonium delatus, omnia hujus Academiæ collegia, omnesque Bibliothecas curioso oculo sibi perlustrandas putavit: atque inprimis in *Bibliothecam Bodlejanam*, præstito consueto jurejurando, admissus quotidie ab eo tempore in ea conspectus est. Frequens quoque fuit apud ejus urbis Episcopum: familiarissimus vero Celeberrimis Viris, *Pokokio*, *Hydeo*, *Smithio*, *Bernhardo*, *Allestrio*, *Leighio*, *Clerico*, *Barlovio*, *Murklando*, *Tullio* aliisque plurimis.

Hinc *Cantabrigiam* proficiscens non potuit, quin in transitu salutaret, Principem in Rabbicinis & Thalmudicis literis virum *Johannem Ligtfootum*, Mundoniæ tunc degentem. Hic vero verbis exprimi nequit, quantum Vir ille Buxtorfiadis præsentia fuerit lætatus. Postquam illum suavissimis de communibus studiis sermonibus per integrum biduum apud se retinuisset, & nulla non benevolentiæ testificatione esset complexus: Bibliothecam, manuscripta sua monstrasset, omniaque studiorum arcana retexisset, vix tandem adduci poterat, ut hanc Buxtorfiorum prolem à se dimitteret. Ut vero hinc *Cantabrigiam* venit, receptus, qui insolitus honor est, in *Collegium Emanuelis*, duobus ipsi, ut hospiti, conclavibus assignatis, quorum alterum non nisi Illustri loco natis concedi ante consueverat: non modo à sociis omnibus hujus collegii amatus & cultus fuit, sed

ſed præter hos aliorum quoque Eximiorum virorum *Pearſonii*, *Mori*, *Cudworthi* familiaritate non ſine ſumma voluptate & fructu eſt gaviſus.

Sed cum relinquenda aliquando Noſtro eſſet fortunata hæc Inſula; ex Anglia cum variis eruditionis ſpoliis, ſimulque expeditiſſimo hujus linguæ uſu, quo paucos ciſmarinorum pares habuit, *Hamburgum* trajecit: ubi per aliquot tempus detentus eſt, cum à variis amicis, tum inprimis inſigni humanitate Celeb. *Ezhardi*, raro non minus Dei zelo quam eruditione Viri: ut qui omne ſtudium, admirabilemque, quam in literis Hebraicis peritiam acquiſiverat, unice ad miſeram Judæorum gentem Chriſto acquirendam impendit. Hic vero cum crebris literis Noſter intellexiſſet, patriam ægre laturam diutius ſui deſiderium; feſtinato per Germaniam itinere ſoſpes tandem & incolumis Anno Sup. LXIX. Baſileam rediit.

Reduci & commiſſæ profeſſionis munia ex longo intervallo feliciter repetenti, cum propinqui & amici iterum iterumque ſuaderent, ut de matrimonio ineundo cogitaret: anno proximo in perpetuum vitæ conſortium aſcivit Lectiſſimam Virginem, *Cleophen Brandmülleriam*, Celeberrimi noſtri Juriſconſulti, *Jacobi Brandmülleri*, raræque virtutis matronæ, *Salomea König*, filiam unicam. Invenit in hac conjuge fidiſſimam vitæ ſociam, in quam non modo omnem familiæ curam rejicere poterat: ſed cujus auxilium & conſilium in gravioribus etiam negotiis magni ſemper faciebat: quæ læta pariter & triſtia cum marito patiebatur: in crebris denique infirmitatibus ejus & morbis diu noctuque, mirabili patientia & conſtantia, illi ad extremum, quem duxit ſpiritum, ope ſimul & ſolatio, adfuit. Ex hoc tam ſuavi conjugio ſex liberos ſuſcepit, quorum quatuor ad meliorem vitam præmiſit, interque eos filiolum ſummæ ſpei, filiamque integerrimo Viro, *Emanueli Stehelino*, *Martini* Trib. Pleb. filio collocatam: è qua duas vidit neptes, quarum quæ ſuperſtes eſt, avo, quoad vixit, magnæ voluptati fuit. Vivunt etiamnunc duo *Buxtorfii* utriuſque ſexus liberi, quibus nihil melius precari poſſumus, quam ut Deus vota fervidiſſima Patris morientis rata in iis eſſe velit.

Sub idem fere tempus commiſſa quoque Noſtro fuit cura Bibliothecæ Academicæ, auctæ paulo ante *Bibliotheca Amerbachiana*, inſignique cimiliarchio, & in ampliorem locum translatæ. Nemo enim aptior ad hoc munus inveniri poterat, quam Noſter Buxtorfius, qui & magnam virorum doctorum, librorum præſtantiſſimorum ab iis editorum, manuſcriptorum in Bibliothecis latentium, aliorumque quæ rara & chara ab eruditis habentur, notitiam domum attulerat: ſimulque incomparabilem quandam dexteritatem, omnium peregrinorum animis ſeſe inſinuandi, quemlibet pro dignitatis & honoris gradu excipiendi, aptiſque & cuique jucundiſſimis ſermonibus demulcendi. Quo ſæpe factum eſt, ut peregrini, è noſtra Bibliotheca recedentes, non tam Bibliothecæ, quam Bibliothecarii recordarentur, ejuſque laudes per orbem diffunderent.

Poſſem

Possem hic longum catalogum texere non Eruditorum modo, sed Principum etiam aliorumque Illustrium Virorum, quibus hoc praecipue in loco *Buxtorfii* nostri dotes & virtutes innotuerunt. Sed unus nunc mihi sit instar omnium, Illustrissimus Dominus, ROGERUS BRULATUS, Marchio de Puyzieulx & Silleri, &c. &c. MAGNI GALLIARUM REGIS ad Nostram Gentem Legatus Excellentissimus. Qua Is benevolentia *Buxtorfium* ad hujus obitum usque sit dignatus, quam luculentis eam testimoniis ostenderit, quam graviter jacturam ejus tulerit; notum est non civitati modo nostrae, sed toti pene Helvetiae. Qua quidem in re monstravit Illustrissimus Dominus subactum in dignoscendis ingeniis judicium, amoremque singularem erga literas literatosque homines: id, quod nemo mirabitur, cui ex historiarum monumentis cognitum est, inter innumera BRULARTIÆ Gentis decora & hoc semper fuisse, omne artium & literarum genus & nosse, & in aliis fovere & protegere.

Postquam *Buxtorfius* Noster, mortuo Socero, in Senatum Academicum fuisset allectus, statim probavit huic ordini singularem in quibuslibet negotiis tractandis solertiam & dexteritatem: unde ab eo tempore tanti habita sunt ejus consilia, ut nihil in eo consessu aut sapienter cogitatum, aut utiliter decretum sit, cujus ipse non magna pars fuerit: &, quoties incideret negotium paulo intricatius, *Buxtorfius* inter primos esset, qui ad id expediendum adhibendus censeretur. Commissa etiam *Gymnasii* nostri *Mariani* visitatione magna fide & diligentia defunctus est: cujus operae fructum uberiorem civitas nostra sentiret, si tam facile foret morbis inveteratis mederi, quam eos cernere & deplorare.

Plerunque accidit, ut quorum dotes in inferiori loco magni aestimantur, hi, ad altiora evecti, se ipsis minores reperiantur. At nostri ingenium nunquam magis eminuit, quam, cum ad summos in Academia dignitatis gradus ascendit. Rectoratum Academicum bis, Decanatum in sua Facultate septies ita gessit, ut nemo esset, qui non miraretur ejus sapientiam cum pari eloquentia conjunctam; atque inprimis singulare, quod in eo conspiciebatur, gravitatis & comitatis, severitatis & moderationis temperamentum: omnesque faterentur, eum, si fors ita tulisset, ad majora & longe ampliora gubernanda idoneum fuisse. Nostrum sane, quamdiu ego Philosophici Collegii pars fui, oraculum semper erat Buxtorfius: ac saepe mecum optabant alii, ut is perpetuo inter nos Decanatu fungeretur.

Commissam S. Linguae Professionem ita administravit: ut publice alternis lectionibus modo librum V. T. notis Philologicis & Criticis illustrandum susciperet, qua ratione *Prophetam Hoseam* & *Proverbia Salomonis* magnam partem absolvit; modo à tyronibus interpretationem ac resolutionem *Psalterii Davidis* exigeret. Privatam vero operam nemini Linguae Hebraeae, Chaldaeae, aut Syrae discendae cupido unquam negavit; nullo habito conditionis, ingenii aut profectuum discrimine, nullaque laboris mercede à quoquam requisita. In docendo vero tale observabat temperamentum, ut ingenia feliciora non remo-

raretur, tardiora non repelleret, sed ea, applaudendo qualibuscunque profectibus, identidem excitaret. Suave inprimis omnibus reddebat hujus linguæ studium, tum perpetua humanitate, tum methodi facilitate. Non in punctis & minutiis discipulos diu detinebat; non exigebat, ut vocabula aut Grammaticæ regulas molesto labore memoriæ infigerent: sed flexionis vocum & *radicis*, ut loquuntur, *investigandæ* utcunque peritos, S. Bibliis in manus traditis, legere statim & exponere jubebat: præcepta vero Grammatica, scitu necessaria, ut cujusque exempla se inter legendum offerebant, indicabat; atque in *Epitome* aut in *Grammatico Thesauro* inquiri & notari jubebat: similemque methodum observabat, si cui ad Chaldaismum aut ad Rabbinica & Thalmudica scripta progredi volupe erat.

Talem lectionem, iterum iterumque repetitam, viam maxime compendiariam credebat, & significationibus vocum retinendis, & paulatim Grammaticæ, veroque linguæ genio discendo. Operosas quorundam methodos imbri comparabat, magno impetu in terræ superficiem cadenti, eamque inundanti quidem; sed, aquis cito diffluentibus, nec humectanti nec fœcundanti: hanc vero methodum, sensim ex iterata lectione proficiendi, assimilabat pluviæ, rorantibus guttis placide in terram labenti, ad ejus viscera penetranti, eamque irriganti & frugiferam reddenti. Hujus modi bonitatem ipsa experientia comprobavit: multique egregii viri, cum nostrates tum exteri, in Hebraicis aliisque affinibus literis versatissimi, non erubescunt fateri, se progressus suos *Buxtorfio* nostro, eiusque fideli, jucundæ & dextræ, institutioni acceptos referre.

Sed quantacunque fuerit hæc Nostri in docendo solertia; tot præterea in eo dotes & virtutes eminebant, ut hæc inter innumeras alias non tantum fuerit conspicua, quantum si sola fuisset. Prudentiam, quæ jam in adolescente admirabilis fuit, auxit longa peregrinatio, assiduusque & hominum & rerum usus; quin & lectio, quos præ cæteris amabat, librorum, conferentium aliquid ad vitam sapienter & provide instituendam: quos inter frequentissime lectitare solebat *Francisci Baconis de Verulamio sermones fideles*, quem libellum nunquam fere de manibus deponebat. Hac prudentia factum est, ut in omnibus negotiis moderata potius consilia ei placerent, quam calida & præcipitia; nihilque nec ipse susciperet, nec aliis suscipiendum suaderet, nisi, omnibus prius difficultatibus, quarum nulla perspicaciam ejus fugerat, probe expensis: plane ut, quicunque ejus consilio utebantur, sine metu aggredi possent, quod Buxtorfio tutum videretur. Novi equidem, cautos & circumspectos viros subtimidos interdum videri iis, quibus sæpe feliciter cedit temeritas: sed contingit hic fortasse, quod in fabula narratur: Cum videns aliquando & cœcus, iter simul facientes, venissent ad afferem putridum, ponticuli loco profundo gurgiti superimpositum; hic cœcum, pericu'i ignarum, impigre & feliciter transiisse; hæsisse vero videntem, & fragili ligno se committere ausum non fuisse.

Erat

Erat præterea Buxtorfius animo usque mansueto, placido & æquabili: sui semper compos, ut neque ira neque cupiditate, neque alio vehementi affectu, ratio ejus de solio suo dejiceretur, aut mentis serenitas turbaretur. Et quanquam diligens fuerit pater familias, omnique luxui inimicus: fuit tamen & ab omnibus sordibus alienissimus, pecuniæque negligens, quoties aut tempus, aut locus, aut pauperum inopia, aut tuendæ dignitatis necessitas, aut cura valetudinis id postulabat. Accepto vero beneficio debitum se contraxisse putabat; neque prius quiescebat, donec id cum fœnore reddidisset. Erga amicos officiosus erat, & non modo *gaudebat cum gaudentibus*, sed *dolebat* etiam *cum dolentibus*; inprimis, mali non ignarus, ægrotos diligentissime invisebat & consolabatur. Secreti, si quisquam hominum, fuit tenax; nullique magis conveniebat vulgatum sermone proverbium: *muto dixeris.* Quo factum est, ut, cum omnia in ejus sinu tuto deponi posse crederentur, plurima aliorum arcana nosset.

Ante omnia vero eminebant in eo virtutes, quas homileticas Philosophi vocant. Homo erat omnium horarum, locorum & hominum: semper & ubique & cunctis *visu facilis dictuque affabilis*: omnis conditionis, sexus, & ætatis hominibus comem se præbebat. Et tametsi corporis temperamento ad tristitiam prono esset, & hujus sæpe gravissima argumenta haberet; ne tamen aliis gravis esset, semper & vultum & animum ad gratam & amœnam hilaritatem componere poterat. Debitum cuique honorem solicite exhibebat, non ventosa & nihil significante oratione, aut scenicis gestibus, multo minus adulatoriis laudibus: sed iis verbis, eo vultu, iisque actionibus, quæ nihil affectati habebant, & ad veram animi reverentiam testandam erant aptissima. In quotidiano cum aliis commercio non tam suam aut commoditatem aut delectationem quærebat, quam eorum, quibuscum versabatur: voluntatem suam ad aliorum voluntatem flectebat: sermonem ejusque argumenta ad aliorum sensum aut voluptatem attemperabat. Loquendi & audiendi vices ita observabat, ut neque loquacitatis, neque stupidi aut morosi silentii unquam argui posset, & non magis jucundus erat audientibus loquendo, quam loquentibus audiendo, iisque, quæ probari poterant, comiter annuendo.

Festivis narrationibus & jocis sermones condiebat, sed qui delectationis plurimum, nihil offensionis haberent: qua in re ita fuit circumspectus, ut licet plurimi salis esset, tamen nunquam quenquam audiverim, qui, se dicto aliquo contumelioso ab eo læsum, quereretur. Famam dicacis non affectabat, sed cuilibet facile palmam hic concedebat, & aliorum urbanorum salibus lubentius, quam suis, arridebat. Frequentabat inprimis Socraticam εἰρωνείαν: eratque præterea, non secus ac iste quondam Philosophus, ζητητικός: qua arte aut alios delectabat, aut mentem eorum explorabat, aut eos, sicubi opus erat, paulatim in sententiam pertrahebat, aut denique officii commonefaciebat.

Vix vero crediderim, in ullo hominum tantam tamque germanam modeſtiam unquam repertam eſſe: adeo ut nemo neque in factis ejus, neque in verbis, neque in vultu, neque in inceſſu ullum vel leviſſimum κενοδοξίας indicium animadverterit, aut quidquam, quod ad oſtentationem & inanem gloriam captandam tendere videretur. Et ne credas, hanc modeſtiam affectatam fuiſſe: hanc ipſam nec verbis jactavit, nec unquam præ ſe tulit, ſe ipſum vituperando, aut crebro de infirmitatibus ſuis loquendo: ſed hanc non niſi ipſo opere, perpetuaque vivendi ratione, demonſtravit.

Enimvero, ſi qua in re Noſter Buxtorfius modum exceſſit, exceſſit in hac ipſa virtute, quæ à modo nomen habet. Gloriam, quæ cæteros omnes nimis titillat, nimis aſpernabatur, ejusque vanitatem nimis acute cernebat: præterea de ſe nimis tenuiter, nimis abjecte ſentiebat. Cui exceſſui hoc inter alia imputandum eſt, quod editis ingenii ejus atque eruditionis monumentis hodie caremus: paucaque illa, quæ ſcripſit, veluti, *quorundam Rabbinicorum librorum verſiones*, inſigne *Auctarium Bibliothecæ Rabbinicæ*, &, ſi quæ ſunt alia, etiamnunc intra ejus ſcrinia latent.

Ut in aliis, ita ſane in ſcribendo ſibi non peperciſſet, etiam cum certo valetudinis periculo; ſi aut gloriæ fuiſſet cupidus, aut ſi quis modeſtiſſimo hominum perſuadere potuiſſet, aliquid ab ejus ingenio utile poſteris, dignum hoc tam culto ſeculo, dignum denique eo, quod gerebat, nomine proficiſci poſſe. Nos quidem quotidie videbamus, eum non ad hoc modo, ſed ad longe graviora idoneum eſſe; hacque in ſententia toties nos confirmavit, quoties publice è cathedra dixit, aut in Theologicis certaminibus Adverſariorum partes egit: quibus ille muniis nunquam niſi cum univerſali omnium plauſu defunctus eſt. At ille maluit de ſe ſibi & ſuæ modeſtiæ, quam nobis, credere: plane, ut ne quidem affecta quædam Parentis opera ad umbilicum perducere auſus ſit, veritus, ut videbatur, ne idem ſibi accidat, quod filio patri impari in fabulis, qui temere paternum currum attingere & moderari eſt conatus.

Eadem Noſtri modeſtia obſtitit, quo minus ad altiora adſpiraverit. Cum enim nullum non lapidem moverent Propinqui & Amici, ut eum ad Theologicam Profeſſionem evectum cernerent, huicque muneri eum nemo non parem crederet: ipſe ſolus humeros ſuos tanto oneri portando non ſatis firmos exiſtimavit. Quod ſane mirum nobis omnibus videbatur. Quis enim ad S. literas interpretandas aptior inveniri potuiſſet, quam vir hoc ingenio, hoc judicio, his Philologiæ S. præſidiis inſtructus? At videbat fortaſſe Noſter, ad intelligenda plurimorum Theologorum ſcripta *linguam Canaanis* parum prodeſſe, niſi ſimul calleas *linguam Scholaſticorum*: Ad talem Theologiam non modo requiri hominem *in S. Scriptura*, ſed etiam in Ariſtotele *potentem*, aliisque Philoſophis, quorum placita Theologiæ ſunt admixta: denique non ſufficere, ut in Prophetarum & Apoſtolorum libris *ſenſus exercitatos* habeas, niſi ſimul edidiceris *Thomam* & *Scotum*. Abſterrebant fortaſſe animum, ſpeculationibus metaphyſicis nunquam deditum, tot ſpinæ, quibus multos Theo-

Theologorum libros obsitos cernebat: tot temerariæ decisiones rerum difficillimarum & supra captum nostrum positarum. Absterrebant fortasse animum pacificum tot rixæ & controversiæ, de rebus sæpe levissimis, atque adeo de verborum formulis. A rixosa enim Theologia quantopere abhorruerit, cum sæpe alias tum inprimis in ultimo morbo, neque adeo longe ante beatam ἀνάλυσιν, est testatus: ubi cum sermo incideret de altera & meliore vita; ad hanc, inquit, se aspirare toto pectore, in cœlo veram esse felicitatem, *in cœlo*, addebat non sine animi commotione, *non litium & controversiarum*, *sed in eo, ubi non nisi pax, concordia & charitas perpetuo viget & regnat.*

Non est, quod commemorem, cum tot Buxtorfii Nostri virtutibus infucatam quoque in Deum pietatem fuisse conjunctam: nostis enim, non nisi ab hoc fonte manare reliquarum virtutum rivulos. Ut vero semper fuerat ὁ μακαρίτης ab omni ostentatione alienus: ita neque hanc aut verbis aut vultu simulavit: contentus illam Deo scrutatori cordium probasse. Semper visus est ab omni rerum sacrarum profanatione toto animo abhorrens: S. cœtus cupide frequentavit, etiam cum valetudo id non permittere videbatur: ad S Cœnam accessit summa cum reverentia: in precibus attentus fuit ac religiosus: verbum Dei venerabatur, inprimis Psalterium Davidis in deliciis ipsi erat; cujus exemplar Hebraicum plerumque secum circumtulit. In ejus etiam museo nunquam non conspiciebantur libri ad pietatem accendentes, inter quos præ aliis delectabatur libro Anglico, * omnia Christiani hominis officia solide & nervose complectente, quem propter præstantiam, in Gallicum & vernaculum idioma conversum, à suis etiam diligentissime volvi & revolvi, ac tantum non totum edisci voluit.

Sensit & agnovit paternam Dei inde à puero tutelam & providentiam; in educatione & institutione sua; in muneribus & dignitatibus, ad quas omnes sine ambitu, imo sine opera sua, est evectus; in felici matrimonio: in rei familiaris incremento: in itineribus tum literariis, tum valetudinis causa susceptis, in quibus semper benignum Numen tutum ab omnibus periculis eum præstitit, omniaque ab ipso mala clementer avertit.

Hic vero non possum silentio præterire ingens illud, quod sæpe animo obversatur, periculum, è quo Buxtorfius, cum in ædibus nostris viveret, singulari Dei beneficio evasit. Hyeme, summo mane surrecturus, hypocaustum sibi concubia nocte jussit calefieri: in quo cum modus servatus non esset, vis ignis canistrum, variis schedis repletum, fornaci tum forte impositum, incendit: hinc emergens flamma jam summa hypocausti laquearia petierat, tantusque ejus ardor erat, ut inde janua contigui cubiculi, in quo tum altum Noster dormiebat, aperiretur. Ille excitatus vociferari, aquam opemque poscere: nos vocem audientes ad unum omnes conclamare, Pater è lecto se proripere, accurrere, flammæ alimentum fornace dejicere.

* *The Whole Duty of Man.* Gallice, *Pratique des Vertus Chrêtiennes.*

Nec tamen prius periculum à noſtris cervicibus erat depulſum, quam imminens hypocauſto conclave aqua, quæ tum forte fortuna ad uſus domeſticos majori copia aderat, totum ferme inundatum eſſet. Semper creditum à nobis eſt, noſtras fortunas, quodque his longe erat pretioſius; vitam noſtri Buxtorfii ſingulari tunc Dei providentia fuiſſe conſervatas. Quod ſi enim aër, qui æſtu expanſus cubiculum aperuit, alium exitum inveniſſet; flamma totam illam ædium partem corripuiſſet, antequam id à quoquam fuiſſet animadverſum, omnemque Noſtro evadendi viam præcluſiſſet.

Quum vero Deus rebus etiam adverſis ſuos probare ſoleat: neque Noſter triſtitiæ argumentis unquam in vita caruit. Matre admodum puer, Patre eo tempore orbatus eſt, quo maxime ejus ope & conſilio indigebat. Extulit liberos, de quibus ſumma quæque ſperabat, & qui magno ei ſolatio fuerunt: uſque oculis ejus filius obverſabatur, diutino morbo in flebilem ſtatum redactus. In proximis quoque ſemper invenit dolendi materiam. Flevit funera Celeberrimi Soceri, &, qui in Soceri locum & affectum ſucceſſit, *Ampliſſ. Conſulis Krugii*; poſt & Socrus chariſſimæ, cujus ocellus & delicium fuerat: ut taceam magnum numerum propinquorum & amicorum conjunctiſſimorum: quos inter duo inprimis fuerunt noſtræ Eccleſiæ Antiſtites; quibus vivis omnia credidit, defunctos, ut Parentes, deploravit. Ingemiſcebat generoſum pectus ſæpe & publicis malis: &, quæ ſors eſt perſpicacium virorum, multa in hoc genere obſervabat, quæ vulgus hominum, quorum, ut ait ille, *jucundiſſima eſt in non ſapiendo vita*, aut non animadvertit, aut non ad animum revocat.

Habitavit præterea animus ejus inde à puero in domicilio haud parum fragili: aſthma jam in adoleſcente animadverſum brevem ei vitam minitari videbatur. Succeſſerunt huic arthritici dolores, quos aliquando Cantabrigiæ per tres hebdomadas ſenſit acutiſſimos. Nec immunis erat à nephritico morbo. Podagræ vero crebris, longis, & violentis inſultibus quantopere corpus ejus enervatum & debilitatum fuerit, omnes novimus. Acceſſit ad hæc perpetuum & hæreditarium malum, quod eum non à Patre tantum ſed à Matre etiam traxiſſe ſæpe audivi; malum intelligo, quod in ſplene potiſſimum reſidere vulgo creditur: unde orta aliquando fuerat mira & inſolita multorum annorum ἀπεψία. Quod quidem malum ne exacerbaret, ſtudiis ſe totum tradere non audebat, nec ea ſuſcipere, quæ majorem & longiorem animi contentionem poſcebant: fugam ſolitariæ vitæ, & captatas ſubinde animi exhilarandi occaſiones, unicum ei mitigando remedium eſſe noverat.

Jam inde ab aliquot annis moleſtam ſenſerat pectoris contractionem: quæ & reſpirationem reddebat difficiliorem, & ſimul obſtabat, quo minus erecto, ut ante, corpore incederet. Aucta paulatim hæc moleſtia tandem converſa eſt in grave aſthma, cum quodam convulſionum genere, ſtatis plerunque temporibus redeuntium. Huic cum accederet & pedum tumor, non

non difficile Nostro erat conjicere, quid hoc mali sit, & quid futurum praesagiat.

Quare non modo de *domo disponenda*, rebusque familiae ordinandis, sed praecipue de anima ad beatam εὐθανασίαν componenda mature sibi cogitandum putavit. Mortis, quam è propinquo jam sibi cernere videbatur, non affectabat contemtum Thrasonicum: & modo agnoscebat, hanc ipsam per se spectatam nescio quid horridi habere: sed & mortis genus, quod non vane metuebat, cum ingentibus & plerunque diuturnis anxietatibus conjunctum esse, noverat. Ante omnia vero serio sibi proponebat judicium, cuilibet homini post mortem expectandum: fatebatur ingenue, hoc sibi peccatori & magno peccatori videri terribile: nosse se magnitudinem misericordiae Divinae: nosse precium sanguinis & mortis Servatoris nostri: at simul nosse, misericordiam illam Dei, quantacunque sit, non nisi serio resipiscentibus patere: mortem Christi, quanticunque sit precii, non nisi vera & viva fide praeditis prodesse: talem resipiscentiam, talem fidem nisi quis post severam sui explorationem in se deprehendat, & deprehendat ex utriusque fructibus non dubiis: temere sibi peccatorum remissionem, temere propitium post mortem judicem polliceri.

Quare à Pastoribus, & familiaribus etiam, ipsum invisentibus, semel atque iterum petiit, ne sibi in re tanti momenti assententur aut indulgeant; sed libere potius moneant, si quid fuci, si quid hypocryseos in corde suo detegant: malle se ab iis, dum tempus, dum emendationis spes est, salutari terrore sanari, quam intempestiva consolatione securum reddi & in hypocrisi confirmari: nihil morituris esse perniciosius, quam cum oleum consolationis in eorum vulnera infunditur, antequam illa seria resipiscentia sint mundata. Cumque recordaretur, se aliquid in hanc sententiam legisse olim in dissertationibus *Stephani Gausseni*, hunc sibi libellum, ut in aliquot dies commodarem, rogavit: acceptum avidissime legit, ea praecipue quae de *vero erga aegrotos clavium usu* non vulgari Vir judicio disserit, ejusque sententiam cum sua penitus congruere affirmavit.

Sed ita animae curam gerebat, ut corpus tamen non negligeret: sui enim officii esse ducebat, malo pertinaci & molesto, quibuscunque poterat, remediis obsistere. Qua in re praecipue opera & consilio Experientissimi Nostri *Eglingeri* usus est: qui nihil intentatum reliquit, ad Buxtorfium suum, amicorum intimum, exoptatae valetudini restituendum, &, si fieri potuisset, & nobis & sibi in perpetuum conservandum. Fracta quidem saepe fuit vis morbi salutaribus remediis, ut, hyberno tempore excepto, in publicum prodire, variaque munia obire potuerit. Sed plus tandem valuit malum docta Medici arte: viditque Vir ejus peritissimus id, quo nihil acerbius Medico accidere posse reor, scientiam suam, tot aliis salutarem, in eo inutilem esse, in quo illam quam efficacissimam esse optaverat.

Sperabamus equidem, nos, si non *Buxtorfio* integro, saltem *Buxtorfii* umbra, si non sano & valente, saltem languente aliquandiu gavisuros: praesertim

tim cum veris adventu vires ejus, ut & præterito anno contigerat, quoquo modo renovatæ viderentur. Sed præcidit nobis & hanc ſpem morbi violentiſſimus, qui ipſum ſubito corripuit, paroxyſmus.

Quem lethalem eſſe cum ſentirent domeſtici, appellati Venerandus *Zuvingerus*, noſtræ Eccleſiæ Antiſtes, & poſt Rev. Collega ejus *Battierius*, invenerunt cor ejus tam contritum, tam humile, tam abnegans ſe ipſum, tam anhelans Dei miſericordiam, tanto ardore confugiens ad mortem & ſanguinem Servatoris ſui, tam ſubmiſſum Deo ipſiusque voluntati, tam gratum pro beneficiis ab eo acceptis, inter quæ & caſtigationes, hanc ultimamque inprimis, referebat, tam plenum charitatis, tanto flagrans deſiderio, Dei & Servatoris ſui propediem videndi: verbo, invenerunt tam perſpicua infucatæ reſipiſcentiæ veræque fidei indicia, ut non dubitarent, ei promiſſiones omnes, fidelibus in Evangelio factas, applicare, iisque eum contra ingruentes mortis terrores efficaciſſime erigere.

Adfui ego, quantum & quoties potui, lecto amiciſſimi hominis, *quem* brevi me amiſſurum cernebam, & una mecum Vir Noſtro, dum vixit, conjunctiſſimus, Clariſſimus Doctor *Beckius*, Logicæ artis Profeſſor, & nunc Sapientis Ordinis Decanus digniſſimus. Ab una parte miſerandum nobis ſpectaculum erat, cum videremus, talem Amicum, graviſſimis *pectoris anxietatibus* ſine ulla intermiſſione preſſum, & pene oppreſſum, una cum ſiti intolerabili, quæ nullo potus genere reſtingui poterat: ab altera vero parte non ſine inſigni ſolatio & ædificatione excipiebamus ejus ſermones. Nil fere audiebamus, præter pia ad Deum ſuſpiria, preces continuas, dicta S. Scripturæ ſelecta, quibus ſe ad extremum certamen pridem munierat magnam partem ex Pſalmis petita: quæ nunc vernacula, nunc originali lingua proferebat. Modo ſe ut peccatorem Deo ſiſtebat: modo ejus miſericordiam implorabat: modo ad Patrem cœleſtem ſibi propitium reddendum, huic Chriſti ſanguinem proponebat: modo à Deo omne ſe auxilium expectare, in hoc omnem fiduciam ſuam unice repoſitam eſſe oſtendebat; huicque animam, jam jam ex corpore migraturam, ferventiſſimis votis commendabat: modo, & ad ſuos & ad nos converſus, pro acceptis beneficiis hacque ultima opera præſtita, gratias agebat, ac nobis omnibus amantiſſimis verbis bene precabatur. Hæc & alia cum magno ſæpe ardore diceret, monendus erat, ut ſibi parceret, ac nimia contentione vim mali ne augeret.

Cum reſpirationem ejus paulatim difficiliorem fieri deprehenderemus, mortem inſtare augurati, pridie, antequam nobis ereptus eſt, ei ad mediam uſque noctem adſtitimus, ut, quidquid accideret, præſto eſſemus. At cum non penitus proſtratas ejus vires obſervaremus, diſceſſimus ea nocte; proſtridie vero redeuntes, debiliorem quidem invenimus, ſed integris adhuc ſenſibus, & ſimilibus ſermonibus ſe ipſum erigentem, adque beatum diſceſſum præparantem: donec ſub meridiem denuo vocati ipſum in ultimo agone invenimus, intentis quidem oculis nos aſpicientem, ſed nullum amplius verbum prolo-

proloqui valentem: Cumque hic illum pro virili in bono certamine, jam jam consummando, confirmaremus, ejusque animam junctis precibus Deo & Servatori nostro commendaremus: inter has charissimæ familiæ nostrasque preces, multis lacrymis permixtas, placide tandem in Domino expiravit: cum caducæ hujus & mortalis vitæ annum quinquagesimum nonum nondum complevisset. Ossa ejus in paterno avitoque sepulchro, quod in Cathedrali templo cernitur, reposita sunt; concionem funebrem, doctrinæ & consolationis plenam, in frequentissimo lugentium cætu, habente Venerando Antistite nostro: melior vero Nostri pars, omnibus tandem malis defuncta, ineffabilibus nunc cœli deliciis fruitur.

Ita est, Charissime Buxtorfi: non est, quod tuam sortem defleamus. Liberatus tandem aliquando es ex vinculis corporis fragilis, languidi, ægri: liberatus ex *corpore mortis*, quam jam pridem tecum circumferebas: dimissus es ex ergastulo, in quo durissima & gravissima quæque patiebaris. Jam te non amplius cruciant articulorum dolores: non te infestat illa faucium ariditas: non te premunt pectoris anxietates. Jam dilatatum est cor tuum, jam liberrime non crassum hunc aërem, sed purum ætherem respiras: jam extinxit Servator sitim tuam: jam refrigeraris *aqua illa vivente*, quam bibens *non sitiet in æternum*. Jam non amplius affligeris, nec mali præsentis sensu, nec imminentis metu. Jam tuis illis Majoribus junctus, junctus charissimis, quos præmisisti, liberis, totque propinquis & amicis, quorum obitum amaris lacrymis es prosecutus, junctus angelis & cœlitibus, frueris Deo tuo, iisque voluptatibus perfunderis, ut præ iis terrena & humana omnia contemnas.

Ad nos vero quod attinet, Auditores omnium ordinum Honoratissimi, fatendum est & ingenue fatendum, cum Buxtorfio Nostro multa & magna nos amisisse. Quoties ah! quoties Academia, & Ampliss. inprimis hujus senatus, desiderabit talis Viri dexteritatem, prudentiam & moderationem? quoties Collegium sapiens, cujus cor fuit & anima, ejus desiderabit experientiam, auctoritatem, animumque ordinis & pacis studiosum? quoties Linguæ S. amatores requirent ejus in hoc literarum genere peritiam & in instituendo solertiam? quoties peregrini requirent hunc nostrum Bibliothecarium? quoties uxor, liberi, frater, affines, propinqui, amici, vicini reposcent opem ejus sapiensque consilium? quoties omnes, quibuscunque innotuit, maximi, medii, infimi, ejus humanitatem, comitatem, urbanitatem, ejus sales & innocuos lepores, ejus beneficentiam, paratumque singulis horis & momentis, omnibus juvandis & delectandis, studium?

Sed quis est inter omnes, qui sæpius, atque ego, Buxtorfium meum desiderabit? Quanta, Deus bone! quanta ante XVIII. circiter menses fuit jactura mea, cum Parentem amisi, & talem Parentem qualem ego habui? Verum eheu! quanta, quanta nunc quoque est, quæ tam parvo hanc intervallo est consecuta, jactura Amici, & Amici talis, qualis erat Buxtorfius? Amici ju-

 cundi,

cundi, cujus amoenum commercium omnes tuas curas levare, omnemque ex animo tristitiam depellere queat; amici benigni, qui lapsus tuos tibi condonet, tuas infirmitates ferat, iisque se humanissime accommodet: amici moderati, qui te æstu aliquo abreptum placide in gyrum rationis revocet: amici perspicacis, qui te intelligat, cum vix dimidium dixeris: amici circumspecti, cujus consilium tuto sequi possis: amici taciturni, apud quem quidlibet tibi sine metu loqui liceat: &, ut paucis plurima complectar, amici de cujus amore & prudentia securus esse possis.

Quam difficile plerisque Vestrum, difficile inprimis mihi foret, in tam ampla luctus materia modum tenere, nisi animum tandem ad cœlum attolleremus, & quis sit, qui humana omnia moderatur, humili animo perpenderemus: *Tu ille es, O DEUS O. M. Tibi acceptum referimus, quicquid charum nobis quicquid utile & jucundum est. Præstantes viri tuum donum sunt. Dotes, quibus pollent, à te acceperunt: amorem, quo nos prosequuntur, tu nobis concilias: hos si aliquandiu inter nos conservas, gratiæ tibi debentur; si tandem adimis, nostrum est sine murmure tuæ nos voluntati submittere; imo sive das illos sive aufers, nomen tuun laudare. Si tristis est eorum jactura, si gravissimæ pœnæ loco habenda: non illa innocentibus obtingit. Quoties ah! quoties tibi, quod tuum est, eripimus? quoties eripimus hoc nostrum cor, mundoque id mancipamus, quod tibi tamen soli tot nominibus debetur: & nos lamentabimur, si quando nobis adimis, quod nostrum non erat, & quo peccatis nostris toties nos indignos reddimus? Quod si eximiorum Virorum obitus imminentium ac futurorum judiciorum tuorum signum est, agnoscimus, & horum te gravissimas causas habere. Sed in ira tua, O DEUS, in ira tam justa, esto, quæsumus, memor misericordiæ. Ne permitte, ut in Academia nostra queramur de penuria Virorum arte & doctrina præstantium, solertium in docendo, veritatem & pietatem sincere amantium, prudentium, moderatorum, æquorum, pacificorum. Conserva eximia, quæ nobis reliquisti, gloriæ tuæ propagandæ organa, in Ordine Politico, Ecclesiastico & Academico: eos inprimis Viros, in quibus consilium civitatis residet, & per quos Tu ordinem, pacem & tranquillitatem in portis nostris stabilem reddis. Confirma eorum valetudinem, quorum animi, præclaris à Te dotibus instructi, in morbidis corporibus habitant, eosque in flore ætatis nobis ne aufer. Resarci jacturam, quam in Defuncto nostro fecimus, Hujusque & Majorum spiritu Successorem*

rem

rem indue. Solare Viduam & Liberos, omnesque propinquos & amicos, Buxtorfii nostri obitu gravissime afflictos, iisque cla issime monstra, in Te omnia recuperari, quæ cum illo perdiderant. Denique, O DEUS, quando nobis adimis id, quod in his terris erat charissimum; da, ut hoc efficax sit remedium, ad corda nostra, heu nimium humo affixa! à terra hac & vanis ejus bonis tandem abstrahenda, & in cœlum evehenda: ubi non modo ii nunc sunt, qui nostræ hic deliciæ fuerunt; sed ubi est imprimis preciosissimus thesaurus noster JESUS CHRISTUS, sedens ad Dextram Dei; ubi Tu es, fons & origo omnis boni, quo qui fruitur, possidet omnia. Tibi sit laus & gloria in æternum, Amen.

VIRI AMPLISSIMI
JOH. JACOBI BATTIERII
JCTI. NOSTRI CELEBERRIMI

In praecedentem Orationem Funebrem Carmen.

Ad Venerandum WERENFELSIUM.

ILla tibi in nostri BUXTORFI funere dicta,
Sed nondum infirmo concio lecta mihi,
Quam variis agitet mentem mihi fluctibus, audi.
Et legere hanc animus gestit, & horret idem.
Qualem ego te novi, speciem morientis amici
Depictam his oculis expositamque dabis.
Aspiciam tumidosque artus, & pectus anhelum,
Et lacrymas, lacrymis quas sequar ipse meis.
At, species fuerit quamvis funesta, juvabit
Me tamen illa, tua sit modo picta manu.
Eccui non volupe est, moribundos cernere vultus
Socratis, expressos aere, Lysippe, tuo?
Da mihi quodcunque est quantumvis triste, nitebit,
Aque stylo incipiet posse placere tuo.
Ergo age, nec jam ultra mihi munus amabile differ,
Dignum illo & studio munus, amice, tuo.
Nec tibi materies contingere dignior ulla,
Nec plectro hic poterat nobiliore cani.

SAM

SAM. WERENFELSIUS,

ELOQ. IN ACAD. BASIL. PROFESS.

LECTORIBUS S. D.

QUEMADMODUM *Augustinus Christianis hominibus suadet, ut in lectione scriptorum Gentilium, in quibus multa sunt bona malis permixta, quod in iis probum sincerumque inveniant, id excerpant, &* tanquam ab injustis dominis *repetitum sibi vindicent: ita mihi quidem omnibus in universum Doctoribus sapienter consuli videtur, ut, si quid ab aliis usurpari videant, quod juventuti, quæ suæ commissa est curæ, virtute bonisve literis imbuendæ aptum sit, id ab iis, quicunque demum sint, mutuari haud erubescant. Quare, cum nuper, peregrinis quibusdam histrionibus in urbem nostram admissis, viderem, plurima quidem & in vaga horum erronum vita, & in arte venali, & in ipsis fabulis merito bonis omnibus improbari; at simul animadverterem, esse in his ipsis ludis tamen aliquid, quod si ab omnibus sordibus, omnique impietatis specie penitus defæcatum, in Scholas introduceretur; futurum fortasse, ut non una inde ad Studiosos adolescentes utilitas rediret: subsliti hic aliquantisper, cœpique egomet mecum, an & quatenus hoc fieri possit, serio deliberare. Suadebant hæc exercitia magnopere cum judicia sapientissimorum hominum, tum multa Scholarum florentissimarum exempla: atque inveniebam, in Academias quidem Germaniæ ludicram hanc artem, una cum ipsis literis, à* Johanne *primum* Capnione, *communi Germanorum*

omnium præceptore fuisse invectam, cujus drama, dirigente suasque in eo partes suscipiente Philippo Melanchtone, *inter Studiosos actum, Joachimus Camerarius auctor est. Extant illius Germaniæ Phœnicis, ita* Melanchton *vocabatur, dramata aliquot elegantissima, itemque de Tragœdiarum Comœdiarumque utilitate epistola bene longa.*

Atque ut alia taceam, in nostra quoque civitate hoc institutum minime novum deprehendi, sed patrum avorumque temporibus, quæ nostris uno ore omnes anteponimus, crebro usurpatum: tum vero à Theologis quibusdam gravissimis deque profectibus Studiosorum unice solicitis, quorum laudes ex aliorum quam ex meo ore incorruptiores prodire videbuntur, & probatum vehementer & in usum deductum. Nihil vero horum omnium æque me affecit, quam, quod nuper admodum de Theodoro Zvingero *quondam nostro, Medico & Polyhistore summo legebam:* Statim, *ita de eo in ejus vita Melchior Adamus,* quid patriæ de se expectandum esset, fecit indicium. Cum enim in dramate quodam scenico à Thoma Platero Felicis patre publice exhibito, Cupidinis personam sustineret, ita ipse gestuum gratiosa varietate, actionis venustate, pronunciationis jucunditate in se convertit omnium ora, oculos, animos: ut aliis spectatorum præ gaudiis lachrymæ stillarent, alii suspiriis testarentur applausum, alii cum Poeta exclamarent:

> Ingenium cœleste suis velocius annis
> Surgit, & ingratæ fert mala damna moræ.

Hæc, fateor, dum legi, non modo in sententia mirifice fui confirmatus, sed vehementer etiam commotus; neque tenere me potui, quin tantæ indolis puero, tantum, quantum postea literato orbi exhibuit, virum jam tum promittenti, post tot annos denuo, quasi ipse ludo interfuissem, toto pectore applauderem: jamque non dubitabam amplius, quin utilissima sit hæc Palæstra, ex qua hic nobis prodiit Heros, quo Academia nostra gloriari, eumque quibusvis, quos aliæ jactant, opponere nunquam cessabit. Hæc cum animo agitabam, commodum se mihi obtulit, raro ingenio summaque spe Adolescens JOH. RODOLFUS THURNISIUS *nostras, petens, ut sibi per me oratorium quoddam specimen publicum, qui pervagatus apud nos erectiori præ cæteris indole juvenum mos est, edere liceret. Arripui statim hanc occasionem, &, quid de* Studiosorum adolescentium comœdiis *Sapientissimi ac Doctissimi inter nos homines judicent, per hunc experiri decrevi: in eumque finem, diem illi, quo de hoc ipso argumento diceret, mensis Octobr. 26. dixi. Adeste igitur omnes literarum Antistites, Fautores, Cultores, atque Ornatissimum Juvenem in Philosophorum Auditorio hora X. de jucundissima materia dicendum audite, & audite non composita fronte, sed vero vultu, ut ex hoc, quantum cuique vestrum conatus nostri placeant, legere possimus: vobisque de me persuadete, omnia me dignitati commodisque vestris; tum vero, quo maxime me vobis probaturum confido, Academiæ hujus decori, Studiosorumque utilitati, quoad vixero, semper post habiturum. Valete nostrisque, ut facitis, studiis favete.*

ORA-

ORATIO
DE
COMŒDIIS.

SI quondam summâ Vir auctoritate M. Cicero, coram gravissimo Judice, Q. Roscii Histrionis caussam agere non erubuit; nemo vestrum vitio mihi vertet, si in hoc humanissimorum hominum concursu, ego, non mercede conductorum Histrionum, non vilissimorum Pantomimorum, non vagorum Circumforaneorum, sed adolescentium ingenuorum, & ipse adolescens, patrocinium suscipio; qui à Viris disertis & ingeniosis ex Artis regulis elaborata Dramata, casta, honesta, plena utilissimarum præceptionum, plena gravissimarum sententiarum, convenienti rebus & voce & gestu agere consueverunt.

Illud potius metuendum mihi est, ne plerisque vestrûm opera hæc mea supervacua videatur, idemque mihi hodie objiciatur, quod illis sæpenumero objectum audivi, qui de laudibus Virtutis, Artisve, omnium consensu laudandæ, multa verba faciunt. Quis, inquiunt, illam vituperat?

Ita

Ita sanè vereor, ne quis mihi hoc tempore occinat: Hoscine tu scholasticos ludos commendas? Necessariam verò orationem! Quis hos unquam reprehendit? Regidissimi Censores, gravissimi Judices, sanctissimi Viri, summae religionis Theologi, severissimae Ecclesiarum disciplinae, Artem Histrionicam rejiciunt, fateor; at honestissimam hanc adolescentium exercitationem, hanc Virtutis, hanc Eloquentiae palaestram uno ore omnes excipiunt. Nemo denique adeo tristis est, adeo tetricus, adeo Cato, adeo facetiis omnibus, & quicquid ludi nomen habet, inimicus; quin posteaquam in Comoedias, & ludos omnis generis acerrimè erat invectus, simul atque ad hos ventum est, protinus placatus esse videatur, supercilium demittat, frontem explicet, & hos saltem ludos, has Comoedias ferendas esse confiteatur.

Quare si licitas, si in schola Christiana tolerandas esse, multis probare vellem, actum mihi agere viderer, & argumenta profundere in caussa minimè dubia. Quod si facerem, & mihi onus non necessarium imponerem, & vobis omnibus fastidio essem.

Verumtamen, ignoscite A. si jure mihi suspicari videor, non omnibus, qui hos, de quibus loquimur, juveniles ludos licitos esse, fateri coguntur, perinde quanta sit eorum utilitas, perspectum esse. Id enim si foret, majoris, credite mihi, majoris in nostris quoque scholis fierent, crebrius usurparentur: non ita jacere paterentur potissimam hanc Poëseos partem Viri de nostris profectibus unicè solliciti; non denique Comoedia, tanto olim hic in honore habita, se, ex Academia nostrâ cum dedecore proscriptam, tam diu exulare conquereretur. Date veniam, si aliquanto liberius loquor; quod si enim me audire pergetis, efficiam profecto, ut Comica haec exercitia, non modo tanquam honestissimam animi remissionem, in adolescentibus toleranda, sed plane, ceu rem utilissimam, jubenda, inculcanda, omnique ratione promovenda esse videantur.

Magnopere A. semper probavi justissimam illam adolescentis Terentiani adversus senes querimoniam:

> *Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices.*
> *Qui aequum esse censent hos à pueris illico nasci senes,*
> *Neque illarum affines rerum esse, quas fert adolescentia.*

Quanto gratior haec Ciceronis nostri vox est: *Detur aliquid aetati, sit adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur. Vincat aliquando cupiditas rationem, non semper superet vera illa & directa ratio, dummodo in hoc genere moderatio teneatur.*

Ac video, semper in hoc sapientissimos homines consensisse, esse aliquam nostrae aetati, quae vix in caeteris fertur, ludendi libertatem concedendam, esse jocos, esse voluptates, esse hilaritatem quandam, esse denique quam plurima, quae, si minus senes decent, hanc certè adolescentiam nostram non dedeceant.

Quae

Quæ ſanè, ſi quis nimia ſeveritate coërcere conatur; tantundem agit, quantum ille, qui curſum equi generoſi freno nimium cohibere nititur: quo nihil aliud efficit, quàm ut magis irritatus atque efferatus recalcitret, crebriſque ſubſultibus ſeſſorem denique excutiat. Illi, illi inquam, optimè ætati noſtræ conſulunt, qui voluptates nobis, non prorſus adimunt, ſed eas rationis freno moderantur: qui juveniles impetus non extinguunt, ſed hos ad virtutem dirigunt: qui cupiditates non tollunt, ſed tenellos animos à pravis abſtractos ſenſim ad honeſtas & liberales deflectunt: qui dulce, quod tantopere adpetimus, concedunt, ſed ita ut dulci utile admiſceant: qui gratiſſimum nobis potum propinant, ſed ita, ut in illo lateat Medicina: qui luſum nobis permittunt, ſed ita, ut in ipſo luſu ſit, quo doctiores, quo ſapientiores, quo meliores reddamur.

Hic verò quæro ex vobis, ſi omnino aliquis ætati noſtræ luſus concedendus eſt, quem tandem nobis præ cæteris ſuadetis; *Aleamne*, an *vinum*, an frequentes *compotationes*, an alias corporis *delicias?* At in hæc toties invehi ſoletis: peſtes, corruptelas juvenum vocatis. An *amores?* Horum verò ne nomen quidem ſine indignatione audire poteſtis; hos ſcopulos juvéntutis appellatis, ad quos innumeri virtutis naufragium fecerunt. Vultis, ut *aves*, *piſces*, *feras* conſectemur? At nihil inde aliud, niſi feritatem diſci, clamatis. An *pilam*, an *ſaltatiores*, *choreaſque* conſulitis? nutu ſignificare videmini, quàm & hæc vobis diſpliceant: & ſi qui veſtrum hæc in quibuſdam ferunt; iidem tamen ſemper animum præcipue curandum, his vero corporis exercitationibus minimum eſſe temporis tribuendum, dicunt. Verſate mentem in omnes partes, hac illac circumſpicite; percurrite omnes hominum voluptates, omnes animi oblectationes: nullam ſolidiorem, nullam liberaliorem, nullam homine digniorem, nullam Studioſo convenientiorem, nullam adoleſcenti minùs periculoſam, atque hos, quos ſuademus, juveniles ludos reperietis.

Quid? Ipſæ illæ nobiliſſimæ artes ad humani ingenii delectationem unicè inventæ? Quid Pictoria? oculos paſcit. Quid Muſica? aures titillat. Sola hæc Comica ars & oculos jucundiſſimo ſpectaculo recreat, non motu carentium imaginum, ſed pulcherrimis dictiſque convenientiſſimis motibus animatarum; ſimulque auribus ſuaviſſimè illabitur, &, quod in cæteris deſideramus, mirifica ſuavitate ad animum uſque penetrat; hunc præcipuè capit, hunc tenet, hunc rapit, pura hunc quadam, &, quæ nihil ex corporum contagione trahit, voluptate permulcet. Quamobrem aut adimendæ ſunt nobis omnes voluptates, & fingenda impoſterum erit adoleſcentia triſtis, ſevera, torva, horrida: aut ſi nobis, uti Majores noſtri adhuc fecerunt, ludicra quædam permittetis; hi ſoli, hi potiſſimum ludi, quibus hæc ætas noſtra deliniatur, vobis erunt eligendi.

At hic videor mihi quoſdam audire inter ſe dicentes: En veram Adoleſcentium imaginem! Non niſi ludos & delicias poſcunt. Hoc eſt, quod vigilantes

cogitant, quod dormientes somniant. Dulce hoc, jucundum est. Nihil amplius quærunt: in hoc feruntur bruto impetu. Dic inutile esse, surdis narrabis fabulam. Ego verò A. fateor, ætatem nostram improvidam ferè esse, ac plerumque magis, quid in præsens delectet, spectare, quàm quid in futurum expediat, prospicere. Sed tamen non omnes adolescentes ita ad lusum jocumque unicè sibi facti videntur, quin & aliquando à ludicris revocent animum, & quid sibi prosit, quantum hæc nostra ætas perspicere valet, considerent.

Quare si nihil aliud in his, quos commendamus, ludis est, quam quod animum jucunda quadam voluptate perfundunt; quanquam hæc voluptas innocentissima pariter ac liberalissima sit: nolo tamen, ut hos in scholis nostris toleretis, nisi simul probavero, plus aliquanto in illis utilitatis, quàm jucunditatis esse. Id nisi fecero, non caussam dico, quin rejiciantur, condemnentur. Primus ego huic sententiæ subscribam. At si, quod jucundum *nobis* adeo videtur, idem quoque utilissimum est: quæ tandem inscitia foret, *si* propter jucunditatem usus quoque ejus suspectus nobis esset? Nisi fortè virtutem in tristitia, corrugatâ fronte, torvisque oculis consistere volumus: quicquid verò hilare, lætum, facetum, suave est; idem quoque flagitiosum existimamus.

Sed age? Videre tandem cupitis horum, quos tantopere deprædicamus, ludorum utilitatem. Hic vero unde incipiam, A. dicamne primum, quem fructum præbeant auditoribus & spectatoribus; an quem actoribus afferre soleant? Equidem, si ab illis incipiendum mihi est: iterum hæreo, utrum illi, plura quæ prosint, audiant, an videant? Audiunt varios hominum cujuscunque ætatis, regionis, fortunæ, conditionis, sermones, suæ quosque personæ attemperatos. Intuentur horum omnium vitam, ingenia, indoles, propensiones, mores, instituta: intuentur hæc non à quodam eloquentissimo homine descripta, sed à perito artifice ipsis oculis subjecta. Hæc vero nosse, quanta sapientiæ humanæ pars est? Prodeant hic doctissimi Viri, dicant, & dicant ingenue, quantum ex crebra lectione Comœdiarum, Græcarum præcipue & Latinarum, non jam dico eloquentiæ, sed sapientiæ, sed prudentiæ didicerint. Non erubescent fateri, se nullis Philosophorum libris tantùm, quam Comicorum scriptis debere. At quid dicerent, si ipsi suis oculis has Comœdias ab Æsopo quodam aut Roscio actas vidissent?

Præterea quàm graves ad virtutem cohortationes, quàm efficacia ad eam incitamenta his ludis inseri, quam excellentia ejus præmia proponi, quàm amabili facie hæc omnia in scenam produci possunt? Quænam contra vitiorum, quàm horrendæ imagines exhiberi? quæ stultitiæ humanæ, quam ridiculæ picturæ ostendi? quæ scelerum pœnæ, quàm terribili vultu repræsentari? Nimirum discimus hic, maturè virtuti favere; vitiis irasci; injuste afflictorum misereri; Heroica facta mirari; vitia contemnere; sordida fastidire; stolida ridere. In hoc vitæ humanæ speculo, quid decorum, quid ineptum; quid

rusti-

rusticum, quid urbanum; quid ingenuum; quid servile; quid excelsum, quid abjectum; quid cuique personæ repugnet, quid conveniat, clarissime videmus, & videmus hæc omnia ludentes, aliud agentes.

Paulatim hic, & quasi per insidias, virtus tenellis non advertentium animis irrepit, donec sensim magis ac magis confirmata, latiusque se diffundens, totam tandem pectoris arcem occupet, eamque penitus sibi subjiciat. Erratis Orbilii, erratis tetrici Magistri, qui continuis jurgiis vestris, qui minis, qui intentata quasi ferula, plus in animis nostris vos efficere posse existimatis, quàm hi artifices in scena ridendo efficiunt. Neque vos Philosophi, Stoïco supercilio & Peripatetico incessu, severis decretis vestris, aut spinosis de virtute disputationibus, argutationibus, distinctionibus, facilius animos nostros, harum subtilitatum parum capaces, ad virtutem flectetis: quàm hi qualescunque ludi juveniles poterunt.

Jam vero historias cognoscere, si ad prudentiam comparandam plurimum adjumenti adferre fatemini: quis nescit, diutius in animo hærere rem gestam in theatro ante oculos positam, quàm à doctissimo Viro descriptam, aut à disertissimo homine narratam? Quin immo, si ipsas Poëtarum fabulas reconditam quandam sapientiam continere creditis, quæ communis sapientum opinio est, quàm eleganter & hæc in scena depingi, sicque & ludentium & spectantium memoriæ imprimi possunt?

Postremo quid est, quod quidem in vita aliquid utilitatis habet, quod non hic lepidissime repræsentari queat? Ipsa illa Philosophia, quantumvis horrida, quantumvis austera, ipsa illius paradoxa quantumvis vulgò incredibilia: ipsi illi inexplicabiles nodi: ipsa sectarum innumerabilum certamina, dummodo ars accedat, horum ludorum argumentum non infestivum suppeditare possunt.

Quod si vero in hac ætate præcipua nobis dictionis & stili cura esse debet: quæ alia A. melior Eloquentiæ palæstra, quàm hæc scena est! Consulamus hac in parte eos, qui in instituenda juventute omnem ætatem omnemque ingenii vim consumserunt. Conclamant omnes, nihil in hoc genere cum Comœdiis esse comparandum. Possem vobis infinitam horum multitudinem afferre; sed duos ex omnibus eligam, unde de cæteris facile judicium ferre poteritis: At quos Viros? Maximos juventutis instituendæ magistros, Viros, ut Græco utar vocabulo, διδακτικωτάτους, atque ad formandos & fingendos adolescentium animos unice factos natosque.

Agnoscitis hoc elogio, vel tacente me *Joh. Sturmium* & *J. A. Comenium*. Hos igitur consulite, & quænam optima & facillima ad Eloquentiam via sit, quærite. Inculcabunt Comœdias Tragœdiasque actas à juvenibus, & memoriter recitatas: clamabunt in scholis, ubi receptæ sunt, retinendas, ubi nullæ sunt, introducendas: scholarum denique, à quibus arceantur, infelicitatem miserabuntur, parumque aberit, quin illas tanquam prostratas atque emortuas defleant.

Quid illi, qui Ignatii Loyolæ institutum sequuntur, Jesuitarum nomine noti? Ne vos toti propemodum Orbi odiosum nomen offendat. Quantum in aliis horum hominum auctoritati tribuendum sit, hic non inquiro: at singularem horum in instituenda juventute dexteritatem vel inimicissimi prædicant. Doctissimi ex his Viri juveniles istos ludos omnibus aliis stili exercitiis anteponunt, frequentissime usurpant. Hæc nimirum præludia fuerunt illorum Virorum, quos tanquam Pontificiæ potentiæ fulcra tantopere admirantur.

Omnino sapientissimi homines nullam unquam Adolescentibus Eloquentiam instillandi aptiorem, quàm dialogos, viam invenerunt: Unde etiamnum tot doctissimorum Virorum, cujuslibet argumenti, colloquia exstant. Rectè, mea quidem sententia; nam, præter mirificam dialogorum suavitatem & facilitatem, innumeræ in respondendo & interrogando loquendi formæ incidunt, quæ in perpetua oratione vix occurrunt. At quid aliud Comœdiæ sunt, quàm colloquia elegantissima, non duorum modo aut trium, sed multorum, quorum unusquisque semper characterem suum certamque loquendi rationem servare debet: planè, ut confidenter dicere possimus, in nulla alia oratione tot identidem præberi stili & commutandi, & varie exornandi, & in innumeras facies transformandi, occasiones.

Nunc assurgere debet oratio; scena mutata, mirum quantum se demittit; aliquandiu in æquabili quadam mediocritate decurrit; nunc observes senis solliciti polylogiam, qui semper se non satis intelligi veretur; nunc juvenilem in interrumpendis dictis impatientiam; aliquando verniles lusus. In hac varietate semper grata, semper pulchra est oratio, quia semper personis quadrat.

Quid dicam de affectibus & sedandis & concitandis? qua arte, si non omnis absolvitur Eloquentiæ vis, hanc certe potissimam ejus partem esse nemo negaverit. Hic vero, hic plane regnat scena. Mitiores affectus Comœdia, vehementiores Tragœdia, tanquam patrimonium quæque suum, sibi vindicant. Quo fit, ut ludis cum intersumus, non ludis interesse videamur; seriam rem agi crederes: ita omnes in una Comœdia affectus induimus. Nunc attoniti stamus; nunc indignamur, paulo post placamur, omnisque in misericordiam ira convertitur. Modo trepidamus ac metuimus; jam angimur ac dolemus; paulatim ad meliorem spem excitamur; mox exsultamus, omnique incedimus lætitia; deinde, nescio quo modo, subito tristitiæ nubes oboritur, expallescimus: idemque nobis sæpenumero contingit, quod Augustinum de se confiteri memini, sæpius ubertim se flevisse, cum Didonis apud Virgilium mortem legeret. Quo minus mirandum est, quod de Puppio quodam Tragico dictum accepimus, hunc quoties voluerit, populum ad lachrymas, & ad misericordiam provocasse.

Ex his omnibus videri potest, quid caussæ sit, quod sæpe à doctis observatum est, tanto quemque eloquentiorem esse, quanto plus temporis in legendis atque ediscendis Comicis & Tragicis Poëtis impendit. Hinc Demosthenes, hinc Cice-

Cicero noster potissimum profecit; id quod singulæ penè divinissimorum ejus scriptorum paginæ testantur. Inde summi Viri, *Erasmi*, *Mureti*, *Manutii*, *Scaligeri*, *Lipsii*, *Grotii*, *Heinsii*, aliique plurimi, quicquid in illorum scriptis admiramur sublime, quicquid lepidum, quicquid facetum, quicquid dulce, quicquid aptum, maximam partem sunt mutuati. Et hujusmodi Dramata, quæ legisse tantum Viris maximis profuit; quantum decoro corporis motu, apta oris pronuntiatione, convenienti rebus vultu, oculis, habitu, incessu repræsentata intueri, quid proderit?

> *Segnius irritant animos demissa per aures,*
> *Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

Nunc si dicendum est de commodis, quæ ipsis horum Dramatum actoribus propria sunt, quantus iterum nobis campus aperitur? Nimirum exercent hic adolescentes memoriam, in hac ætate potissimum vigentem, in ejusque penu recondunt non Grammaticarum regularum, non obscurarum definitionum inutilem farraginem, non barbararum distinctionum, *bacceitatum*, *petreitatum*, *quidditatum* rudem indigestamque molem; sed uberrimam cum rerum utilissimarum, tum verborum elegantissimorum copiam, infinitam atque ad omnem usum accommodatam phrasium varietatem: splendidissimum figurarum, amplificationum, ornamentorum omnis generis, flosculorumque apparatum, gravissimas sententias; serias ad hæc Philosophiæ præceptiones, innumera ad virtutem ducentia, à vitiis revocantia argumenta, historias selectiores, fabulas amœniores, poëticos lusus, urbanos jocos; & quis omnia enarraret?

Acquirunt præterea hic juvenes decoram quandam in publico loquendi & agendi libertatem; exuunt puerilem metum; dediscunt rusticum pudorem, qui adolescentes nuper ferulæ subductos quasi vinctos tenet; spiritus hic sublimiores excitantur: humiliores eriguntur, omnes utilissima æmulatione accenduntur. Ingenia hic optime probantur, atque ad quam quisque personam in hac vita agendam aptissimus sit, maturè ex assumptis in Comœdia personis conjicitur. Assuescunt actores nostri vocis modulationi distinctæ, canoræ, dulci; sonoque, pro argumenti varietate, modo intenso, modo remisso, modo acuto, modo gravi; corporis motus, ad urbanam quandam venustatem, cum dignitate conjunctam, componere discunt.

Hæc vero quantum ad Eloquentiam momenti afferant, nemo vestrum est, quin jam, non dico audiverit, sed ipse sæpissimè senserit. Legit *Æschines*, summus & ipse Orator, *Demosthenis* quam pro Ctesiphonte habuit, orationem. Placet Rhodiis audientibus, atque adeo ad unum omnes illam admirantur. At quid, si ipsum, ait Æschines, Demosthenem audissetis? Tantam in actione hujus viri, optimus in hac arte judex, vim esse existimavit. Quære ex hoc ipso Demosthene, quid in oratione primum sit; ὑπόκρισιν dicet; perge, quid secundum, quid item tertium sit, quærere, ὑπόκρισιν identidem respondebit. Quid? Itane ὑπόκρισιν ais Demosthenes? Nunquid hujus te

 vocis

vocis pudet? Unde tandem desumpta est? Agnoscitis A. è scena prodiisse, ubi actores *hypocritæ*, actio eorum ὑπόκρισις Græcis dicebatur. Fatetur igitur Demosthenes, se potissimam Eloquentiæ partem, immo totam illam Eloquentiam, qua Græciam universam tamdiu tenuit, concitavit, quo voluit flexit, rapuit; quam Æschines, at quantus & hic orator! imitari se non posse confitetur, scenæ atque Comœdiæ debere. Candidè prorsus & verè. Nam & aliunde noveramus, quicquid Demosthenes præ cæteris in actione admirandum habuit, id à Satyro quodam histrione, in cujus se disciplinam dederat, eum hausisse.

Quid ille disertissimus Romuli nepotum, quid Cicero noster, quo nullus unquam ad perfecti Oratoris formam propius accessit? Unde didicit actionem illam suam admirabilem, plenam animi, plenam spiritus, plenam doloris, plenam veritatis? Non à summis, quos audivit Oratoribus, *Antonio*, *Crasso*, *Hortensio*, *Sulpicio*: sed, audeone hoc dicere, à *Lucio Roscio*, Gallo histrione. Hunc tanquam præceptorem unicè coluit, hunc delicias suas vocavit, hunc neque videndo neque audiendo sibi unquam satisfecit. Hoc agente, ne strepitum quidem ferre potuit, planè ut Populum aliquando, quod agente *Roscio* tumultum movisset, gravissima oratione represserit. Cum hoc sæpenumero certare solitus est, utrum ipse sæpius eandem rem oratione diversa, an *Roscius* gestuum varietate, exprimere posset.

Vellem A. vidissemus lepidam hanc pugnam. Jucundissimum dubio procul fuit spectaculum, & omni Comœdia gratius, virum gravem & Consularem cum histrione certantem videre: videre alterum innumeris modis rem eandem dicentem, alterum totidem formis gesticulantem.

Sed, ne jocari me in re gravi putetis, quantumlibet hoc Ciceronis certamen leve cuipiam videatur; illud certissimum est, scenam optimam agendi magistram esse, nihilque Eloquentiæ studioso esse consultius, quàm ut ex illis eam fontibus petat, unde summi quondam Oratores eam petere necessarium duxerunt. Certe, si qua priscæ Eloquentiæ, quæ merito inter deperdita numeratur, instaurandæ spes est; non alia hic nobis est via calcanda, quam illa ipsa, quam prisci tenentes ad illud, quod sine imitationis spe mirati sumus adhuc, eloquentiæ fastigium pervenerunt. Possem enim vobis, A. plura hujus rei exempla proferre, atque ostendere, hanc pervulgatam fuisse antiquitus consuetudinem, ut futuri Oratores apud Poetas, Comicos præsertim ac Tragicos, artis tirocinium deponerent; idemque Oratoribus olim scenam fuisse, quod Principibus, qui ad belli usum præparantur, venationes hodie & equestria certamina esse solent. Sed hæc duorum, maximorum post homines natos, Oratorum exempla tanti sunt ponderis, ut quem hæc non moveant, hunc quid tandem movere possit, non reperiam.

De Histrionibus hodiernis.

At hic A. vereor, ne qui sint inter vos, qui ex me quærant: Quid agis adolescens, tune Comœdos, Histriones, Mimos ex Eloquentiæ Studiosis facere paras? Egone? Histriones? Quos? an viles illos, qui in scenam prodeunt mer-

mercede conducti? qui quaestus caussa quamlibet personam induunt? qui passim urbes vagantes artem suam venalem habent? qui merito Romano jure infamia notantur? qui non nisi spurcos amores, turpissimas meretriculas, impuros Balliones in scenam producunt? qui non nisi obscoenis atque impudicis dictis, lascivis motibus, risum spectatorum captant? qui virtutem rident, vitiis applaudunt? quibus furta, adulteria, stupra, fraudes, caedes, perjuria, ludi jocique sunt? Quibus modestia, candor, castitas, fides, probitas, religio, est stultitia? qui nos ex Christiana Ecclesia in Paganismum identidem traducunt? Nil nisi Deos Deasque crepant, hos invocant, his vota faciunt, per hos dejerant, horum flagitia laudant, horum exemplum sceleribus suis praetexunt; in eosdem etiam, conversa oratione, horrendas quandoque blasphemias evomunt? qui superbiam, qui immanitatem, qui duella, qui αὐτοχειρίαν, tanquam magni & generosi animi signa, depingunt?

Absit à me A. absit, ut in hac impietatis schola teneros Adolescentium animos Eloquentia imbui velim. Quanticunque eam facio, tanti tamen non est. Satius esset balbutire, immo satius mutum esse, quam non sine summo animi periculo Eloquentiam discere. Hoc sane pretio si Eloquentia emeretur, magno nimis emeretur. Quod si itaque probo Comoedias, Comoedias intelligo non conductorum histrionum, sed ingenuorum Adolescentium, non mercenariorum mimorum, sed artium liberalium Studiosorum, quales ipsi aliquando Principes sine dignitatis imminutione agere non erubescunt. Comoedias probamus, sed castas, graves, honestas: sales commendamus, at non obscoenos. Lepores placent, sed urbani. Joci, sed pudici. Tendat tota Dramatis oeconomia ad morum elegantiam, ad virtutis amorem, vitiorum horrorem. Prodeat virtus facie adeo pulchra, adeo amabili, ut spectatores omnes in admirationem sui, amoremque rapiat: habeat pedissequas gloriam & felicitatem. Spectentur vitia, modo vultu ita horrido, ut nihil illis detestabilius videatur, modo ita distorto, ut sapientibus omnibus risui sint. Sequantur ea contemptus, ludibrium, infamia, metus, angor, tormenta, supplicia, mors, mala omnia. Delitescant intra aulaea, quae sine impietate produci non possunt. Tales denique sint Comoediae nostrae, quas ipsi illi ferrei Lacones probarent, quas *Plato* in Rep. sua toleraret, quas *Cato* cum voluptate aspiceret, quas Vestales sine pudicitiae laesione spectare possent, &, quod caput est, quas Christianos homines & agere & spectare decet.

At enim ita steriles nimis erunt Comoediae, jejunae, omni lepore atque ornatu destitutae. Sed quaenam, obsecro vos, Comoediae ornamenta sunt? An nomina Deorum, Dearumque gentilium? Enimvero si qui sunt, qui ita sentiunt, hos haud inconcinne assimilaveris ineptis illis Poëtis, qui tum demum characterem sublimem se attigisse, atque in bicipiti Parnasso somniasse sibi videntur, si singulis versibus nomina sonantia Deorum gentilium una cum epithetis suis, magna solicitudine ex aerario quodam poëtico conquisitis, infarciunt, hisque, ceu totidem gemmis, carmina sua distinguunt.

An

An obscœni scurrilesque joci Comœdiam potissimum ornant? Equidem scio multos esse, quibus nulli in hoc genere ludi sapiunt, nisi qui iteratis ejusmodi dictis logisque splenem & pulmonem eorum perpetuo exercent. Qui sane rusticis mihi similes videntur, quibus artificiosæ peritissimorum Musicorum modulationes præ rusticis illis modis, ad quos saltare sæpius consueverunt, meræ ineptiæ videntur. Hos fortasse ludi, quos probamus, non semper delectabunt. Quid tum? Neque Midam Apollinis cithara delectavit. At delectabunt castos, at probos, at sapientes, at doctos artisque peritos, qui non ridiculum quærunt sed aptum, non distortum sed concinnum; & si non scurræ, ii certe, ut Plautino utar verbo, *qui pudicitiæ præmium esse volunt, plausum dabunt.*

At amoribus, dicent forsan quidam, destituuntur ludi nostri? Quænam vero sine Venere in iis Veneres erunt? Quid est sine amoribus Comœdia? si non, corpus sine animo, cibus sine sale? Sane qui ita loquuntur, prorsus mihi, in quo ars Comica consistat, aut quænam præcipua sit in illa voluptas, ignorare videntur. Quid veteres Tragici Græci pariter ac Latini? Hi spectatores suos, credo, nulla voluptate affecerunt, cum alios quocunque in fabulis suis affectus, quam amores expresserunt. Quid *Plautus*? minusne elegans vobis videtur in Captivis, in qua Comœdia, ut ipse ait, *Nullæ sunt subagitationes, nulla amatio*, quam in cæteris? Hæc vero non mihi soli, sed emunctissimæ naris judicibus una omnium Comœdiarum Plautinarum elegantissima videtur. Quid alii Poëtæ? Tumne solum delectant, cum amores suos canunt: frigent, sordent, jacent, cum prælia, pericula, tempestates, cædes, mortes; cum amicitiam, iram, odium, invidiam, aliaque innumera, tam graphice depingunt. Quis non *Virgilium* reliquis Poëtis anteponit? At hic solus castus semper est, cæteri omnes, nimis heu frequenter! immundi & impudici.

Omnino A. speculum vitæ Comœdia est, & picta quædam actionum humanarum imago. Ut pictura placeat, quid depictum sit, parum interest, sed quomodo quidque pictum sit, quæritur, quantum id ad rei ipsius veritatem accedat. Pingat Venerem Apelles, uvas Zeuxis, Parrhasius velum, omnes æque placent, si ex æquo naturas rerum, quas depinxerunt, exprimunt. Non ideo præstat Apellis pictura, quod is Deam amorum, reliqui res sensu carentes depinxerunt.

Non alia Comœdiæ ratio est. Is omne punctum fert, is prodest, is delectat, qui personam, mores, affectus, quoscunque demum in scena repræsentare vult, optime, & vivis, quantum fieri potest, coloribus depingit; spectatoresque suos in rem quasi præsentem deducit, & quoscunque cupit, in eorum pectoribus animi motus imprimit. Tum, tum A. mirificam sentimus in his ludis voluptatem, cum animus noster in hoc spectaculo nunc hos nunc illos in se affectus oriri sentit; cum actionem quandam heroicam admiramur, ac tacitum quoddam imitandi studium animo se nostro insinuat; cum

vir-

virtuti applaudimus, ejusque felicitate exultamus; cum, quod illi adversatur, aversamur; cum bonis ex animo favemus; cum arctam quandam amicitiam cum certa in Comœdia persona, singulari & conspicua virtute prædita, inimus, pro hac laboramus, pro hac solliciti sumus, cum hac amicos inimicosque communes habemus, pro hac tacita vota facimus, hujus periculis metuimus, hujus malis dolemus, hujus innocentia & virtute detecta gaudemus. Cum denique ortarum hinc inde difficultatum, imminentiumque periculorum, eventum anxie expectamus.

In his animorum motibus, horum perpetua vicissitudine, hujusque sensu, consistit incredibilis illa Comœdiarum & Tragœdiarum delectatio. Hæc suspensos spectatores tenent, hæc animos rapiunt, hæc attentionem conservant ac semper renovant. O liberalem voluptatem, quam solam puram, solam animi voluptatem, dicere possumus! Hæc non, ut reliquæ, corpus emollit, vires enervat, animum effœminat; sed hunc erigit, hunc confirmat, hunc ad magna excitat. Hæc constans virtutis, cujus pulchritudinem in scena amare incepimus, in tota postea vita imitandæ propositum in nobis accendit. Hic non, ut in aliis rebus, dissident honestum, utile, jucundum. Ipsum quod hic jucundum est, utile quoque est; immo ipsa jucunditas, utilitas.

Spernite igitur, Condiscipuli, spernite cæteras voluptates, non vobis, non hac indole ad præclara facta, non his, quas elegistis, liberalibus studiis dignas. Quod si quando à curis severioribus remissionem animi quæritis, sit hoc otium vestrum; ita nunquam minus otiosi eritis, quam cum eritis otiosi. Lusum quæritis? Age ludamus, Condiscipuli, sed hic ludus noster sit, quem non ludere modo, sed lusisse sæpius, olim & delectabit & proderit. Sordebunt, credite mihi, hæc, in quas imperitum vulgus ruit, corporis deliciæ, si has ingenii delicias semel degustaveritis. Sed trahat sua quemque voluptas. Nos certe, quantum cæteri cuticulæ curandæ, quantum cultui corporis, quantum capillis ornandis, quantum faciei componendæ, quantum somno, quantum vino, quantum aleæ, quantum pilæ, tantum amœnissimis hisce ludis temporis tribuemus.

Vos vero, Patres, si quos in nobis virtutis igniculos, si generosos ad præclara impetus, si quem in bonis litteris proficiendi ardorem in nobis cernitis: conatus nostros, quantum potestis, potestis autem plurimum, excitate, juvate, promovete. Restituite nobis ludos, qui & olim in Scholis nostris floruerunt: Restituite hoc virtutis & Eloquentiæ Gymnasium, è quo maximi & doctissimi quondam Viri prodierunt. Jucundissimum sane vobis erit hoc spectaculum; non jam peregrinos histriones, sed notos vobis adolescentes, quorum ipsa ætas nescio quam tacitam commendationem habet,

 disci-

diſcipulos veſtros, propinquos, conſanguineos veſtros, filios, nepotes veſtros, varia ſolertia circa vos ludentes videre, eorum indoles diſcernere, æmulatione delectari, παῤῥησίαν admirari, dexteritati applaudere, de ſuo cuique propinquo gratulantium vota audire, chariſſimis hiſce pignoribus linguis animiſque favere, eorum denique profectibus præ gaudio illachrymari.

DIXI.

ORATIO

DE

FIDE HÆRETICIS SERVANDA;

Qua demonstratur, Ecclesiæ Romanæ injuriam non fieri, cum dicitur contrariam huic doctrinam & praxin in ea sæpe obtinuisse.

QUI caussam suam adversus alios tuentur, duo fere sibi proposita esse existimant, ut & sententiam suam idoneis argumentis fulciant, & si qua adversarii ad caussam suam colorandam excogitarunt, solide & perspicue diluant atque refellant. Mihi P. & A. si nihil aliud hoc tempore negotii datum esset, expedita omnis foret oratio, promtamque vobis de hostibus victoriam pollicerer. Quid enim facilius est, quam demonstrare, promissis pactisque standum esse, fidem datam esse servandam, & servandam cujuscunque ordinis, cujuscunque sectæ, cujuscunque Religionis hominibus? Quid tandem contra sententiam tam piam, tam necessariam, tam certam & indubitatam afferri potest, quod non à quovis facili negotio dilui possit, atque dissolvi?

Nunc vero, quando cum iis mihi adversariis res est, quorum plerique, quod animo tenent, & ipso opere constanter sequuntur, partim pudore, partim astutia studiose dissimulant; qui Deum hominesque testantur, atrocem sibi fieri injuriam, quoties illos credere dicimus: *Fidem hæreticis non esse servandam*, difficilior mihi existit disputatio.

In hoc enim præcipue laborandum est, ut demonstrem, pestilentissimam hanc, de qua loquor, opinionem à Pontifice Romano ejusque adoratoribus, & foveri perpetuo, & qua data occasione, Regibus & Principibus inspirari. Quod si, ut spero, planum erit; in hujus dogmatis impietate probanda non diu vos morabor.

Regat modo Deus dicentem, vestraque sublevet patientia; qua tanto minus abutar, quod apud eos me dicere video, quibus ad fidem faciendam, non ignota patefacere, sed notissima tantum in memoriam redigere necesse est.

Nolim equidem affirmare, omnes quotquot in Ecclesiæ Romanæ communione vivunt, tetri hujus dogmatis labe esse infectos. Reperiuntur, neque enim de hoc dubito, generosiores animæ, quibus fide & constantia nihil prius est, quibus omnis perfidiæ macula turpis & ignominiosa videtur; qui horrent ad perjurii nomen; à quorum indole nunquam extorquebis, ut fidem cuicunque homini datam sub quocunque prætextu fallant. Sunt homines sagaces, qui se à versutis his perfidiæ Magistris decipi non patiuntur. Sunt ingenia moderata, qui zelo pro Religione sua non usque eo excæcantur, ut nullum scelus non sanctum fieri putent, simulatque ad religionis propagationem adhibetur. Sunt Principes ingentis animi, qui *Carolum* V. Imperatorem imitantur, qui cum ad fidem, quam *Luthero* dederat, fallendam sollicitaretur, dignam tanto fastigio, dignam tam excelso animo vocem emisisse dicitur; *Fidem rerum promissarum, etiamsi toto orbe exularet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.*

At hi omnes hunc animum, hunc candorem, hanc moderationem, hanc in fide servanda religionem & constantiam Deo debent, atque excellentis cujusdam indolis bonitati; non paternis Papæ Romani admonitionibus; non moderatis Nunciorum Apostolicorum consiliis. Per horum enim non paucos si staret, nullum pactum, nullum jusjurandum tam sanctum, tam solenne foret, quod non, quamprimum religionis suæ, aut verius, potentiæ incrementum, id posceret, rescinderetur protinus, atque disrumperetur.

Neque vero mirari debemus, istos homines tantopere irasci atque vociferari, quoties illis hoc dogma exprobramus. Quod si quis enim statueret; licere hominem insidiis circumvenire, bonis spoliare, vi aut fraude jugulare; dummodo illum, cui hæc facias, pro hæretico habeas; quis hominum tam impudens esset, ut tametsi id crederet hoc se credere fateri auderet? Non minoris certe impudentiæ foret, palam se credere fateri, licitum esse, fidem

dem & jusjurandum rumpere, dummodo illum, cui hoc facias, hæreticum esse arbitreris.

At non solus infamiæ metus obstat, quo minus Papæ mancipia præclarum hoc suum dogma fateantur. Possunt enim, sicubi opus est, frontem perfricare, pudoremque omnem deponere.

Fidem hæreticis servandam non esse, utile est credere, sed non utile fateri. Non eliminandum est hoc Pontificiæ dominationis arcanum, ne vim suam amittat. *Ira*, ut inquit Tragicus, *quæ tegitur nocet*;

Professa produnt odia vindictæ locum.

Impium Lysandri Lacedæmonii dictum circumfertur, *pueros talis, viros jurejurando fallendos esse.* Ego vero existimo Lysandrum cum hoc diceret, neminem amplius decipere voluisse. Quem enim, postquam hoc ipsi excidit, capere potuisset, nisi stultissimum?

At non ita techinarum atque fallaciarum suarum pertæsi sunt Romanæ Dominationis Ministri, quin in posterum quoque has sibi utiles fore, perspiciant. Clamandum itaque est, Quiritium fides imploranda, impudentissimi mendacii arguendi sunt, quotquot reperiuntur, qui fraudum hanc doctrinam sibi tribuere audent. Laborandum est, ut his clamoribus fidem apud nos retineant; quæ si nutaret, non amplius fraudibus suis pateremus; non amplius pactis & jurejurando tam facile nos irretirent, quod tam felici successu, toties in hunc usque diem fecerunt.

Neque etiam opus esse credunt Versutiores, ut tam crude, & plenis, quod ajunt, buccis pronuntient: Hæreticis non esse fidem servandam. Potest hoc dici tectius, ut non nisi quos necesse est, id dici animadvertant. Docendum est cum quibusdam, fidem omnino hæreticis esse servandum; *dummodo promissa iis facta sint licita.* In alio vero loco, ut fraus non videatur, docendum est, *nulla promissa hæreticis facta esse licita*; aut saltem iis conditionibus omnia sunt adstringenda, ut, cum ad particularia ventum est, semper aliquid inveniatur, quo promissum factum illicitum fuisse probari possit.

Habebunt qui pacta rescindere voluerint, semper à suis partibus Pontificis judicium, judicio cujuslibet privati longe anteponendum, qui omnia pacta cum hæreticis, uti nos vocant, ubique locorum inita, bullis suis tanquam perniciosa & illegitima condemnavit, atque irrita pronuntiavit. Hoc si non sufficit, præsto semper erunt æquivocationes, uti vocant, ac *reservationes mentales*; quibus vis omnis pactorum atque fœderum eludatur. Neque unquam Papæ deerit via aliqua; si non *justitiæ*, uti loquitur, saltem *expedientiæ*, qua sub honesto prætextu, sicuti volueris, pacti cujusque obligationem effugere possis.

Veruntamen non tanti sunt simulatores adversarii nostri, quin iis non-

Nunc vero, quando cum iis mihi adverſariis res eſt, quorum plerique, quod animo tenent, & ipſo opere conſtanter ſequuntur, partim pudore, partim aſtutia ſtudioſe diſſimulant; qui Deum hominesque teſtantur, atrocem ſibi fieri injuriam, quoties illos credere dicimus: *Fidem hæreticis non eſſe ſervandam*, difficilior mihi exiſtit diſputatio.

In hoc enim præcipue laborandum eſt, ut demonſtrem, peſtilentiſſimam hanc, de qua loquor, opinionem à Pontifice Romano ejusque adoratoribus, & foveri perpetuo, & qua data occaſione, Regibus & Principibus inſpirari. Quod ſi, ut ſpero, planum erit; in hujus dogmatis impietate probanda non diu vos morabor.

Regat modo Deus dicentem, veſtraque ſublevet patientia; qua tanto minus abutar, quod apud eos me dicere video, quibus ad fidem faciendam, non ignota patefacere, ſed notiſſima tantum in memoriam redigere neceſſe eſt.

Nolim equidem affirmare, omnes quotquot in Eccleſiæ Romanæ communione vivunt, tetri hujus dogmatis labe eſſe infectos. Reperiuntur, neque enim de hoc dubito, generoſiores animæ, quibus fide & conſtantia nihil prius eſt, quibus omnis perfidiæ macula turpis & ignominioſa videtur; qui horrent ad perjurii nomen; à quorum indole nunquam extorquebis, ut fidem cuicunque homini datam ſub quocunque prætextu fallant. Sunt homines ſagaces, qui ſe à verſutis his perfidiæ Magiſtris decipi non patiuntur. Sunt ingenia moderata, qui zelo pro Religione ſua non usque eo excæcantur, ut nullum ſcelus non ſanctum fieri putent, ſimulatque ad religionis propagationem adhibetur. Sunt Principes ingentis animi, qui *Carolum* V. Imperatorem imitantur, qui cum ad fidem, quam *Luthero* dederat, fallendam ſollicitaretur, dignam tanto faſtigio, dignam tam excelſo animo vocem emiſiſſe dicitur; *Fidem rerum promiſſarum, etiamſi toto orbe exularet, tamen apud Imperatorem conſiſtere oportere.*

At hi omnes hunc animum, hunc candorem, hanc moderationem, hanc in fide ſervanda religionem & conſtantiam Deo debent, atque excellentis cujuſdam indolis bonitati; non paternis Papæ Romani admonitionibus; non moderatis Nunciorum Apoſtolicorum conſiliis. Per horum enim non paucos ſi ſtaret, nullum pactum, nullum jusjurandum tam ſanctum, tam ſolenne foret, quod non, quamprimum religionis ſuæ, aut verius, potentiæ incrementum, id poſceret, reſcinderetur protinus, atque diſrumperetur.

Neque vero mirari debemus, iſtos homines tantopere [illegible] vociferari, quoties illis hoc dogma exprobramus. Quod ſi [illegible] et; licere hominem inſidiis circumvenire, bonis ſpoliare, [illegible] are dummodo illum, cui hæc facias, pro hæretico hab[illegible] ilum impudens eſſet, ut tametſi id crederet hoc ſe [illegible] eret minoris certe impudentiæ foret, palam ſ[illegible] tum

dem & jusjurandum rumpere, dummodo illum, cui hoc facias, hæreticum esse arbitreris.

At non solus infamiæ metus obstat, quo minus Papæ mancipia præclarum hoc suum dogma fateantur. Possunt enim, sicubi opus est, frontem perfricare, pudoremque omnem deponere.

Fidem hæreticis servandam non esse, utile est credere, sed non utile fateri. Non eliminandum est hoc Pontificiæ dominationis arcanum, ne vim suam amittat. *Ira*, ut inquit Tragicus, *quæ tegitur nocet*;

Professa produnt odia vindictæ locum.

Impium Lysandri Lacedæmonii dictum circumfertur, *pueros talis, viros jurejurando fallendos esse.* Ego vero existimo Lysandrum cum hoc diceret, neminem amplius decipere voluisse. Quem enim, postquam hoc ipsi excidit, capere potuisset, nisi stultissimum?

At non ita technarum atque fallaciarum suarum pertæsi sunt Romanæ Dominationis Ministri, quin in posterum quoque has sibi utiles fore, perspiciant. Clamandum itaque est, Quiritium fides imploranda, impudentissimi mendacii arguendi sunt, quotquot reperiuntur, qui fraudum hanc doctrinam sibi tribuere audent. Laborandum est, ut his clamoribus fidem apud nos retineant; quæ si nutaret, non amplius fraudibus suis pateremus; non amplius pactis & jurejurando tam facile nos irretirent, quod tam felici successu, toties in hunc usque diem fecerunt.

Neque etiam opus esse credunt Versutiores, ut tam crude, & plenis, quod ajunt, buccis pronuntient: Hæreticis non esse fidem servandam. Potest hoc dici tectius, ut non nisi quos necesse est, id dici animadvertant. Docendum est cum quibusdam, fidem omnino hæreticis esse servandum; *dummodo promissa iis facta sint licita.* In alio vero loco, ut fraus non videatur, docendum est, *nulla promissa hæreticis facta esse licita*; aut saltem iis conditionibus omnia sunt adstringenda, ut, cum ad particularia ventum est, semper aliquid inveniatur, quo promissum factum illicitum fuisse probari possit.

Habebunt qui pacta rescindere voluerint, semper à suis partibus Pontificis judicium, judicio cujuslibet privati longe anteponendum, *qui omnia pacta cum hæreticis, uti nos vocant, ubique locorum inita, bullis suis tanquam perniciosa & illegitima condemnavit, atque irrita pronuntiavit.* Hoc si non [illegible], præsto semper erunt æquivocationes, *uti vocant*, ac reservatio[illegible]; quibus [illegible] omnis pactorum atque fœderum [illegible]. Neque [illegible] pæ c[illegible] aliqua; si non *justitiæ*, uti [illegible], [illegible] xpec[illegible] sub [illegible] etextu, sicuti *volueris*, [illegible] iatio[illegible] e [illegible]

[illegible] simulatores adv[illegible]

nunquam ex intimis pectoris penetralibus eæ erumpant voces, quibus suum in hæreticos animum aperte prodant. Erupit hæc vox *Jacobo Simancæ* Episcopo *Pacensi*; cum magna contentione & insigni contra hæreticos zelo. *Nulli*, exclamat, *nullo, nullo modo fidem hæreticis esse servandam; etiamsi juramento firmata sit*; cum, *ad odium & pœnam hæreticorum pertinere*, scribit; *quod fides illis data servanda non sit, non obstante juramento.* Cum sententiam suam præclara hac confirmat ratione: *Si tyrannis, piratis, & ceteris prædonibus fides servanda non est, qui corpus occidunt, longe minus hæreticis pertinacibus, qui occidunt animas.* Similia aperte docent, *Conradus Brunus*, *Cardinalis Hosius* Polonus & alii.

Quid hic respondebunt qui tantopere injuriam hac in re sibi fieri clamant? Numquid hi omnes graves sunt auctores, qui sententiam quamcunque auctoritate sua tutam & probabilem reddere possunt? An non igitur absolverent in Confessionis suæ tribunali, Principem qui *probabilem* tantorum Virorum sententiam sequens, fœdus pactumque cum hæreticis initum rupisset? Absolverent certe, nisi omnia Theologiæ suæ moralis fundamenta vellent subruere.

Quod si vero Princeps non satis tutam crederet horum Doctorum de *probabilitate* opinionem, nec tanti videretur gravissimi Doctoris, *Episcopi*, & Cardinalis auctoritas, ut horum sententiam sine periculo sequi se posse crederet; hunc illi scrupulum eximet *Constantiensis Concilii* definitio, quod diserte statuit: *Non obstante salvo conductu ab Imperatore impetrato, posse hæreticos puniri à judice Ecclesiastica, etiamsi salvo conductu confisi venerint ad locum judicii, alias non venturi; ipsumque Imperatorem, si fecerit quod in se est;* id est; si fecerit quod fecit *Sigismundus Imperator; non amplius obligari.* Tollet denique omne dubium infallibilis *Gregorii VII. Innocentii III. Pii V. Sixti V.* aliorumque Pontificum auctoritas, qui subditos ab obediendia & fide Principibus suis jurata immunes pronuntiarunt, ideo tantum, quia Pontifici Principes istos tanquam hæreticos excommunicare placuit. Hoc cum facit Papa, annon aperte dicit: *Fides iis, quos ego hæreticos appello, non est servanda.*

De hoc vero argumento, quomodo ipsi Pontifices Romani loqui soleant, cum clam & inter suos se loqui existimant, demonstrabo Audit. *Clementis Octavi* exemplo, memorabili sane dignoque vestra omnium attentione. Flagrabat Pontifex iste ingenti desiderio, Regnum Angliæ, cui tunc *Elisabetha* præerat, dominationi suæ subjiciendi. Usurus ad hoc perficiendum *Philippo II.* Hispaniæ Rege, callido Principe & ambitioso, qui huic regno jam à longo tempore inhiabat. Sed obstabat *Henricus IV.* Galliæ Rex, qui nisi in partes traheretur, felix consilii successus sperari non poterat. Habebat is apud Pontificem *Arnoldum Ossatum*, qui in Rege suo sedi Romanæ reconciliando vehementer laborabat. Hunc Oratorem Papa aggressus, suum de regno Angliæ consilium illi aperit; nihilque aliud ad præclarum hoc facinus, quam pacem Regis sui cum Hispanis, desiderari ostendit. *Ossatus* attonitus nihil

nihil quidem aliud in præſens reſpondit, quam ſe literas hac de re ad Regem ſcripturum. Paucis vero diebus interjectis ad Pontificem rediens, magnum circa hanc cum Hiſpanis pacem ſcrupulum animo ſuo hærere, inquit, quod Rex ſuus, qui ſingularem in fide ſervanda religionem & conſtantiam præ ſe ferat, vix poſſit adduci, ut à pace, cum *Eliſabetha* recens renovata & publice jurata, tam cito poſſit deſciſcere.

Quid putatis Papam reſpondiſſe ad ſcrupulum hunc conſcientiæ, Regi ejusque Oratori eximendum? Nihil circuitione utitur: *Hæretica*, inquit, *juratum eſt; aliud eſt jusjurandum iſto antiquius, quo Rex tuus Deo mihique eſt obſtrictus.* Num apertius Papa decidere poteſt fidem *Eliſabethæ* non eſſe ſervandam, idque ea tantum de cauſſa, quod hæretica ſit. Sed non ſubſtitit hic zelus ſanctiſſimi Patris; *Reges*, pergit in eodem colloquio, *magnique Principes omnia ſibi permiſſa putant, quæ in rem ſuam fore credunt; eoque res venit, ut nemo hoc illis vitio vertere audeat.* Dictumque hoc confirmavit Pontifex auctoritate (Scripturæ fortaſſe & Patrum, creditis, ſed fallimini) auctoritate, inquam, *Franciſci Mariæ Urbinatium* Ducis, qui dicere ſolitus ſit: *Nobilibus & Dynaſtis inferioris ordinis ignominioſum eſſe, promiſſis non ſtare. Majores vero Principes, quoties id poſcit, quod rationem ſtatus vocant, poſſe pacta diſſolvere, fœdera rumpere; fallere, mentiri, pejerare &c. neque propterea ullius hominis reprehenſionem incurrere.* Agnoſcitis, Aud. vocem ſummi Paſtoris; Infallibilis illius Doctoris, qui Spiritum S. in pectore circumgeſtat. Videtis, qua ratione optimus iſte Pater filium primogenitum, recens converſum, in veritatis atque juſtitiæ ſemita inſtruat.

Quæ narravimus ne quis fortaſſe ficta à nobis eſſe cauſſetur, extant etiam nunc in literis *Arnaldi Oſſati* Viri magni & judicii & fidei, qui ab hoc ipſo *Clemente VIII.* paulo poſt in numerum Cardinalium eſt cooptatatus; & ſcripta ſunt *Nicolao Villaregio*, primario tum temporis Regis Galliæ Miniſtro. Quibus quidem in literis ſibi temperare nequit *Oſſatus*, Vir alioqui moderatiſſimus, quin hoc de *Clemente* Papa judicium ferat; *Papam optimum cætera Virum tantopere ab odio in hæreticos abripi, ut ex ore ſibi excidere patiatur, dicta pernicioſa, & quovis Viro bono indigna; ſanctiſſimoque Patri omnem Regem Galliæ à ſociis abſtrahendi rationem, infamem licet, legitimam videri ea tantum de cauſſa, quod fœderati Regis Galliæ Catholici non ſint, neque auctoritatem Sanctæ Sedis agnoſcant.* Eant nunc Pontificis Gnathones, & nos calumniæ ſi poſſunt accuſent, quod hoc illis dogma tribuimus: *Fidem hæreticis non eſſe ſervandam.*

Quod ſi tamen iſti homines linguam eo uſque frenare potuiſſent, ut nunquam illa pectoris arcana prodidiſſet, non ita certe animum in poteſtate habuerunt, ut non opere ipſo ejus ſenſa ſæpiſſime demonſtraverint. Nondum eluere potuerunt ſupplicium *Johannis Huſſi* contra datam ab Imperatore fidem, à *Concilio Conſtantienſi* tanquam hæretici ad rogum damnati & combuſti.

busti. Nondum *Uladislai Hungariæ* & *Poloniæ* Regis ruptum, instigante Pontifice, cum *Turca* fœdus, clade *Varnensi* nobilitatum pariter & punitum. Nondum alia quæ Majores nostri illis exprobrarunt.

Scimus quantopere miseri homines laborent, in mollienda horum factorum invidia. Sed, ut de *Constantiensibus* primum *Patribus* dicam; num negare possunt adversarii, *Hussum* literarum publicarum, quas *salvi conductus* vocant, ab Imperatore concessarum fiducia *Constantiam* venisse; hac fiducia deceptum, non impediente Imperatore, ante cognitam & judicatam ejus caussam in carcerem detrusum, ex hoc denique protractum esse ad supplicium, ab ipso *Sigisinundo* confirmatum. Fides, aiunt, ipsi data erat ab Imperatore, non à Concilio. Quis igitur tum temporis dominium in urbe Imperiali exercebat? Imperatorne; an peregrini quidam Episcopi & Doctores, quos in urbe sua congregari passus est? An vero, si Imperator patitur Episcopos in urbe sua convenire, Dominus ibi esse desinit? Nullum Patribus hujus Concilii jus erat, in corpus *Hussi*, nisi ipsis fuisset ab Imperatore, in cujus potestate erat, traditum. Hoc se non facturum promisit Imperator. Num stetit promissis? Si non stetit; quis ipsum ad fallendam fidem induxit? quis nisi Concilii Patres?

At enim cavit *Sigismundus Husso* à vi, non à justitia. Quid igitur metuit *Hussus*, præterquam illud ipsum quod hi *justitiam* vocant? Nempe ne Patribus hujus Concilii, inimicis suis traderetur; ne ab iis in carcerem conjiceretur; ne adigeretur ad sententiam, quam veram esse credebat, ejurandam; ne renitenti cruciatus ignis, aliave supplicia pararentur. Contra horum sævitiam, quam isti justitiam appellant, literas securitatis ab Imperatore & petiit & obtinuit. His confisus Constantiam ivit. Sed hac confidentia turpissime fuit deceptus. At fecit, aiunt, Imperator quod potuit. O impotentem Imperatorem! cui non integrum est per quosdam Episcopos in terra sua congregatos, unicum caput, quod fidei suæ se permittit, ab inimicorum sævitia tutum præstare. Si scivit Imperator quanto sit his Episcopis inferior; quam parum possit in urbe, ubi Concilium habetur; cur igitur *Husso* securitatem promisit? Cur non impotentiam suam confessus, *Hussum* ad Concilii Patres ablegavit, tanquam ad potestatem sua longe superiorem, tanquam ad Dominos urbis, in qua congregantur? Nullus igitur fucus afferri potest, ad hanc perfidiam colorandam.

Factum vero *Uladislai Hungariæ Regis*, quo tandem colore illinent? Negent quod tamen auctores non contemnendi tradunt, *Uladislaum* hostiam consecratam Turcis ad pacem confirmandam oppignorasse. Negent *Amurathis* male rem gerentis preces: *Christe, si Deus es, vindica tuorum perfidiam* Quis est, qui negabit, pacem inter *Uladislaum* & *Amurathem* in decennium factam, fuisse in publicas tabulas relatam, sanctissime juratam, hinc *in Evangelio*, illinc *in Alcorano*? Quis negabit *Amurathem* hujus pacis fiducia copias omnes

ex

ex Europa in Asiam traduxisse? Tum vero *Uladislaum*, rupto fœdere, Turcam aliis rebus implicitum subito adortum, bellum redintegrasse. Quis negabit, auctorem rumpendi fœderis fuisse *Eugenii Quarti* Legatum *Julianum Cardinalem S. Angeli*, qui tamen ipse paulo ante huic paci subscripserat? Quis negabit, Legatum Pontificis, hujus nomine & auctoritate fecisse, quicquid fecit? Hoc si quis dubium reddere vellet, extat etiamnum hujus Legati ad Hungariæ Proceres oratio.

Cum vero prius nescio quod fœdus cum Pontifice ictum prætexitur, quod fœdus cum Turcis illegitimum reddiderit, somnium narratur. Proferantur tabulæ hujus fœderis cum Pontifice initi, quod *Uladislao* seorsum cum Turcis paciscendi libertatem ademerit. Et si illegitimum fuit, cur igitur illud Pontificis Legatus, & per Legatum ipse Pontifex comprobavit? Denique si maxime talis fuisset societas; quis unquam audivit, in bello sociorum plurium, quod offensivum vocant, si unus Sociorum inconsulto altero, aut invito, cum hoste paciscitur, pacemque jurejurando confirmat, posse illum à Sociis admonitum jure bellum redintegrare, hostemque juratæ pacis fiducia securum nihilque tale metuentem aggredi?

Venio nunc, Audit. ad horribile factum, quod omnibus *Lanienæ Parisiensis* nomine notum est. Non exaggerabo inauditam hujus sævitiam. Fatentur Pontifici Scriptores, nihil Solem vidisse hoc facto immanius. Illud considerate, quantus fraudum & perjuriorum apparatus viam ad præclarum hoc facinus pandere debuerit. Ut *Reformati*, quos isti hæreticos vocant, in casses traherentur, pax cum iis solemni ritu erat & facienda & juranda. Maxima lætitia excipiendi erant varii Principum exterorum Legati, qui Regi *Carolo* de hac pace congratulatum venerant. Simulandum erat fœdus cum *Elisabetha* Angliæ regina. Fingendum erat bellum cum *Hispanis*; adversus hos auxilia erant promittenda *Principi Auriaco*. Hæc omnia confirmanda erant innumeris blanditiis, asseverationibus, dejerationibus *Regis*, *regiæque Matris*. Sacrum denique *regiæ Sororis* cum *Henrico Navarræo* conjugium tot pactorum indubitatum pignus esse debebat. Ipse Pontifex *Pius* V. rem serio agi credidisset, nisi *Rex Carolus* eum bono animo & de filiali obedientia securum esse jussisset; additis his ad Legatum Pontificium, cujus manum amanter premebat, verbis: *O si mihi plura in præsens dicere liceret!*

Quis igitur miretur, Reformatos, tot promissis & dejerationibus deceptos, aures iis præbere noluisse, qui, ut *Thuanus* refert, monebant, iis non esse fidendum, *quorum nota sit regula: fidem Sectariis non esse servandam.*

Sed fortasse factum hoc tam crudele, tam perfidum, graviter à Papa, uti decet, reprehensum est. Imo vero Beatissimus Pater *Gregorius* XIII. cujus Pontificatus initium tam præclaro facinore fuit nobilitatum, nuncio hujus lanienæ ad se allato, Deo immortali & *Divo Ludovico Regi* gratias hoc nomine egit, tantumque ejus fuit gaudium, ut supplicationes, quas *processio-*

nes vocant, ideo indixerit, hasque ipse pedes obiverit. Aususque est *M. A. Muretus* coram Pontifice factum hoc in cœlum attollere. *O noctem*, exclamabat, *memorabilem & in fastis eximiæ alicujus notæ adjectione signandam, quæ paucorum seditiosorum interitu* [ita vocabat centena hominum millia cæsa] *Regem à præsenti cædis periculo, regnum à perpetua bellorum civilium formidine liberavit. Qua nocte stellas equidem ipsas luxisse solito nitidius arbitror, & flumen Sequanam majores undas volvisse, quo citius illa impurorum hominum cadavera evolveret & exoneraret in mare.*

Ultinam vero, Aud. utinam vetera tantum ruptæ nobis fidei exempla afferre possem! Nostra docent tempora, nondum cessare Papæ mancipia Principibus, in quorum gratiam admittuntur, perniciosissimam hanc inspirare doctrinam: *Fidem hæreticis non esse servandam.* Dispergi debebant ex florentissimo regno exules per totum mundum; ut toti mundo de fide sibi tanquam hæreticis non servata conquererentur: conquererentur in omnibus orbis partibus, de *Edicto* toties *repetito*, toties *jurato*; paulatim *infirmato*, & denique prorsus *abolito* atque dilacerato; idque eo tempore, quo ne minimam quidem Regi maximo, pro cujus salute toties dimicarunt, de fide sua dubitandi occasionem dederunt.

Videtis, Aud. videtis in hoc ipso Auditorio testes hujus rei, quorum integritatem in dubium vocare non potestis. Quærite ex istis, quid sibi à Regibus suis, quid ab Ordinibus totius regni promissum fuerit; quoties promissum; quam sancte, quam solenniter promissum. Quærite, qua ratione fides ipsis servata sit; quod pondus habuerit, toties interposita jurisjurandi religio? Narrabunt vobis, non sine lacrymis, qui fuerint olim, dum stetit fides; qui nunc sint. Dicent vobis, nunc hoc nunc illud privilegium contra datam fidem sibi esse ademtum; tandemque cum nihil minus mererentur, sine ulla caussa, sine ullo justitiæ colore, ad unum omnia, quorum fiducia sedem fortunarum suarum in amplissimo regno posuerant, antiquata fuisse & penitus sublata. Non modo hi, quos aspicitis, sed quos à multis annis aspexistis innumeros, etiam tacentes, sola præsentia sua testantur, & testati sunt, Pontificis adulatores nunquam desinere hoc Principibus insinuare dogma; *Hæreticis fidem non esse servandam.*

Hoc vero dogma, cujusmodi sit, ut multis vobis ostendam, non, credo, requiritis. Non requiritis, ut monstrem quanta ex eo oriatur rerum omnium confusio; quantumque periculum concitetur humanæ societati, imo ipsi Religioni. Quantam invidiam sibi conflet, quantam ignominiam sibi attrahat ea religio, quæ docet, usque eo odio habendos esse diversæ religionis homines, ut ne quidem fides jusque jurandum ipsis servandum sit. Non desideratis ut legem charitatis à Deo nobis datam, quæ nullum hominum genus excipit, vobis explicem; ut exempla vobis afferam fidei infidelibus servatæ, *Jacobi*, *Josuæ*, *Apostolorum*, imo *Dei ipsius*; ut exempla proponam perjurii

&

& perfidiæ graviter à Deo punitæ, in *Saule*, *Zedekia*, *Osia* & aliis; tametsi ii, quibus fidem fefellerunt, infideles fuerint.

Neque etiam probandum hic est, eandem religionem, quæ fidem cujuscunque sectæ hominibus sancte servandam præcipit, omnem rejicere fraudem & astutiam in promissis, vanosque quibus utuntur adversarii perfidiæ prætextus. Duo nobis in omnibus pactis, iis præsertim, quæ jurejurando firmantur, ante oculos semper versari debere; rem nobis esse cum Deo, qui decipi non possit; deinde ea nos promittere aliis, quorum spem & fiduciam pomissis nostris in eorum animis excitari novimus; hanc fiduciam qui decipiat, nullo colore à perfidiæ crimine se liberare posse. Hæc & alia vobis in memoriam redigere non opus est.

Miremur Proceres & Audit. antequam finiamus, Dei in conservanda Ecclesia sua Providentiam. Quis crederet, illam durare posse, cum omnia in ejus perniciem conjurant; cum scelus non amplius scelus; perfidia non perfidia, perjurium non perjurium est; dummodo ad delendam Dei Ecclesiam ista videantur utilia? Cui fidere possunt fideles, si considerantur, tanquam hæretici, tanquam hostes Dei & generis humani, qui ne quidem digni sint, ut fides iis servetur? Et tamen hi perstant in multis locis, & quæ Dei gratia est, florent vigentque. Scit nimirum Deus versutissimos capere in perfidia sua. Sit igitur totus mundus nobis infidelis, rumpat fœdera; frangat fidem, pacta rescindat; nullo jure jurando adstringi se patiatur. Deus fidelis manet. Hic fœdus suum non rescindit; Hic pactum servat; servat fidem, ò miram bonitatem! tametsi nos illi sæpissime infideles simus. In hoc igitur ponamus fiduciam, non in hominibus, quorum justissimi sæpe mendaces reperiuntur. Hic conservabit porro gregem suum; conservabit adversus hostium insidias & fraudes, ea instrumenta, quibus hodie ad Ecclesiæ suæ tutelam utitur, & his si amplius uti noluerit, aut alia suscitabit, aut toti mundo ostendet, ut ostendit sæpius, se nulla hominum virtute, nulla potentia, ad Ecclesiæ suæ conservationem indigere. Dixi.

ORATIO
DE
VERA STUDIOSORUM ACADEMICORUM
LIBERTATE,
HABITA CUM AUCTOR PRIMUM RECTORATUM AUSPICARETUR.

SÆPE ex nobis quærere ſolent peregrini homines, quid cauſſæ ſit, quod, cum in Scholis compluribus ſtudioſorum Adoleſcentium magnus conſpiciatur numerus, in noſtra Academia nunquam tanta cernatur frequentia, quantam ad nos allicere debere videntur, & ejus celebritas, & Urbis noſtræ amœnitas, pax & tranquillitas, omniumque rerum affluentia; tum vero Virorum clarorum, qui publico docendi munere funguntur, ſubacta in omni literarum genere eruditio, cum eximia in docendo ſolertia, parique in peregrinis excipiendis & admittendis facilitate conjuncta.

Hic vero cum, ut fit, alius aliam hujus infrequentiæ cauſſam adducat, non deſunt, qui hoc inde potiſſimum venire exiſtiment, quod ingenui, & liberaliori educatione formati juvenes non inveniant in noſtra hac urbe & Acade-

Academia jucundam illam & amabilem LIBERTATEM, qua passim in aliis frui & gaudere soleant. Quae quidem querela, justane sit an injusta, ut dijudicari possit, subiit animum in hoc Rectoratus mei exordio, *de* VERA *Studiosi Academici* LIBERTATE, pauca quaedam, neque enim longa vos oratione detinebo, praefari. Quod argumentum cum ad captum omnium sit accommodatum, nec inutile & à muneris mei ratione alienum, eandem hac horula, quam saepe alias dicenti commodastis, attentionem & benevolentiam mihi à Vobis polliceor.

Antequam vero ad id, de quo verba facere constitui, accedam, ad Deum Opt. Max. me converto, ab Eoque ardentibus peto votis, ut in provincia tam ardua rite exornanda, Spiritus sui gratia mihi adesse, atque, ut non semel usque adhuc fui expertus, in multis magnisque infirmitatibus ita potens esse velit, ut vestrae, Patres Academici, exspectationi aliqua ex parte respondeam; & quo uno me Vobis pro honore in indignum collato, gratum exhibere possum, mea qualiscunque administratio nonnihil conferat, ad Nominis sui gloriam, Rei literariae, hujusque inprimis Academiae incrementum, juventutis studiosae commodum, hujusque ad praeclara quaevis incitamentum; & quo omnia nostra vota tendere debent, ad meam pariter, & eorum, quibus hoc anno praeesse jubeor, aeternam salutem.

Quod de pace dictum est, ut ad argumentum propositum veniam; *nomen ejus dulce esse, rem vero ipsam salutarem;* idem sane de LIBERTATE merito affirmari potest, cujus amorem incredibilem non in hominibus tantum ratione praeditis, sed in brutis etiam animantibus quotidie conspicimus. Itaque si liberalium artium Studiosi, nulla in hac nostra Academia libertate gauderent, mirum non esset, si illa velut immite ergastulum & pistrinum, feraque Cyclopum officina, ab omnibus desereretur, nosque in posterum nobis ipsis solis, nostrisque Musis, cantare juberemur.

Sed nescio quomodo idem hac in re, quod ipsi Ecclesiae Christianae, idque statim in ejus incunabulis, contigit. Cum enim primi Christianismi Doctores discipulos suos à jugo legis Mosaicae immunes pronuntiarent, atque ad *libertatem Christianam* vocarent; statim inventi sunt pravi homines, qui Christianis, velut omni lege solutis, quidlibet audendi licentiam concessam dicerent. Quod in Ecclesia crescens lolium venenatum tam late postea sparsum fuit, tamque altas radices egit, ut nunquam ex ea evelli potuerit, &, quod non vane timemus, nunquam, dum stabit mundus, evelletur.

Eadem prorsus ratione, cum primum auditum esset, Reges & Principes, aliosque bonarum literarum Mecaenates, cum ad has promovendas, publicas instituissent Academias, magnis eas *libertatibus* atque *immunitatibus* dotasse; vitiis dediti homines, qui nullam aliam norunt libertatem, quam libertatem peccandi, ita statim id interpretati sunt, Academicis hominibus per istud licita facta esse, quae alias reliquis hominibus sunt prohibita. Sicque

que paulatim eo res deducta est, ut Studiosi passim considerentur, tanquam homines prorsus exleges, atque ab omni cujuscunque disciplinæ jugo immunes, hocque potissimum privilegio putarentur à pueris distingui, qui sub pædagogis eorumque ferula detinentur; Eas vero solum Academias Scholasque *Universitatum* nomen mereri, in quibus hæc effrenis licentia regnet. Reliquas omnes, ubi aliquid strictioris disciplinæ reliquum est, in classem *Scholarum trivialium*, Magistrosque in iis docentes, in censum *Pædagogorum* & Ludimagistrorum esse referendos. Talium Orbilionum munus esse, discipulos hortationibus seriis, severisque vitiorum exprobrationibus & pœnis, in officio continere. Doctores vitæ Academicæ assuetos melius nosse, quid ferat mos Academiarum, quamque indulgenter & liberaliter sint tractandi, Studiosi in iis viventes. Tales *Universitatibus* Magistros convenire, qui, quæcunque ad ipsos de Studiosorum licentia deferantur, non magis irascantur, quam *Micio* ille Terentianus: *Fores effregerunt.* Quid tum? Studiosi Academici sunt, *restituantur. Vestes disciderunt*, haud magnum id malum est, Studiosi fecerunt, *resarciantur* vestes.

Hos sane si audimus, Ludimagister & Pædagogus fuit *David*, cum jussit, ut *adolescens semitas suas purificet observando verbum Domini.* Pædagogus *Salomon* cum præcipit, ut *adolescentes jam in juventute Creatoris sui recordentur.* Pædagogus *Johannes* Apostolus, qui laudat adolescentes, quod *validi sint*, nempe in bono, quod *verbum Dei in iis habitet*, quod *improbum vicerint*; qui adolescentes præcipue etiam hortatur, *mundum ne diligant, & ea quæ in mundo sunt, cupiditatem carnis, oculorumque & superbiam vitæ.* Pædagogi, inquam, hi fuerunt, aut hæc cum præcipiunt adolescentibus, præcipiunt omnibus præterquam Studiosis Academicis.

Neque etiam moris Academici sat's peritus fuisse videtur magnus cetera Doctor *Augustinus*; hujus enim si gnarus fuisset, non tantopere fuisset offensus licentia & petulantia Studiosorum *Carthaginensium*, usque eo, ut schola patria, in qua magno cum applausu docuit, deserta, Romam concesserit ubi majorem à literarum Studiosis disciplinam observari compererat. Operæ precium est audire, quæ de his in Confessionibus suis conqueritur. *Non ideo*, inquit, *Romam pergere volui, quod majores quæstus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc suadebant, promittebatur, (quanquam & ista ducebant animum tunc meum.) Sed illa erat tunc caussa maxima & pene sola: quod audiebam, quietius ibi studere adolescentes, & ordinatiore disciplinæ coërcitione sedari, ne in ejus scholam, quo Magistro non utuntur, passim & proterve irruant, nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit. Contra apud Carthaginem fœda est, & intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter, & prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa injuriosa faciunt & punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit: hoc miseriores eos ostendens, quod, quasi jam liceat, faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit; & impune se facere arbitrantur, cum ipsa faciendi cæcitate pu-*

te puniuntur, & *incomparabiliter pejora patiuntur*, *quam faciunt.* Hæc *Augustinus.*

Enim vero, quocunque tandem nomine insigniantur, quibus hæc & alia hujusmodi displicent, non vereor dicere, si hæc licentia Academiæ & *Universitatis* character est, Academiis nihil esse execrabilius; nec tantum orbi à publicis lupanaribus, quantum à talibus impietatis scholis periculi & damni esse metuendum. In his enim formantur teneri animi, & formantur ut plurimum in totum quod superest vitæ tempus: animi non humilium modo & plebeiorum hominum, sed nobilium, eminentium, Principum, ad quorum exemplum orbis fere componitur; qui postea Regnis Rebusque publicis præsunt; in consilium adhibentur; qui populis jus dicunt, privata & publica judicia exercent; quibus valetudo hominum, quo nihil cuiquam carius est, committitur. Et quod caput est, ex his scholis quoque depromuntur omnes Episcopi, Doctores & Ministri Ecclesiæ, quorum est, alios & voce ad æternam salutem erudire; viaque monstrata exemplo quoslibet ad eam capessendam incitare.

Jam vero quid boni exspectari potest ab hominibus in talibus Scholis educatis & institutis; aut, ut rectius loquar, depravatis & corruptis; imo quid non mali ex iis in omnes Reipublicæ & Ecclesiæ partes undique diffunditur? Quales erunt ceteri de plebe homines, si ita formantur, qui *lux mundi*, *Sal terræ*; qui ceterorum duces & moderatores, qui Magistri & Doctores, qui morum cynosuræ, qui vitæ exemplaria, esse debent?

Qua igitur tandem in re, quæret aliquis, consistit illa toties decantata LIBERTAS STUDIOSI ACADEMICI; si modo illa non vanum nomen est, & vox mente cassa? At ego te, quisquis es, qui hoc ex me quæris, vicissim interrogo, quænam illa *libertas* sit, quæ mercatoribus ad publicum forum proficiscentibus à Principibus & Magistratibus permittitur; ob quod vulgo forum aliquod liberum vocatur? An libertas fidem fallendi, pacta rescindendi, pejerandi, furandi, & alià hujusmodi flagitia designandi? Negabit id opinor, cuicunque sanum est sinciput, nullamque aliam in quantumlibet *libero foro* mercatoribus *libertatem* concedi dicet, quam libertatem negotiandi, emendi, vendendi, merces omnis generis importandi & exportandi; ea denique sine impedimento faciendi, quæ mercatorum sunt, & propter quæ isti homines ad forum proficisci consueverunt.

Eadem sane ratione libertatem Studiosi Academici in nulla alia re consistere dicendum est, quam in plena facultate, ea omnia sine impedimento faciendi, quæ Studiosorum sunt, & propter quæ à Parentibus ad Academias mittuntur. Jam vero, dic mihi, num hos eo ablegant, ut ocio indulgeant, aut alea, vino, commessationibus, ludis & nugis tempus & rem consumant; ut genio indulgeant, Bacchanalia vivant; ut inter se rixentur, & digladientur; ut noctem ex die, ex nocte diem faciant, per vicos urbis grassentur,

sentur, clamoribus & tumultibus omnia repleant; & si quibus insultent, homines non reperiunt, gladiis strictis in saxa & lapides sæviant; & quæ sunt alia eorum κατορθώματα, qui se præ ceteris *moris Academici* peritos jactant.

Sane si ob hæc à Parentibus in Academias mittuntur, si ideo tot sumtibus in iis aluntur; morosi sunt Doctores, nec satis sciunt, quid sint Academiæ, quid sint Studiosi Academici, qui non plenissimam hæc omnia impune faciendi licentiam talibus hominibus concedunt. Quod si vero studiosi adolescentes in Academias veniunt, & mittuntur, tanquam ad mercatum virtutis, Sapientiæ & eruditionis, ut inde suo tempore & meliores & doctiores domum redeant, nemo non videt, tanto majore in Academia libertate gaudere quemlibet, qui liberius in ea bonis literis & virtuti operam dare atque in his proficere potest.

Tantum vero abest, ut effrenis illa, de qua modo locuti sumus, licentia partem Academicæ libertatis constituat, ut nihil magis huic sit inimicum, quod planissimum cuique videbitur, si quæ ad veram hanc libertatem faciunt, paulo distinctius considerabimus.

Quantum ego de hac re judicare possum, *quatuor* ad eam mihi requiri videntur.

1. *Ut Studiosus in Academia literis operam dare possit securus, & ab omni injuria tutus.*
2. *Ut id facere possit sine sumtibus & impensis immodicis.*
3. *Ut à literarum studio quam minimum avocetur.*
4. *Ut ei integrum sit omnibus iis mediis quam liberrime uti, quæ ad Sapientiam, veramque eruditionem comparandam & augendam sunt necessaria.*

Hæc *quatuor* si in Academia aliqua reperiuntur, non video quomodo Studiosus, si modo talis est, qualis dici & videri vult, majorem in ea libertatem requirere possit.

Quod *primo* ad *securitatem* Studiosi Academici attinet, hic plerunque talibus, non ea tantum ratione, qua ceteris tum inquilinis, tum peregrinis &, advenis in quacunque civitate, est prospectum, legibus videlicet & auctoritate Magistratus Politici, qui quamcunque injuriam à quolibet propulsare, illatamque vindicare, nunquam non paratus est: sed concessa quoque in hunc finem est Academiis & *Universitatibus* peculiaris quædam *jurisdictio*, ut ita studiosi adolescentes vivant sub regimine non immiti & severo hominum à bonis literis & literatis aversorum; sed Virorum doctorum omnique humanitatis genere excultorum, Præceptorum & Patrum, quibus discipulis suis nihil charius est, quibusque nihil aliud est propositum, quam ut hi sub tolerabili disciplina tranquille studiis vacare possint; qui denique nihil magis e re sua esse cernunt, quam ut Academia sua quam maxime vigeat, floreat

floreat & frequentetur; atque undique ingenui adolescentes ad eam alliciantur.

Unde nihil aptius hac *Academica jurisdictione* inveniri poterat, ut Studiosorum securitati & tranquillitati cautum esset. Quando hæc primum cœperit, num *Justiniani* Imperatoris temporibus jam viguerit; an à *Friderico Barbarossa* demum sit Scholis concessa, peritioribus harum rerum disputandum relinquimus. Illud certum est, nullam hodie Academiam esse, quæ non sua *Jurisdictione* gaudeat, alibi ampliori, alibi magis circumscripta.

Sed ut hæc jurisdictio ad Studiosorum securitatem utilissima est; ita perquam noxia fieret, si aut Doctores discipulis, quibus præsunt, quidlibet indulgendum censerent; aut Studiosi, quoniam sub paterna præceptorum directione sunt, nihil non sibi licere existimarent. Imo nihil magis singulorum securitati adversaretur, quam infinita talis licentia. Quod quam verum sit, satis superque docuit horrenda illa, in Studiosos recens in Academias venientes præterito seculo exercita, tyrannis, quæ sub *Pennalismi* nomine hodieque nota & infamis est; quæ anno superioris seculi trigesimo nono multarum Academiarum consensu abrogata quidem est, sed non ita, ut non multæ ejus reliquiæ passim conspiciantur, quæ sub nomine *moris Academici* (vulgo *Burschmanier*) à Veteranis Academicis, tanquam leges Sacrosanctæ, novitiis & nondum initiatis commendantur & imponuntur. Quo nihil tranquillitati & securitati Studiosorum magis inimicum hostis humani generis invenire potuit. Quid enim tuti in illis locis est, ubi contemtus omnium, injuriæ & contumeliæ; verbera sæpe & vulnera tibi sunt metuenda: nisi in potando, tumultuando, vociferando, civibus noctu exagitandis, vigilibus exacerbandis, vinosissimos, clamosissimos, rixosissimos imitari studeas? Ubi ob caussas levissimas, stultas & ridiculas, ob nescio quas offensas imaginarias, & nescio quæ peccata contra *morem* illum *Academicum*, illico gladii stringuntur & ad arma curritur. Ubi sæpe Monomachiæ illæ, quæ *duella* vocantur, longe minus puniuntur, longe magis frequentantur, & ob caussas longe magis frivolas suscipiuntur, quam inter feros milites in numerosissimis exercitibus; plane ut qui homicida ab initio vocatur, nusquam magis quam in Scholis illis, quæ Christianæ appellantur, regnum suum obtinere videatur. Quænam in talibus Academiis libertas, quæ securitas sit, tristes sæpe Parentes experiuntur, cum flebiles de filiorum in Academiis degentium cædibus nuncios accipiunt; aut quos integros, formosos, sospites & valentes in Academias miserunt, domum redeuntes vident mancos, mutilos, claudos, coclites, cicatricibus deformatos, aut languentes ægreque Spiritum ducentes, ob intemperantem vitam in Academiis actam, ad quam tamen non tam natura proni fuerunt, quam à veteranis lurconibus indentidem invitati, imo sæpe propositis minis & contumeliis adacti.

Diximus *secundo*, ad libertatem Studiosi Academici requiri, ut in Academiis degere possint *sine sumtibus & impensis immodicis*. *Antisthenes* interro-

gatus, cur paucos haberet discipulos, *quoniam*, inquit, *eos depello virga argentea*; sentiens ideo paucos ad Scholam suam venire, quod magna nimis mercede doceret. Verissime dici potest, Studiosos à multis Academiis abigi *virga* hac *argentea*; non modo cum Doctores nimis didactra poscunt, sed etiam cum in illis sine magnis sumtibus & impensis habitari & vivi non potest. Quare ad hos potissimum sublevandos & minuendos multæ sunt *immunitates* Studiosis passim ab Academiarum Fundatoribus concessæ; v. gr. *immunitas* ab tributis, vectigalibus pendendis, portoriis solvendis, & hujus generis aliis.

Eodem quoque spectant *leges sumtuariæ* circa convivia, victum & amictum. Sed huic Studiosorum libertati nihil magis inimicum est quam ipsi sæpe Studiosi; eorum luxus immodicus, frequentes & prope quotidianæ commessationes, compotationes, aleæ ceterique hujus generis lusus; & si quibus aliis Studiosi dediti sunt, quæ magnas impensas desiderant.

Hæc ubi regnant in Academiis, & ita regnant, ut nemo citra plerorumque contemtum ab iis abstinere possit; tum vero recte dici potest, magnam ibi libertatis partem Studiosis esse ademtam; libertatem videlicet parce & frugaliter vivendi, & citra patrimonii jacturam aut detrimentum literis operam dandi. Ex quo iterum perspicuum est, nihil magis veræ Studiosi Academici libertati adversari, quam licentiam illam, quæ passim in Academiis invaluit. Quid enim tibi prosunt magnæ quamlibet *immunitates*, ubi nisi contemni & ludibrio haberi velis, luxu opes superante, bona tua sunt dilapidanda, Parentes ad paupertatem redigendi; ut ad eos sæpe nihil aliud pro tot impensis, quam corpus imbecille & languidum, mentem bonis artibus inanem, moresque depravatos domum reportes?

Tertium in quo Studiosi Academici libertatem consistere diximus, est, ut qui in Academiam studiorum caussa venerunt, *quam minime à literarum studiis avocentur*. Hunc in finem procul dubio Studiosi passim in Academiis immunes sunt, ab operibus publicis, à militia, à nocturnis excubiis, aliisque hujus generis oneribus. Hinc jam suo tempore *Diocletianus* & *Maximianus* Imperatores iis, qui *Beryti* Studiis liberalibus operam dabant, vacationem à publicis patriæ civitatis muneribus in annum usque vicesimum quintum largiti sunt. Cujus quidem constitutionis, quis scopus fuerit, ex ipsis ejus verbis patet, cum Imperatores se, *providendo utilitati publicæ*, decernere dicunt, *ut singuli usque ad vicesimum quintum ætatis annum à studiis ne avocentur*.

Hoc quoque consilio videntur multæ Academiæ in urbibus minus frequentibus & populosis, sæpe exiguis & ignobilibus collocatæ; quoniam fortasse creditum est, tumultus & strepitus, crebra spectacula, pompas, festivitates, quæ in magnis & populosis civitatibus, præsertim, ubi aulæ Principum sunt, frequentantur, Studiosos nimis distrahere, & curiosos juvenum animos ita allicere & fascinare, ut non possint *hoc agere*; id est, libere studiis literarum, quorum gratia in Academias venerunt, vacare.

Sed

Sed inter omnia huic quoque libertati nihil magis obstat, quam ingens eorum numerus, qui nomine Studiosi sunt, revera quidlibet aliud, quam literarum studia tractant. Hi Academiarum pondera & pestes non sibi tantum sunt inutiles, sed melioribus & diligentioribus usque impedimento sunt; eos à studiis nunc ad hæc, nunc ad alia vana & inepta abstrahunt; quos avocare nequeunt eos aut sannis, dicteriis & scommatibus aliorum ludibrio exponunt, aut strepitu & clamoribus perturbant; prorsus ut nusquam minus, quam in Academiis, ubi magna talium hominum frequentia est, studiis operam dare liceat; atque adeo iis quibus hæc cordi sunt, sæpe vix hora in die libera conceditur, qua id agere liceat, cujus gratia Academiæ sunt institutæ. Hic sane, si unquam, conqueri possunt Studiosi, ademtam sibi esse libertatem; si modo vera Studiosi libertas non est libertas ociandi, aut aliud agendi, sed libertas studendi.

Addam pauca de *quarto*, quod ad veram Studiosi libertatem requiri diximus; hoc est, *facultas sine impedimento omnibus iis mediis utendi, quibus quis doctrinam & Sapientiam comparare & augere possit.* Quo faciunt v. g. liber accessus ad lectiones, omnisque generis Academica exercitia, cum publica tum privata; sive in iis auditoris, sive etiam actoris partes sint implendæ; facilis aditus ad Professores, aliorumque Doctorum colloquia, ex quibus proficere possis; non impeditus usus instructarum Bibliothecarum, cum publicarum tum privatarum, & si quæ sunt alia in Academiis, scientiæ Sacræ, Juridicæ, Medicæ, Physicæ, Mathematicæ acquirendæ & augendæ instrumenta.

Huc pertinet quoque facultas Doctores de rebus ignotis libere interrogandi, iis dubia & scrupulos sine ullo periculo aut offensæ metu proponendi, modeste objiciendi, instandi, &, quæ libertas in *Pythagoræ* quondam Schola nemini fuit concessa, omnia Præceptorum dicta *probandi*, & examinandi; & non nisi *id quod bonum* videtur *retinendi.* De his omnibus plura dicere possem; Sed quia brevitatem vobis promisi, filum abrumpo.

Habetis, Studiosi optimi, nam ad vos nunc mea se convertit oratio, quid sit *libertas* illa vestra, *libertas Studiosi Academici* toties decantata; Cui, ne nimiæ me severitatis & morositatis accusetis, adjiciam quoque nonnihil *libertatis*, animum juvenilem studiis fessum certis temporibus relaxandi, ut ad labores aptior postea & alacrior redeat; dummodo id fiat modo honesto, & virtutis & Sapientiæ Studiosum decente, hæcque libertas augeat, non adimat vobis *libertatem studendi.*

Vestrum nunc est, videre, num ista, de qua hactenus diximus, *vera* Studiosi *libertas* in nostra quoque Academia vigeat? Num *tuto* inter nos; num, si modo velitis, *sine immodicis sumtibus*, num sine crebris *avocamentis*, unice Sapientiæ & bonis literis incumbere possitis? Num *media* hic vobis omnia suppetant, quorum usu doctiores suo tempore & meliores domum revertamini?

ni? Si quid hac in parte desideratis, nos malo pro virili mederi paratis sumus. Sin praeterea aliam libertatem requiritis, videte, ne quid quaeratis, quod in hac improvida aetate vobis concessum, amaris olim lacrymis defleretis.

Quod si autem, ut speramus, *vera* & *salutari* Studiosi *libertate* contenti, ejus vos inter nos abunde reperisse existimatis; superest, ut Deo primum gratias agatis, quod ejus beneficio vobis contigit bonum vere inaestimabile; deinde ut concessa libertate strenue utamini. Tuto in nostra hac urbe sub paterna nostra directione vivitis, in summa pace & tranquillitate studiis vacare potestis. Videte ne ipsi rixis, turbis, altercationibus, commorationem vestram inquietam & intutam reddatis. Nihil est, quod ad magnos & immodicos sumtus inter nos faciendos, vos obliget; videte ne alii alios voluntario luxu ad impensas vobis & parentibus graves invitetis. Nihil vobis imponitur, quod vos à virtutis & artium studio avertat; cavete, ne maxima, imo ne unica studiorum avocamenta, cernantur à parte Studiosorum, à parte eorum, quorum alter alterius diligentiam acuere atque inflammare debebat. Patent vobis omnia ad virtutem & eruditionem subsidia; patent Collegia, auditoria, fores nostrae & musea; patent aures & pectora.

Vos modo his utimini, viamque ad Sapientiam ipsi vobis ne occludite. Tandem quoniam *frustra plantatur* & *rigatur*, nisi *Deus addat incrementum*; ut is vobis vestrisque studiis adsit, utimini inprimis, utimini saepissime MAGNA ILLA LIBERTATE, quam Deus nobis homuncionibus, nobis peccatoribus facit, ad ipsum accedendi, ipsum alloquendi, ipsum orandi. Utimini quoque preciosa illa *libertate*, qua in hac civitate prae tot aliis locis gaudemus, LIBERTATE CONSCIENTIAE; libertate, excusso humanae servitutis jugo Deum publice colendi, non ut praecipiunt homines, qui imperium in conscientias affectant, sed ut in verbo suo praecepit nobis, is cui soli conscientiae nostrae, cui corpora & animae, cui dicta nostra facta & cogitata subsunt; Is denique, CUI SOLI SERVIRE SUMMA EST LIBERTAS.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM
AD
PROMOTIONEM PUBLICAM LIBERALIUM ARTIUM MAGISTRORUM ET BACCALAUREORUM, HABITAM ANNO MDCLXXXVIII.

LECTORI S. D.
S. W. ELOQUENT. PROFESSOR.

NUNQUAM *defuerunt, qui ut cæterarum rerum, quæ vulgo ab hominibus magnifieri solent, ita gloriæ quoque contemtum præ se ferentes, multa de hujus vanitate Philosophico plane supercilio disputarunt, sicque fastum reliquorum, vereor ne fastu majore, conculcarunt. Hos vero omnes, quamtumvis supra vulgum sibi sapere sint visi, nihil prorsus rerum humanarum intellexisse, fidenter affirmo. Etenim si hæc semel inter homines persuasio invaleret, nihil gloria vanius, ineptum esse ab aliorum sensu pendere; illum demum felicem, qui, de cæterorum judicio parum solicitus, sibi placet: pessime cum rebus humanis ageretur, atque efficacissimum*

cum ad res præclaras stimulum, tum etiam à malis avocamentum, vita hominum desideraret.

Non equidem negaverim, sacras literas ipsamque adeo rectam rationem, abundare iis & præceptis & argumentis, quæ nos; si modo tales essemus, quales esse deberemus; ad virtutis studium non commonefacerent modo sed inflammarent: æternam vero felicitatem, tum, si maxime hæc ignota nobis esset, ipsam recte factorum conscientiam, amplam satis operæ illi locatæ mercedem esse. Sed dicamus quod res est: vivimus non inter perfectos homines, sed inter eos, in quibus etiam meliores his omnibus, quantacunque sint, nescio quomodo parum commoventur, nisi aliquis gloriæ stimulus accedat. Versamur non in Platonis Republica, sed in ea Romuli fæce, ubi sæpius exclamandum est: Quis virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas: *quorum quidem amplissimum lucrum esse, mercenariæ & venales animæ; præstantissimi quique; gloriam semper duxerunt. Plane, ut, tametsi plurimum in hac vanitatis esset, hæc tamen una omnium utilissima vanitas sit dicenda. Quanquam vix à me impetrare possim, ut vanum prorsus illud credam, quod non modo in optimo quoque, quicquid pauci quidam dissimulent, maxime observatum est, sed plane in omnium hominum animis altas adeo radices egit; ut nulla vi plerisque extorqueri possit, multosque citius adducas, ut in rebus levissimis ipsisque adeo flagitiis gloriolam quærant, quam hanc de gloria opinionem penitus deponant.*

Quin potius, cum video, pauca & præclara, & nobis & posteris utilia, facta inventaque esse, ubi gloria non aut potissima, aut certe magnæ fuerunt partes: venio nonnunquam in eam cogitationem, hoc quicquid est in homine cupiditatis, illi velut tabulam ex antiquæ felicitatis naufragio: aut scintillam subobscuram ex pristina luce, relictum, tanquam remedium unicum, quod, cæteris omnibus deficientibus, bonos excitare, malorum impetus compescere, omnes in officio continere possit. Quare secernenda erat vera, quam sapientes, à falsa, quam stulti sectantur, gloria: coërcenda & illa intra modestiæ Christianæ limites, divinæque gloriæ penitus subjicienda: hoc factum à Philosophis oportebat; non erat animis hominum vis facienda, atque evellendum id, quod evelli non potest. Ut enim videas, quam sint hi gloriæ, si Diis placet, contemtores, ad persuadendum aliis inepti; omnibus suis argutis sententiis sibi ipsi persuadere non

possunt; qui etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, & in eo ipso, quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt.

Recte igitur Rerum publicarum fundatores, qui hominum ingenia penitius rimati, qui unus civilis prudentiæ fons est, ut eos ad res magnas illas quidem & difficiles, sed humanæ potius societati atque adeo longe post futuris, quam sibi, salutares excitarent: callide pariter atque utilissime naturali hac omnium propensione usi sunt: tantumque abfuit, ut ad gloriam tendentes inhibuerint, ut etiam sponte currentibus calcaria addiderint. Hinc triumphi, acclamationes, plausus, laudationes, Panegyrici. Hinc omnis generis coronæ, statuæ, obelisci, cippi, monumenta, sepulchra, epitaphia, inscriptiones. Serius Academiæ Christianæ, & non nisi tertio decimo à Christo nato seculo hunc morem assumserunt: ex quo vero acceperunt, rei utilitatem videntes, constantissime retinuerent. Hinc Doctorum, Magistrorum, Baccalaureorum gradus, atque adjuncta ad splendorem cathedra, corona seu pileus, liber, annulus, aliaque ad nostra usque tempora permanserunt.

Hanc igitur consuetudinem cum nemo bonus sit, quin vehementer probandam esse videat; omnes, credo, facile acquiescent nupero Ordinis nostri scito, quo Adolescentium Præstantissimorum infra nominatorum, auditis singulorum in consuetis examinibus cum profectibus tum morum testimoniis, quatuor quidem prioribus supremos, octo vero reliquis primos in Philosophia honores benigne decrevit. Quando quidem vero hujus exequendi provincia mihi commissa est, diem actui huic 12. Junii dixi, quo ut omnes qui bonas literas aut ipsi tractatis aut tractantibus favetis, præsertim qui inter utrosque eminetis; seu Marones estis sive Mecœnates, in Academiæ Brabeuterium frequentes confluatis rerum agendarum testes, dicendarum auditores, omnium judices; ego Brabeutarite lectus, qua quemque decet observantia, etiam atque etiam rogo. Quod beneficium si precibus meis concedere volueritis, Candidatos nostros, aliosque plurimos bonarum artium Studiosos, præsentia vestra honorifica, adprobatione & plausu ad majorem in studiis literarum alacritatem excitabitis: ego vero, quicquid hac in re officii nobis præstitum erit, memori semper mente recolere, & quacunque oblata occasione gratum cuique animum testificari nunquam cessabo.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM
ante actum Promotionis dictum.

ANtequam ad illud accedam, cujus gratia in ornatissimum hunc locum convenimus, jubet mos Majorum pauca quædam præfari. Ubi quidem argumentum orationis meæ non diu quærendum mihi est, cum & vix temporis punctum mihi ad dicendum concedatur; & alias hujusmodi actuum exordia, non magna ut plurimum attentione audiri soleant, nisi forte majorem ego novitius Orator mihi attentionem polliceri velim, quam tot Eruditissimi atque Eloquentissimi Viri sunt experti, qui ante me ex eodem hoc loco dixerunt.

Quare de eligendo argumento non sollicitus, arripiam quodcunque se offert in medio positum, & vel ex ipso, quod his diebus affixi, PROGRAMMATE depromam. Disputo ibi cum iis Philosophis, qui *gloriæ contemtum* hominibus suadere volunt. Hoc hominum minime certe malorum institutum improbo, & tantum non conviciis impeto. Atque imperiosius forte, quam decebat, ut habeant in posterum, quod agant, aliud illis pensum, præscribo. Hocque illis negotii do; ut damnata vana opinione, qua se & alios adhuc sunt frustrati, non amplius gloriæ cupiditatem ex animo hominum evellére præsumant, id quod nunquam efficient; sed ejus loco, quod utilius est, veram gloriam à falsa & inani homines discernere doceant.

Satis pro imperio, dicent, Gloriæ defensor! Tuum est hoc negotium suscipere, qui gloriæ cupiditatem probas; nos tuum illud idolum plane res suas sibi habere jussimus, nihilque cum gloria negotii habere volumus. Ego vero, O *gloriæ* contemtores, sive potius hujus simulatores & mimi, faciam quod jubetis ac lubens. Utque videatis, non arduam vos mihi provinciam imponere, verbo omne, quod quæritis, expediam.

GLORIA est CONSTANS VIRTUTIS FAMA AB INTELLIGENTIBUS ET INCORRUPTIS JUDICIBUS PRODIENS. En descriptionem gloriæ brevissimam, quam si vultis, Aud. Honorat. paucis verbis explicabo.

Principio quidem *famam* gloriam voco; ne quis existimet tacitam virtutis conscientiam ad gloriam sufficere. Magnum quidem est, recte factorum sibi conscium esse; atque, ut loquitur sapiens, *ad instar perpetuarum epularum.* Neque illud me fugit, inanem gloriam esse, ubi hoc non adsit, neque ad felicitatem quicquam facere, si alii virtutem laudant, cujus nullum in te vestigium reperis. Consentire hæc duo debent, & aliorum & tuum judicium.

Lau-

Laudes aliorum in pectore nostro per conscientiam reflectantur oportet, ut hæc sit quasi *Echo*, quæ sermones aliorum in pectore nostro repetat.

Sed tamen *virtutis conscientia* gloria non est; necesse est, ut aliorum, ut publica vox cum nostro sensu congruat. Neque illud petere, quemadmodum nostris Philosophis videtur, vanum est. Satis est, ais, virtuti sibi conscium esse; Sed qui scis, in via virtutis te esse; tu solus testis es; in tua caussa corruptioni vehementer obnoxius. Alios quære. Hi si tecum consentiant, tum vero in sinu gaude de virtute tua; tum vero perge in via, qua ire cœpisti. Quin etiam, si virtutem aliquam in nobis non perfectam deprehendimus, quam vox populi nobis tribuit; excitat nos hæc vox, nobisque identidem inculcat,

Tu recte vivis, si curas esse quod audis.

Sed tamen utcunque hæc sint; ita nos omnes ipse Deus fecit, ut alii alios amemus; hoc nisi esset, hominum societas stare non posset. Amantis autem est amato placere velle; hæc divelli non possunt. Vanum-ne igitur, est, O Sapientes, illud petere, cujus cupiditatem Deus ipse, tanquam rem, ad conservandam hominum societatem, plane necessariam, homini indidit?

Nondum tamen *aliorum* de nobis *judicium* gloria; quamdiu illud *tacitum* est. In sermones erumpere debet, aliisve signis ostendi. Quid enim prodesset, cum ad nos in virtute confirmandos, tum ad alios ad eam incitandos, quod in mente unius alteriusve est abditum? Neque statim unius & alterius sermo, aut approbatio, aliudve judicii de nobis æqui testimonium, gloria est. Publica aut omnibus aut certe multis communis hæc *vox* sit oportet; ideo *famam* appellavi.

Neque hoc exoptare vanum est; quis enim nescit unum & alterum magis errori obnoxium esse, facilius simulare, adulari posse, quam plures; atque adeo totam propemodum incorrupte judicantium universitatem?

Addidi famam illam CONSTANTEM esse debere; etenim

Quæ cecidit stabili non erat illa gradu.

Gloria non esset qualiscunque fama, quæ instar paleæ cito conflagravit. Illa est quæ firma, quæ constans, quæ perpetua est; quæ sequitur nos in omni fortuna, comitatur non modo ad extremam usque Senectutem, sed post mortem quoque manet; & ad posteros usque propagatur.

Hic vero vereor, ne magnam Philosophorum turbam in me concitem, qui ex me quærent; eone impudentiæ veniam, ut ne illud quidem vanum esse agnoscam: *Famam in posteros transferre*, nominique immortalitatem quærere velle? Quid enim ineptius fingi potest; imo annon manifesta phrenesis est, illud tantopere exoptare, unde ad nos mortuos nulla utilitas redire potest?

 Sed

Sed fallimini, o Philoſophi, cum iſtis veſtris ratiocinationibus, prope dicerem, in Deum ipſum impii & blaſphemi eſtis; qui hanc poſteritatis curam, cum qua hæc *fama* poſt mortem cura conjuncta eſt, imo quæ nos ad illam incitat, quamque Deus utiliſſime homini indidit, evellere ex eorum animis conamini; quæ niſi eſſet, quis porro pro poſteris laboraret? Sed dicite mihi; Itane vanum videtur vobis, ita virtuti noctes dieſque operam dare, ut mereamur poſteritatis approbationem, quæ omnium incorruptiſſime de virtute judicat; ubi livor omnis quieſcit; quæ amoris & odii cauſſas procul habet.

At nihil inde ad nos utilitatis redit poſt mortem. Vos ſcilicet ex inferis mihi reſurgere videmini; adeo certo hic pronuntiare audetis. Quidni ſuſpicamini, Deum, ut illius ſolidioris, ita ne hujus quidem immortalitatis & famæ cupiditatem fruſtra hominum animis inſeviſſe? Sed fac ita eſſe. At certe, quamdiu vivimus hæc cogitatio nobis utiliſſima eſt. Hæc nos, quicquid diſſimuletis, ita nos in vita delectat, ut nihil magis; hæc nos ad virtutis ſtudium identidem inflammat; hæc contra difficultates munit; contra calumnias malorum conſolatur.

Sed fingite etiam inutilem *nobis* prorſus eſſe hanc de *nomine* poſt mortem curam. At certe *poſteris ipſis* utiliſſima eſſe poteſt. Quid? Vanumne vobis videtur, cupere liberis, cupere ſeris nepotibus exemplum virtutis poſt ſe relinquere, quod imitentur, quod ipſos ad paria facienda accendat, excitet; ſicque non tantum in vita factis præclaris & utilibus, ſed etiam poſt mortem longe poſt futuris, omnique adeo poſteritati exemplo prodeſſe; cupere ut Deum laudent, quicunque virtutum tuarum, quæ illius dona ſunt, longe poſt te recordantur? quis hæc vana dicere audebit?

At vero, ne quis forte quoslibet hominum ſermones gloriam nos vocare exiſtimet, dixi, gloriam eſſe *famam virtutis*. Non invidemus *Heroſtrato* famam templi Dianæ incenſi; non *Pilato* eam, quam habebit, donec Chriſtiana vigebit religio. Non vobis qui gloriam in potando, calumniando, decipiendo, pejerando quæritis. Non vobis, quibus glorioſum videtur obtinere, quod velis, ſive juſtum ſit, ſive injuſtum. Fallimini miſeri. Non gloria hæc eſt, ſed *infamia*. Neque aliter nobiles eſtis, quam quo ſenſu *nobile ſcortum* Comicus vocat.

Gloria eſt fama *virtutis*. Non eſt igitur, ut quis de *naturæ dotibus* glorietur. Si quis ideo celebris & nobilitatus eſt, *fama* hæc eſt qualiſcunque, *gloria* non eſt. Illa demum honori & gloriæ nobis ſunt, quæ induſtriæ & arti noſtræ debentur; non quæ nos ipſi naturæ debemus.

Gloria *virtutis* fama eſt. Ergo non illa eſt, quæ ex nominibus & titulis provenit; niſi tituli rei reſpondeant. Doctoris nomen nemini gloriæ eſt, niſi qui doctus eſt. Deme ſcientiam; exprobratio potius ignorantiæ hoc nomen erit, quam gloria.

Neque

Neque etiam gloria est, quae ex muneribus & dignitatibus oritur celebritas, nisi in illa Republica, ubi soli virtuti, solisque meritis hæ dignitates patent; nisi quis munus & propter virtutem sit adeptus, & cum virtute administret. Hoc nisi adsit, lucrum in his muneribus esse potest, gloria vero & honor nullus est. Sin etiam indignis conferantur, summa in illis est infamia. Dignitas enim hujusmodi indigno collata, ita optime definiri potest: *Theatrum excelsum, in quo quis stultitiam & improbitatem multis ante ignotam clare omnibus demonstrare potest.*

Denique cum gloriam virtutis famam appello; ne quis fallatur; intelligo virtutem *propriam*, *non alienam*; non avorum & proavorum. His solis qui gloriatur, instar *corvi Æsopici* alienis plumis superbit.

> *Nam genus & proavos & quæ non fecimus ipsi,*
> *Vix ea nostra puto*

Possunt quidem parentes liberis rem relinquere; gloriam non possunt. Et si parentum virtus honoratur in posteris; parentum unice hæc gloria est, quam stulte filii sibi vendicant. At pater Consul, at Senator fuit; mallem diceres; At fortis, at prudens, at pius, at doctus. Sed fuerint hæc ipsa in patre tuo. Quid hæc ad te?

> *Malo pater tibi sit Thersites; dummodo tu sis*
> *Æacidæ similis.*

Dic mihi qui nobilitatem jactas; si parentes tui robusti, valentes, vigentes in ultimam usque senectutem fuissent; ideone tu melius valeres, quanquam perpetuo cum morbis colluctareris; si *ventri male*, *si lateri pedibusque tuis est.* Quid igitur tibi tribuis virtutis gloriam, qui tot animi morborum tibi conscius es?

Dixi denique in vera gloriæ descriptione, famam virtutis ab iis prodire & diffundi debere, qui sunt *judices* & *intelligentes* & *incorrupti.* Illi soli recte judicare *possunt*; hi *volunt.* *Possunt* de virtute judicare nonnunquam omnes; nonnunquam multi, nonnunquam soli sapientes. Prout virtutes variæ sunt, de quo hic pluribus dicere longum foret. Sed tamen ubique sapientum potissima habenda est ratio; inepte enim hic res decideretur pluralitate votorum & consensu vulgi, qui *ex opinione multa*, ut ait *Tullius*, *ex veritate pauca judicat*; ne quis existimet, idem esse veram gloriam quærere, & auram popularem captare.

Volunt autem incorrupte judicare, qui nullo pravo affectu, non invidia, non amore, non odio, à vero deflectuntur. Hæc & ejusmodi alia si absunt, tum vero qui recte judicare possunt, etiam volunt.

Hic autem ad gloriam tendenti probe observandum est, nunquam de Sapientis hominis approbatione desperandum esse, si recte agimus; etiamsi fortasse nunc affectibus cæcus veritatem agnoscere nolit; confestim enim postquam deferbuit æstus perturbationis, ad se redibit, & utroque pollice probabit, quod ante calumniatus & tantum non execratus esse videbatur. Ergo

Ergo ut virtutis fama gloria appellari possit, ab intelligenti primum prodire debet, deinde ab incorrupto judice, non ab incerto auctore, non ab imperito & instabili vulgo,

Qui stultus honores
Sæpe dat indignis, & famæ servit ineptus,
Qui stupet in titulis & imaginibus.

Non ab animo affectibus cæco

verum male judicat omnis
Corruptus judex.

Habetis veram, quantum mihi quidem cognita est, gloriæ imaginem, quam si quis vestrum inanem esse dicat; ipse quid sit solidum viderit. Philosophos quidem umbraticos, qui aliud in Schola sentiunt, quam quod ipsi extra Scholam faciunt, non moramur. Utinam quidem ego omnes, qui me audiunt, ad ardentissimum ejus desiderium inflammare possem, nunquam sane majus operæ precium fecissem! Utinam in omnium hominum animis imprimere possem eam virtutem, quæ, ut *Tullius* noster loquitur, *insidens in animo optimi cujusque, noctes & dies eum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimetiendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.* Magis credo ad virtutem omnes excitarem, quam omnes Philosophi, tametsi omnia præcepta & ratiocinationes suas conjungerent.

Sed quid alii in animo quisque suo sentiant, nescio. Vos certe, juvenes optimi, à gloria non refugitis, qui ejus consequendæ gratia, in hanc honoris scenam producti estis. Laudo hunc impetum vestrum; præclaræ indolis indicium est. Vos vero macti hoc animo estote; atque illustri huic consessui monstrate, non externum modo splendorem, non inania honoris signa, non vanos & re carentes titulos vos petere. Sed veram gloriam, quæ constans virtutis fama est, ab incorruptis & intelligentibus judicibus prodiens. Agite; specimen profectuum vestrorum, coram intelligentibus & incorruptis judicibus edite; & quid dicendo valeatis, de præscripto quisque argumento breviter differentes, ostendite. Dicite.

* * *

Si quis existimat, me nimis hic gloriæ stimulo tribuere, atque in hoc iis, quæ in Tom. I. *Dissertatione de S. Scripturæ ad virtutem incitamentis pag.* 126. & 127. *dixeram, contradicere; is legat hoc Præloquium tanquam Declamationem, ubi scenæ erat serviendum. Optarem tamen ut ista declamatio ansam daret, sapienti & pio Theologo, accurate hanc materiam tractandi, quousque Magistratus, parentes & præceptores Christiani hoc gloriæ stimulo uti possint, ad subditos, liberos & discipulos hoc stimulo gloriæ ad officium excitandos. Hac enim in re non tantum in excessu, sed etiam in defectu peccari posse videtur.*

FASCICU-

FASCICULUS EPIGRAMMATUM.

MARTIALIS Lib. VII. Epig. LXXXV.

——— *Facile est Epigrammata belle*
Scribere, sed librum scribere difficile est.

Idem Lib. I. Epig. XVII.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura:
Qui legis hæc: aliter non fit, Avite, liber.

Idem Lib. VII. Epig. LXXXI.

Triginta toto mala sunt Epigrammata libro,
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Q*Uod futurum metui, cum versiculos quosdam meos publicam aspicere lucem permisi, ne factum hoc risui & ludibrio Censorum me exponat, id revera contigisse cum ex aliis indiciis didici, tum in primis me id docuit Vir Celebris,* JOH. CLERICUS, *in sua* Bibliotheca Veteri & Nova; *ubi contra tales Censores apologiam meam suscipit, atque impedit, quo minus incomti mei versus, scriptis meis adjecti, his adimant faventia illa judicia, quæ apud benignos lectores obtinuerunt. Postquam igitur, Vir Clariss. in defensione mea dixerat, inter epigrammata mea esse aliqua* valde bona; *in ceteris addit,* ubi stilus minus vivax sit & poëticus, hunc stili defectum sensus bonitate resarciri. *Quo sa-*

Biblioth. Anc. & moderne Tom. V. Part. II. p. 449.

ne judicio non possum non esse mirifice contentus. Cum enim in omnibus iis, quæ sive ligata, sive etiam soluta oratione scribo, plurima desideranda ingenue agnoscam; malo certe, ut hic defectus, non nisi in verbis sit, & non in rebus ipsis; credarque potius bonum & salubrem cibum apponere, in vasis plebejis & fictilibus, quam dapes, nullam corpori alimoniam præbentes, merumve ventum, in preciosis & aureis pateris.

At non crediderim Virum multijugæ eruditionis accedere errori imperitorum juvenum, qui non satis gnari, quare stilus poëticus, & prosaicus*, ut vulgo vocatur, ita inter se differant, hanc stili diversitatem putant omni metro propriam esse, & versus facere nemini licere, nisi phrasibus poëticis versus, quos facit, exornet. Caussa enim, quod talis, inter utrumque dicendi genus, intercedat differentia hæc est; Quod Poëtæ insignes videri volunt, homines extraordinarii, loquentes non proprio instinctu, sed à Diis, videlicet ab Apolline & Musis inspirati, secundum illud;*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Ut igitur τὸ πρέπον observaretur, Poëtarum lingua aliquo modo videri lingua Deorum, horumque dictio redolere debebat enthusiasmum*, motusque desuper venientes.*

Ex quo manifeste cernitur, hunc stilum Poëtis peculiarem

rem & aliquo modo enthusiasticum *ab iis versibus procul abesse debere, ubi cœlestis iste furor, & œstrum poëticum locum habere nequit. Versibus scribunt & Poëtæ Comici; sed quis non ridiculum hoc esse crederet, si ab illis* Simo *pariter &* Davus *in Comœdia loquentes, ut homines è cœlo inspirati, inducerentur.*

Omnium Poëtarum Magister optimus clarissime monstravit, suo ipsius exemplo, diversa poematum genera, stilum diversum requirere. Hunc in Epistolis & Satyris loquentem, quis credat, eundem illum Horatium *esse, qui in Odis & Carminibus tam alte volat, cum Sublimem illum* Pindarum *æmulatur.*

In nullo vero versuum genere stilus magis prosæ *similis, & ut* Horatii *verbo utar,* Sermo merus *esse debet, quam in Epigrammate; id quod nos satis superque docent omnes* Catulli & Martialis *paginæ. Certe ut nemo, ad ** dictum *aliquod, quod κατ' ἐξοχὴν ita à latinis vocabatur, in versus redigendum (quod nihil aliud quam Epigramma est,) Musas invocat, aut invocare cum ratione fingi potest; Ita nemo quoque in brevibus his poëmatiis, ut ab istis inspiratus loqui debet.*

* Bon mot.

Adde metrum antiquorum apophtegmatibus, *rotundis & argutis sententiis, imo & nostrorum urbanorum non expectatis responsis, jocis, salibus, facetiis; adde, inquam, his numeros & metrum, quid nisi epigrammata erunt? Homines, qui de* Phœbo & Musis *nihil quic-*

quam audiverunt, elegantissimam tibi quotidie horum dabunt materiam. *In* bicipiti Parnasso *somniare, aut* fonte caballino prolui *minime hic est necesse.*

Liceat his adjungere qualescunque, quos jam olim lusi, versiculos.

Sit licet adstrictum numeris epigramma, poëma
Non est, nec vatem tam leve poscit opus.
Cernit in hoc nemo venamque, œstrumque Poëtæ;
Unica mica salis bellum Epigramma facit.
Clausula nec pungens delectat sola loquentem;
Est, quando & brevitas simplicitasque placet.
Si Charites adsunt, vel saltem de tribus una;
Hoc satis est; Musæ & Phœbus abesse queunt.

His addendum, quod magno cum judicio de Epigrammate dicit Polyhistor ille VOSSIUS, refugere illud delicias, & simplicibus verbis argutari velle, *hanc afferens suæ sententiæ caussam,* quod verborum lenocinia, *inter quæ sine dubio sunt flosculi poëtici,* epigrammatis acumen magis obtundant, & quodammodo obscurent.

Sed his immorari nolo. Id denique, quod Celeb. Clericus *ad me defendendum sub finem adjungit, utroque pollice probo & agnosco; me videlicet, etiamsi quosdam ex meis versiculis lucem aspicere permiserim,* à nemine *tamen* inter Poëtas referri velle, *ac propterea hoc nomine,* nullius hominis censuræ subjectum esse.

In eo-

In eorum semper numero fui, qui Poëtas, qui videlicet magnum hoc nomen merentur, nasci, non fieri, *credunt; ad me ipsum vero quod attinet, quotidie sentire & experiri possum, me insignem illam imaginandi facultatem non accepisse, quæ à Poëta vel maxime mediocri poscitur; cum* Horatius *nullam in Poëta* mediocritatem *ferendam esse putet. Quod si facultates à natura acceptæ augeri aliquo modo possent, maluissem semper, ut cresceret in me qualiscunque facultas judicandi & ratiocinandi, quam, si & hæc nobis data est aliquousque, facultas imaginandi, tametsi nec hanc prorsus negligendam esse putem.*

Versus aliquos, fateor, feci subinde; sed hoc & iis licitum esse putavi, qui poëtæ non sunt, & in hac persuasione quotidie magna exemplorum copia confirmor. In iis vero faciendis non modo voluptatem aliquam quæsivi, sed hoc exercitium non prorsus inutile esse credidi. Excitatur ita ingenium; augetur non verborum modo, variorumque loquendi modorum, sed sæpe & rerum copia, & nescio quæ consuetudo, res sub diversis speciebus & formis intuendi, quod nobis & in majoribus & gravioribus usui esse potest.

At enim, inquis, non est quod excuses, quod versus feceris, id quod nulla lege cuiquam vetitum est. Sed quid attinuit informes istos fœtus in publicam lucem extrudere? Hic certe excusationem esse admodum difficilem, diffiteri

nullo

nullo modo possum: Dicendum igitur tandem est, quid sit, quod hac in re potissimas habuerit partes.

Jam à longissimo tempore consuevi, cogitationes variis mihi occasionibus natas, in breves versus redigere; ubi elegi sæpe versus facilimos, jambicos dimetros. *quibusque sine magna difficultate quidlibet* metrice *dicere poteram. Spectabat hæc exercitatio plerumque aliquid serium, & altiori consideratione dignum; atque à studio veritatis, virtutis & pietatis non alienum. Hi versiculi, undique quantum fieri poterat, à me conquisiti, novisque quibusdam similibus aucti, si fasciculo meo Epigrammatum inserantur, putavi illum hoc modo Lectoribus non modo jucundum, sed utilem futurum, illosque subinde inventuros* versus memoriales, *non ut in* Despauterio, *ad retinendas* regulas grammaticas, *& solœcismos evitandos; sed potius ad retinendas* regulas bonæ mentis, *bene cogitandi, judicandi & ratiocinandi; aliquando & bene vivendi, vitandaque vitia mentis & cordis, præjudicia, perversasque vulgi opiniones.*

Ista vero spes, si me hucusque fefellit, hæc ut puto caussa fuit, quod infelix iste meus fasciculus fere à nemine fuit lectus. Poëtæ & magnorum poëtarum amatores & admiratores illum non legere dignati sunt; quia, quod maxime amant, in illo minime invenerunt. Sed & illi non minus hanc epigrammatum collectionem aspernati sunt, qui poëtas hodiernos, & horum versus parvi faciunt,

præser-

præsertim latinos; quia nihil in ea se repertturos crediderunt, nisi versus, eosque, ut sunt plurimi, nihil boni & fructuosi continentes.

Huic vero malo, nullum novi præsentius remedium, quam si, quod res est, candide & ingenue declaro; illosque primum, qui sublimium Poëtarum deliciis & condimentis assuetum palatum habent, moneo, ut à lectione meorum versiculorum, qui gustui eorum non possint non insipidi videri, abstineant. Ab iis vero, qui nec Poëtas nec versus magni faciunt, amice peto, ne, inviso forte sibi versuum nomine, à lectione libelli mei absterreantur; posse sæpe & in versibus aliquid dici, quod non modo jucundum, sed proficuum etiam & salubre sit. In primis vero eos, qui in intelligendis Poëtis non multum temporis contriverunt, certos reddam, nihil eos in fasciculo nostro inventuros, quod crucem iis fixurum sit, & ad quorum intelligentiam mentem attollere non possint; aut quorum sensum assequi nequeant, sine magna mythologiæ poëticæ *cognitione. Hoc si de versiculis meis ab omnibus credatur, spero, illos posthac ab una parte minus contemptibiles, ab altera magis utiles futuros.*

VIRO EXIMIO DEQUE BONIS LITERIS OPTIME MERITO

HENRICO WETSTENIO,

CIVI & AGNATO HONORATISSIMO,

SAMUEL WERENFELSIUS

S. P. D.

QUidam ex amicis, cum audiissent, Filios tuos de recudendis Logomachiis meis cogitare, suaserunt, ut his non modo alia quædam Philosophici argumenti addi curarem, sed ut iis etiam adjungerem versiculos aliquot, variis à me occasionibus compositos. Hoc postremum, quanquam, ut quod res est fatear, cachinnum mihi ab initio excussisset, ansam tamen postea mihi dedit, Epigrammata, varia ætate à me condita, huc illuc dispersa colligendi. Id dum facio, atque inter colligendum, neque enim id celare possum, nova quædam compono, sensim prodit, hæc Epigrammatum, quam cernis, farrago. Eam submit-

submitto tuo, Vir Eximie, judicio, quod sane judicio plerorumque eorum, qui litteras ex professo tractant, longe antepono. Quod si tu hosce versiculos supprimendos censes; penes te stabit, illos ad unum omnes ad æternas tenebras condemnare: sin in nugis istis meis, quæ, qualescunque cætera sint, difficiles certe non sunt, aliquid reperis, quod lectorem delectare possit, &, quod ante alia omnia quærere debemus, delectando quoquo modo ei prodesse; si denique hunc Epigrammatum Fasciculum, non plane indignum judicas, quem Filii tui prælo subjiciant, eum tibi, qualiscunque sit, dico consecroque. Utque is nomini tuo inscriptus, una cum hoc ipso Epistolio, in publicum prodeat volo. Videat inde Orbis, videat, si quid meorum ad posteros transibit, posteritas, quanti ego faciam & fecerim dotes & eruditionem tuam, tuaque eximia merita, cum in rem Litterariam tum in Patriam quoque tuam, cui tu utrique, cum plurimis officiis & laboribus illi præstitis, tum tot egregiis nitidissime & emendatissime excusis lucubrationibus immortale decus attulisti. Vale & me, ut facis amare ne desine. Basileæ XII. Calend. Maii 1715.

FASCICULUS EPIGRAMMATUM.

I.

Auctor ad Lectorem.

Sitne Poëta statim, quicunque Epigrammata condit,
Lector amice, liber te docet iste meus.
Qualiacunque vides Epigrammata multa, Poëtam
* Nec tu in sexcentis versibus hisce vides.

II.

Aliud.

Si nullum tibi spiritum Poëtæ,
Et vatis redolens sacri furorem
Libro cernere nil videris isto:
Scin' quid sit faciendum, Amice lector,

Ne

---

* Horat. Sermon. Lib. I. Satyr. IV.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse Poëtis,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque si quis scribat uti NOS
Sermoni propiora, *putes hunc esse Poëtam.*
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, *des nominis hujus honorem.*
Idcirco quidam, Comœdia necne Poëma
Esset, quæsivere: quod, ACER SPIRITUS AC VIS
NEC VERBIS NEC REBUS INEST; *nisi quod pede certo*
Differt sermoni, sermo merus.

Quod hic Flaccus de Comœdia, multo magis de Epigrammate dicendum, si vera est, quam tradit, Poëtæ definitio: *Acer enim ille Spiritus ac vis,* quæ in Poëmate esse debet, minus in Epigrammate, quam in Comœdia cernitur:

Quid

Ne noster tibi sordeat libellus?
Non esse hic numeros, modos, pedesque,
Nec te versiculos videre crede.
Verbis scribere me puta solutis.
Noster sic epigrammatum libellus,
Farrago arida versuum malorum,
Quos nec novit Apollo nec sorores,
Forsan prosa videbitur ferenda.

III.

Aliud.

Sensus, ais, bonus est, sed verba poëtica non sunt.
Solum, igitur, sensum, non tibi verba damus.

IV.

Auctor ad se ipsum.

Quæ scribis, fac sint dilucida, carmine in ipso
Præ cunctis tenebras & meteora cave.
Forte stilus sic serpet humi, versusque jacebit.
Sed serpat, jaceat; sit modo perspicuus.
Nunquam tu, quæcunque facis, tanti esse putato,
Torqueat ut cerebrum lector ob illa suum.

Quid Epigramma sit, disce ex Martialis isto epigrammate ad Flaccum:

Nescis, crede mihi, quid sint Epigrammata, Flacce;
Qui tantum lusus illa jocumque putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos: aut cœnam, crude Thyesta, tuam.
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.
A nostris procul est omnis VESICA *libellis:*
Musa nec INSANO SYRMATE *nostra* TUMET.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant:
Confiteor: LAUDANT ILLA, SED ISTA LEGUNT.

V.

Aliud.

Ad vulgi captum ſcribe omnia: non tua docti
Scripta legent, forſan plebs rudis illa leget.

VI.

Aliud.

Repere, quæ ſcribo, dicunt; quid tum? mea lector
Non ut miretur, ſcribo, ſed ut capiat.

Epigrammatum quorundam Martialis imitatio.

VII.

Martialis.

Non amo te Sabidi nec poſſum dicere quare:
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Imitatio.

Non { Luthere / Calvine } amo te, nec poſſum dicere quare;
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

{ Ordo / Cœtus } Non amo te, nec poſſum dicere quare
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Non amo te (ſcriptor / ſcriptum / placitum / nomen / verbum) nec poſſum dicere quare.
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

(Sic ſtatuo / Sic cupio / Sic jubeo) dicunt, nec poſſunt dicere quare.
Hoc tantum poſſunt dicere. (ſic ſtatuo. / ſic cupio. / ſic jubeo.

In plurimos avaros quadrat.

Plura volo, dicunt, nec poſſunt dicere quare?
Hoc tantum poſſunt dicere, plura volo.

Res

* * *

Res insuper (quis ambigat?) fert plurimas,
Quas versus applicationes respuit.

VIII.

Martialis.

Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit,
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

Imitatio.

Suspecta est pietas, quæ sese ostentat ubique:
Qui vere pius est, est sine teste pius.

IX.

Martialis.

Quem recitas meus est, O Fidentine, libellus:
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

Imitatio.

Quæ pro te adducis, magni sunt verba Prophetæ:
Sensu quo recitas, sunt modo verba tua.

X.

Martialis.

Ne me, quod tibi sum novus, recuses;
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantum inspice, qui novus paratur,
An possit fieri vetus sodalis?

Imitatio.

Ne vilis tibi sit novus libellus:
Et libri veteres novi fuerunt.
Tantum inquire, novus libellus iste
Num possit fieri liber vetustus?

XI.

Martialis.

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:
Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Imi-

Imitatio.

Judice te, bene ſemper agis, nec falleris unquam.
Non bene ſemper agit, qui bene ſemper agit.

XII.

Martialis.

Carmina Paulus emit: recitat ſua carmina Paulus:
Nam quod emas, poſſis dicere jure tuum.

Imitatio.

Concio quam recitas, olim empta fuit tibi; jure
Concio, quam recitas, dicitur ergo tua.

XIII.

Martialis.

Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Imitatio.

Donatur Chriſto, quicquid donatur egenis:
Quaſque illi dederis ſemper habebis opes.

XIV.

Martialis.

Thaïs habet nigros, niveos Lucania dentes.
Quæ ratio eſt? emptos hæc habet, illa ſuos.

Imitatio.

Excellens Cottæ, modica eſt oratio Cinnæ:
Cinna ſuam fecit, Cotta ſuam recitat.

XV.

Martialis.

Dicis formoſam, dicis te, Baſſa, puellam:
Iſtud quæ non eſt dicere Baſſa ſolet.

Imitatio.

Imitatio.

Verum est, ais, quod assero: hoc identidem
Non diceres, ni sæpe falsum diceres.

XVI.

Martialis.

Semper eris pauper, si pauper es Æmiliane;
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

Imitatio.

Qui rudis est hodie, talis plerunque manebit.
Quæ doctum facerent, non amat illa rudis.

XVII.

Martialis.

Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi, virum putabo.

Imitatio.

Impune malus esse qui potest, hic
Vir quando est bonus: hunc bonum putabo.

XVIII.

Martialis.

Omnia, Castor, emis, sic fiet ut omnia vendas.

Imitatio.

Omnia Cotta legit, sic nesciet omnia tandem.

XIX.

Martialis.

Pauper videri Cinna vult & est pauper.

Imitatio.

Bardus videri Cotta vult & est bardus.

Alia.

Gaudes; quod stupidum tam dextre scis simulare:
Crede mihi vere es, quod simulare putas.

XX.

Martialis.

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos Poëtas:
Ignoscas, petimus, Vacerra, tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.

Imitatio.

Miraris peregrina, Balbe, sola
Nec laudas, nisi dissitos Prophetas:
Ignoscas, patria exulare nolo,
Ut magnus quoque sim tibi Propheta.

Alia.

Insano cupiens placere mundo,
Cum mundo misere suo peribit.
Ergo magna valeto turba, tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.

XXI.

Martialis.

Nubere vis Prisco, non miror, Paulla: sapisti.
Ducere te non vult Priscus, & ille sapit.

Imitatio.

Nemo in te satyram vis scribat: næ sapis, Aule.
Hanc nemo in te vult scribere, & ille sapit.

Alia.

Credita non à te repeti cupis, Aule, sapisti:
Nemo tibi quicquam credit, & ille sapit.

XXII.

XXII.

Imago plerorumque hominum.

Te mente jactas esse sana præditum:
Sed mens in actionibus non est tuis.
Stulte superbis, turpiter te dejicis:
Miranda spernis, ad pusilla dum stupes:
Amas nociva, aversus à salubribus:
Spem perperam nunc concipis nunc abjicis;
Nil non timens, timenda sola non times:
Non usque præsens præterire cogitas,
Et, quod futurum cernis, hoc præsens fore;
Præfers bono durabili brevissimum,
Verissimo vanissimum, rei nihil.

XXIII.

Hæresis perniciosissima in mundo tutissima.

Si mortuam putas fidem,
Ritusve, quos servas, leves;
Te posse, qualiscunque sis,
Olim beatum reddere:
Insana opinio tua,
Vulgaris ut sit maxime,
Est hæresis teterrima.
At inter omnes hæreses
Hæc sit licet teterrima;
Non inter omnes hæreses
Ulla est in Orbe tutior.
Usquamne quisquam infamis est,
Fugiturne ubique ut pestifer,
Probrisne onustus pellitur,
In carcerem detruditur,
Torquetur & comburitur,
Sese licet clarissime
Hac prodat infectum hæresi?

XXIV.

In partium in quolibet corpore infinitatem.

Infinitas! Infinitas!
Hic mundus est infinitas,
Infinitas est illius
Pars quælibet, partisque pars.
Quod t ngis est infinitas,
Quod cernis est infinitas.
Quod non v des corpusculum
Omnesque sensus quod fugit,
Merumque credi ur nihil,
Infinitas est entium.
Corpusculi corpusculum;
Hujusque pars corpusculi;
Partisque pars, hujusque pars;
In hacque parte quicquid est,
Infinitatem continet.
Secare perge, segmina
Nunquam secare desine;
In sectione qualibet
Infinitates dissecas.
Si denique ars mirabilis,
Nostro reperta seculo,
In parvulis quantumlibet
Detexit infinities
Istis minora parvula:
Et in his, in his [quis crederet?]
Offendit ars recondita
Infinitatem partium,
Novamque in harum singulis
Infinitatem partium.
Quiesce mens hic denique
Arctosque nosce limites,
Queis contineris undique;

Quam

Quam pauca sunt, ah quæ vides!
Quam pauca sunt & hæc quoque,
Paucis in istis quæ vides!
At illa mens vah qualis est!
Cui nota sunt quæcunque sunt;
In singulisque perspicit,
Quæcunque sunt in singulis,
Et singulorum singulis.

XXV.

Aliud in eundem pene sensum.

Infinitas! Infinitas!
Vah quantus hæc acervus est!
Quid corpus, in quo nil nisi
Tales acervos reperis?
Quid mundus iste deni que
Qui continet tot corpora?
Mens ergo tandem limites
In orbe cessa quærere:
Quod quæris in te repperis:
In mente sunt, in mente sunt,
Hi, quos requiris, termini:
In rebus hos non invenis.
Hic est ubique infinitas.
Infinitas! Infinitas!
Vah quantus hæc acervus est!
Sed quam nihil, quod nostra mens
Ex hoc acervo concipit!

XXVI.

In Cl. WOLLEBII. libellum de vera felicitate.

Beatus ille qui, bonis terrestribus
Mundique spretis gaudiis,
Mentem serenam tollit ad cœlestia

Et cunctá quærit in Deo.
Vah! repperi, clamabit iste denique;
Felicitatem repperi!
Nil cor meum, nil amplius desiderat:
Deo, meo Deo, fruor!
Quæ deperis, proh cæca gens mortalium!
Sunt umbra, spuma, somnium.
Hæc eminus spectata possunt fallere,
Cum possidentur sunt nihil.
En quæ libellus hic docet WOLLEBII!
Nos si monenti credimus,
Auctoris haud laudare librum sufficit:
Fidem probemus moribus.

XXVII.

Votum pro Ecclesia.

O utinam terris pietas antiqua rediret,
Simplexque & nondum litigiosa fides!
Relligioque foret, non bella irasque fovere;
Quæ Christi lacerant, heu sine fine! gregem,
Cessaretque error, vanis modo ritibus illum,
Et tantum externa sedulitate coli:
Sed cordis probitas divini maxima cultus
Pars foret, & recti non simulatus amor:
Et Christum puro & sincero corde vereri,
Seque adeo tota tradere mente Deo.
Christe ah delusis monstra, quid denique poscas,
Cum tibi discipulos poscis habere FIDEM!

XXVIII.

Votum aliud Auctoris.

Quam nihil est, quod me Doctorem turba salutat!
Inter Discipulos sim modo, Christe, tuos!

XXIX.

XXIX.

Suspirium.

Vana ah calcar habet sæpe in me gloria; vah cur
Cœlica tam parvum gloria calcar habet?

XXX.

Aliud.

Superbiam certo mihi mors auferet:
Prævisa mors auferre cur hanc non potest?

XXXI.

Aliud.

Cœlum, Christe, tuum tu pro me deseruisti:
Et pro te haud potero terram ego deserere!

XXXII.

Aliud.

Quot quantosque tulit, quot lapsus fert Deus in me!
Et nullum alterius nævum ego ferre volo!

XXXIII.

Aliud.

Esse pius dicor: fama ah! quid me juvat ista,
Dum vere hoc dici corque Deusque negant?

XXXIV.

Voluntati Dei nostra subjicienda.

Velle tuum sit velle Dei: dum nil cupis ultra;
Quod cupis hoc veniet; quod venit, hoc cupies.

XXXV.

Abnegatio sui ipsius, Ode Anacreontica.

Nil abnegare nosti,
Nil abnegare prorsus.
Non temet abnegare,
Non abnegare mundum,
Non abnegare carnem,
Non abnegare honores

Opes cupidinesque,
Non abnegare amicos,
Genusque sanguinemque,
Ne dum abnegare vitam.
Horum omnium nihil tu
Nihil abnegare nosti.
Unum tamen, fatebor,
Unum abnegare nosti,
Et prorsus abnegare.
Nosti abnegare Christum,
Illum tuum Magistrum,
Qui chara cuncta pro te;
Vitamque gloriamque,
Seque abnegavit ipsum.
Hoc pro tuo Magistro
Quando abnegare nil vis,
Hunc abnegas Magistrum.

XXXVI.

Auctor valedicit disputationibus de Gratia.

Tua Deus de Gratia
Mihi disputare non lubet;
Et disputare non vacat.
Sat est mihi cognoscere
Et usque persentiscere,
Non posse me vel horulam
Tuo carere spiritu:
Nil posse me, nil esse me,
Cum deserit me gratia,
Et desinit caliginem,
Sordes & ægritudines
Mentis meæ dispellere.
Cum cessat ista gratia
Cor excitare torpidum,

Cor

Cor frigidum ſuccendere,
Cor recreare languidum,
Firmare mentem debilem,
Pacare pectus turbidum.
O detur hanc detur mihi,
O detur hanc, jugi prece,
Ardentibus ſuſpiriis,
Votiſque non ceſſantibus
Uſque impetrare gratiam!
Hanc fervidis amplexibus
Arcte tenere perpetim,
Ejusque donis perfrui,
Hunc ſpiritum dum traxero!
Vos interim contendite
De Gratia; quibus vacat,
Et quos juvat contendere;
Graviora dum cor occupant,
Dum quæro Gratiam Dei,
Anhelo Gratiam Dei,
Imploro Gratiam Dei;
De Gratia diutius
Mihi diſputare non lubet;
Et diſputare non vacat.

XXXVII.

Quæſtiones non ſalvant.

Quæſtio te nunc hæc, nunc quæſtio diſtinet illa;
In cœlum aſpiras: plus age, quære minus.

XXXVIII.

Aliud.

Dum, quid conferat ad tuam ſalutem
Cœli gratia, ſcire vis ad unguem;
Tu confers nihil ad tuam ſalutem;
Et forſan miſer excidis ſalute.

XXXIX.

Paucitas Christianorum.

Si Christianos esse credis plurimos;
Cur ergo tam paucos in orbe conspicis,
Qui præferunt æternitatem tempori?

XL.

Allusio ad dictum JACOBI: Monstra fidem ex operibus.

Exsequitur mundus nunc denique dicta JACOBI;
Atque suam *factis monstrat* ubique *fidem*.

XLI.

In occupatos aliis salvandis.

Dum salvare alios tu nocte dieque laboras;
Ne propriæ salutis obliviscere.

XLII.

Aliud.

In propriis defectibus
Qui corrigendis totus est;
In cæteris plus corrigit,
Quam, qui suis defectibus
Vitiisque parcens, totus est
In corrigendis cæteris.

XLIII.

Pietatis in Pastore necessitas.

Quid Pastor absque sanctitate est? Histrio:
Bonus histrio, si sanctus esse creditur.
Malus histrio, si qualis est cognoscitur.
Bono sed histrione nil est rarius.

XLIV.

Aliud.

Quisquis oves Christi vis pascere, dispice primum;
Ipsene sis veras illius inter oves,

Qui

Qui non ex ovibus, qui non eſt de grege Chriſti,
Quicquid agat, Paſtor non erit ille bonus.

XLV.

Mundus piis iniquus.

Cur, in profanis cum feramus omnia;
Offendimur cunctis piorum nævulis?
Inviſa nobis eſt eorum ſanctitas;
Hac, non eorum nævulis, offendimur.

XLVI.

Aliud.

Cur pius inviſus ſit mundo, quærere noli:
Increpat hic mundum moribus uſque ſuis.

XLVII.

Aliud.

Hic, ais, impatiens, aliis vult ſanctior eſſe.
Vultne ſcelus, qui te ſanctior eſſe cupit?

XLVIII.

Aliud.

Si quem vides ſancte pieque vivere;
Impoſtor eſt, non eſt, ais, vere pius.
Vis detegam, cur tam maligne judices:
Quod ipſe non es, credis eſſe neminem.

XLIX.

Aliud.

Quisquis tibi paullo videtur ſanctior,
Is protinus, te judice, eſt hypocrita.
Externa ſola ſunt in hoc, ais, bona.
Quid? an vides in cordibus latentia?

L.

In Oſorem Pietiſtarum.

Deprime quantumvis Pietiſtas; dum modo ne quis,
Quamprimum pius eſt, ſit Pietiſta tibi.

LI.

Aliud.

Res odiosa tibi est Pietismus: at excute mentem:
Forte etiam pietas res odiosa tibi est.

LII.

Aliud.

Cui sunt invisi speciem virtutis habentes,
Is nec virtutis ferre potest speciem.

LIII.

Somniis non esse indulgendum sub pietatis prætextu.

Stulta hodie est pietas, sed non tamen omnia stulta
Sunt pia, nec quævis stultitia est pietas:

LIV.

Utrius error gravior est? ejusne qui ita dicit:

Ut placeam Christo, satis est mihi vivere recte;
Recte præterea credere non opus est.

An ejus qui ita dicit:

Ut placeam Christo, satis est mihi, credere recte;
Recte præterea vivere non opus est.

Decisio.

Error uterque gravis: sed in uno hoc errat uterque;
Quæ Christus junxit, dissocianda putant.
Recte qui credit, vita hoc cupit usque probare;
Qui vivit recte, quod cupit ille, facit.

LVI.

Ad hominem in impietate securum.

Fictum esse infernum mentitaque gaudia cœli,
Monstrare invicta num ratione potes?
Non, ais, hoc possem: quid? tu potes esse quietus,
Et solide hæc nondum ficta probare potes?

LVII.

LVII.

Clausula dissertationis de stultitia securitatis.

Ad profanum.

Erige nunc cristas & in impietate superbi :
 Et præ te stupidos quoslibet esse puta.
Vis posthac, vis jure pios ridere, Profane,
 Ipse tibi sanum sinciput esse proba.

LVIII.

Caussa Atheismi non postrema.

Tot placitis hominum deformis reddita tandem
 Relligio ; multos cessat habere procos.

LIX.

Mendacia in nos dicta veros defectus in memoriam revocare debent.

Zoile, cur tantum tua me mendacia pungunt,
 Nec tot falso in me dicta ferenda puto ?
Non mentireris, mea si mala vera videres :
 Materia hic linguæ sat foret ampla tuæ.

LX.

S. Scriptura abusus.

Hic liber est, in quo sua quærit dogmata quisque;
 Invenit & pariter dogmata quisque sua.

LXI.

Errores cur magis invisi quam vitia?

Cur minus invisum est vitium, quam dogmata prava?
Nempe horum puros nos credimus, haud vitiorum;
Hic igitur *veniam petimusque damusque vicissim.*

LXII.

Ad Concordiam consensus in singulis opinionibus non requiritur.

Ut sentiant omnes idem,
In singulis minutiis,
Fieri nequit nec poscitur.

Hunc ut feram, qui non poteſt,
Quodcunque credo, credere,
Fieri poteſt & poſcitur.

LXIII.

Aliud.

Nulli magis tetras ferunt diſcordias,
Quam qui volunt ut, quod putant, omnes putent.
Concordiam captant imaginariam;
Eamque turbant, obtineri quæ poteſt.

LXIV.

Aliud.

Ubi judicare cuilibet
Permittitur: ferendus eſt,
Quicunque pro captu ſuo
De qualibet re judicat;
Et perperam cum judicat.

LXV.

Status quaſtionis in pleriſque diſputationibus.

Cum diſputamus, hæc fere una quæſtio eſt;
Ad noſtrum honorem aut commodum quid conferat?

LXVI.

In intempeſtivas diſputationes.

Extinguitur fides peritque charitas;
Pietas jacet, ridetur innocentia;
Exceſſit omnis cordibus Dei timor;
Nil Chriſtianum in Chriſtianis cernitur;
Nec his potens medela quæritur malis.
Quid ergo agunt Chriſti miniſtri? Diſputant.

LXVII.

In ſtudium partium.

Hic jurat in *Papa* ratas ſententias;
Magiſter huic *Lutherus* eſt, huic *Zuvinglius*;

Nec

Nec asseclis *Photinus*, *Arius* carent.
Hominum sequaces hic & illic conspicis.
At CHRISTUS asseclas ubi suos habet,
Veros, sibi soli fideles, asseclas,
Sua audientes dicta, non mortalium,
Nec his nec illis servientes partibus?

LXVIII.

Aliud.

Qui tam fervidus es, nihil remittens;
Cum pro dogmate dimicas *Lutheri*;
Ortum si Tigurum tibi dedisset,
Quicquid *Zvvinglius* hanc docebat urbem,
Nunc defendere mordicus soleres.

LXIX.

In hominem dissentienti irascentem.

Si non potes, quæcunque credo, credere;
Mihine jure propter hoc irasceris,
Quod non queo, quæcunque credis, credere?

LXX.

Aliud.

Fers graviter, quoties à te dissentio; numquid
Credere in arbitrio est illa vel illa meo?

LXXI.

Aliud.

Tu poscis, ut, quæcunque dicis, approbem:
Ergo labora, ut sinciput meum tuo
In posterum conforme sit per omnia.

LXXII.

In hominem ad aliorum fidem sese accommodantem.

Qui credit id, quod creditur,
Ne panis auferatur:
Vis scire, quem colat Deum?
Dicam tibi: Artolatra est.

LXXIII.

Ad eundem Epistola Anacreontica.

Artem, *Phrenarcha*, calles
Præclaram & invidendam,
Sed, quod tibi fatebor,
Tectam mihi abditamque:
Tuæ, *Phrenarcha*, nosti
Sic imperare menti,
Ut hæc, quod esse verum
Vis credat, usque credat.
Album tibi videri
Si quid cupis, videtur.
Vis id nigrum putare:
Putas id esse nigrum.
Hoc est habere semper
Mentem sibi obsequentem;
Ut jussa credat istud,
Et jussa credat illud,
Omnemque ad imperantis
Se flectat usque nutum:
Hoc est suam domare,
Et subjugare mentem,
Fidei suæque prorsus
Esse arbitrum & magistrum.
Artem hanc, peto, *Phrenarcha*,
Præclaram & invidendam,
Dudum tibi retectam,
Et me velis docere:
Ut patrum opiniones,
Tritasque traditasque,
Doctoribusque nostris
Præ cæteris placentes,
Usque approbare possim:
Et has putare solas,
Veras, bonas, piasque

Sanas

Sanas & orthodoxas:
Contrariasque cunctas
Existimare falsas.
Pravas, periculosas,
Et neutiquam ferendas.
Istam, *Phrenarcha* noster!
Si me docebis artem,
Plene fideliterque:
Ad plebis & potentum
Optabilem favorem,
Ad pingue munus, inde
Victumque comparandum,
Viam mihi parabis:
Simulque me docebis,
Avertere & cavere
Dura atque acerba multa,
A plurimis ferenda,
A pluribus timenda.

LXXIV.

Aliud in eandem.

Magno cum studio propugnas dogmata Patrum;
Numinis hoc à me gloria poscit, ais.
Forsitan hoc à te poscit quoque gloria Patrum;
Forsan & hic aliquid poscit, amice, tua.

LXXV.

Aliud.

Vis ut tuas examinem sententias:
Sed væ mihi, nî singulas probavero.

LXXVI.

Aliud.

Suspectus es, cum vis videri singula,
Quæcunque Patres tradiderunt, credere:
Qui credit omne, quod cupit, credit nihil.

XXXIX.

Paucitas Christianorum.

Si Christianos esse credis plurimos;
Cur ergo tam paucos in orbe conspicis,
Qui præferunt æternitatem tempori?

XL.

Allusio ad dictum JACOBI: Monstra fidem ex operibus.

Exsequitur mundus nunc denique dicta JACOBI;
Atque suam *factis monstrat* ubique *fidem.*

XLI.

In occupatos aliis salvandis.

Dum salvare alios tu nocte dieque laboras;
Ne propriæ salutis oblivifcere.

XLII.

Aliud.

In propriis defectibus
Qui corrigendis totus est;
In cæteris plus corrigit,
Quam, qui suis defectibus
Vitiisque parcens, totus est
In corrigendis cæteris.

XLIII.

Pietatis in Pastore necessitas.

Quid Pastor absque sanctitate est? Histrio:
Bonus histrio, si sanctus esse creditur.
Malus histrio, si qualis est cognoscitur.
Bono sed histrione nil est rarius.

XLIV.

Aliud.

Quisquis oves Christi vis pascere, dispice primum;
Ipsene sis veras illius inter oves,

Qui

Qui non ex ovibus, qui non est de grege Christi,
Quicquid agat, Pastor non erit ille bonus.

XLV.

Mundus piis iniquus.

Cur, in profanis cum feramus omnia;
Offendimur cunctis piorum nævulis?
Invisa nobis est eorum sanctitas;
Hac, non eorum nævulis, offendimur.

XLVI.

Aliud.

Cur pius invisus sit mundo, quærere noli:
Increpat hic mundum moribus usque suis.

XLVII.

Aliud.

Hic, ais, impatiens, aliis vult sanctior esse.
Vultne scelus, qui te sanctior esse cupit?

XLVIII.

Aliud.

Si quem vides sancte pieque vivere;
Impostor est, non est, ais, vere pius.
Vis detegam, cur tam maligne judices:
Quod ipse non es, credis esse neminem.

XLIX.

Aliud.

Quisquis tibi paullo videtur sanctior,
Is protinus, te judice, est hypocrita.
Externa sola sunt in hoc, ais, bona.
Quid? an vides in cordibus latentia?

L.

In Osorem Pietistarum.

Deprime quantumvis Pietistas; dum modo ne quis;
Quamprimum pius est, sit Pietista tibi.

L I.

Aliud.

Res odioſa tibi eſt Pietiſmus : at excute mentem :
Forte etiam pietas res odioſa tibi eſt.

L I I.

Aliud.

Cui ſunt inviſi ſpeciem virtutis habentes,
Is nec virtutis ferre poteſt ſpeciem.

L I I I.

Somniis non eſſe indulgendum ſub pietatis prætextu.

Stulta hodie eſt pietas, ſed non tamen omnia ſtulta
Sunt pia, nec quævis ſtultitia eſt pietas :

L I V.

Utrius error gravior eſt? ejusne qui ita dicit :

Ut placeam Chriſto, ſatis eſt mihi vivere recte;
Recte præterea credere non opus eſt.

An ejus qui ita dicit :

Ut placeam Chriſto, ſatis eſt mihi, credere recte;
Recte præterea vivere non opus eſt.

Deciſio.

Error uterque gravis : ſed in uno hoc errat uterque;
Quæ Chriſtus junxit, diſſocianda putant.
Recte qui credit, vita hoc cupit uſque probare;
Qui vivit recte, quod cupit ille, facit.

L V I.

Ad hominem in impietate ſecurum.

Fictum eſſe infernum mentitaque gaudia cœli,
Monſtrare invicta num ratione potes?
Non, ais, hoc poſſem : quid? tu potes eſſe quietus,
Et ſolide hæc nondum ficta probare potes?

L V I I.

LVII.

Clausula dissertationis de stultitia securitatis.

Ad profanum.

Erige nunc cristas & in impietate superbi :
Et præ te stupidos quoslibet esse puta.
Vis posthac, vis jure pios ridere, Profane,
Ipse tibi sanum sinciput esse proba.

LVIII.

Caussa Atheismi non postrema.

Tot placitis hominum deformis reddita tandem
Relligio; multos cessat habere procos.

LIX.

Mendacia in nos dicta veros defectus in memoriam revocare debent.

Zoile, cur tantum tua me mendacia pungunt,
Nec tot falso in me dicta ferenda puto?
Non mentireris, mea si mala vera videres :
Materia hic linguæ sat foret ampla tuæ.

LX.

S. Scriptura abusus.

Hic liber est, in quo sua quærit dogmata quisque;
Invenit & pariter dogmata quisque sua.

LXI.

Errores cur magis invisi quam vitia?

Cur minus invisum est vitium, quam dogmata prava?
Nempe horum puros nos credimus, haud vitiorum;
Hic igitur *veniam petimusque damusque vicissim.*

LXII.

Ad Concordiam consensus in singulis opinionibus non requiritur

Ut sentiant omnes idem,
In singulis minutiis,
Fieri nequit nec poscitur.

Hunc ut feram, qui non poteſt,
Quodcunque credo, credere,
Fieri poteſt & poſcitur.

LXIII.

Aliud.

Nulli magis tetras ferunt diſcordias,
Quam qui volunt ut, quod putant, omnes putent.
Concordiam captant imaginariam;
Eamque turbant, obtineri quæ poteſt.

LXIV.

Aliud.

Ubi judicare cuilibet
Permittitur: ferendus eſt,
Quicunque pro captu ſuo
De qualibet re judicat;
Et perperam cum judicat.

LXV.

Status quæſtionis in plerîſque diſputationibus.

Cum diſputamus, hæc fere una quæſtio eſt;
Ad noſtrum honorem aut commodum quid conferat?

LXVI.

In intempeſtivas diſputationes.

Extinguitur fides peritque charitas;
Pietas jacet, ridetur innocentia;
Exceſſit omnis cordibus Dei timor;
Nil Chriſtianum in Chriſtianis cernitur;
Nec his potens medela quæritur malis.
Quid ergo agunt Chriſti miniſtri? Diſputant.

LXVII.

In ſtudium partium.

Hic jurat in *Papæ* ratas ſententias;
Magiſter huic *Lutherus* eſt, huic *Zvvinglius*;

Nec

Nec asseclis *Photinus*, *Arius* carent.
Hominum sequaces hic & illic conspicis.
At *CHRISTUS* asseclas ubi suos habet,
Veros, sibi soli fideles, asseclas,
Sua audientes dicta, non mortalium,
Nec his nec illis servientes partibus?

LXVIII.

Aliud.

Qui tam fervidus es, nihil remittens;
Cum pro dogmate dimicas *Lutheri*;
Ortum si Tigurum tibi dedisset,
Quicquid *Zvvinglius* hanc docebat urbem,
Nunc defendere mordicus soleres.

LXIX.

In hominem dissentienti irascentem.

Si non potes, quæcunque credo, credere;
Mihine jure propter hoc irasceris,
Quod non queo, quæcunque credis, credere?

LXX.

Aliud.

Fers graviter, quoties à te dissentio; numquid
Credere in arbitrio est illa vel illa meo?

LXXI.

Aliud.

Tu poscis, ut, quæcunque dicis, approbem:
Ergo labora, ut sinciput meum tuo
In posterum conforme sit per omnia.

LXXII.

In hominem ad aliorum fidem sese accommodantem.

Qui credit id, quod creditur,
Ne panis auferatur:
Vis scire, quem colat Deum?
Dicam tibi: Artolatra est.

LXXIII.

LXXIII.

Ad eundem Epistola Anacreontica.

Artem, *Phrenarcha*, calles
Præclaram & invidendam,
Sed, quod tibi fatebor,
Tectam mihi abditamque:
Tuæ, *Phrenarcha*, nosti
Sic imperare menti,
Ut hæc, quod esse verum
Vis credat, usque credat.
Album tibi videri
Si quid cupis, videtur.
Vis id nigrum putare:
Putas id esse nigrum.
Hoc est habere semper
Mentem sibi obsequentem;
Ut jussa credat istud,
Et jussa credat illud,
Omnemque ad imperantis
Se flectat usque nutum:
Hoc est suam domare,
Et subjugare mentem,
Fidei suæque prorsus
Esse arbitrum & magistrum.
Artem hanc, peto, *Phrenarcha*,
Præclaram & invidendam,
Dudum tibi retectam,
Et me velis docere:
Ut patrum opiniones,
Tritasque traditasque,
Doctoribusque nostris
Præ cæteris placentes,
Usque approbare possim:
Et has putare solas,
Veras, bonas, piasque

Sanas

Sanas & orthodoxas:
Contrariasque cunctas
Existimare falsas.
Pravas, periculosas,
Et neutiquam ferendas.
Istam, *Phrenarcha* noster!
Si me docebis artem,
Plene fideliterque:
Ad plebis & potentum
Optabilem favorem,
Ad pingue munus, inde
Victumque comparandum,
Viam mihi parabis:
Simulque me docebis,
Avertere & cavere
Dura atque acerba multa,
A plurimis ferenda,
A pluribus timenda.

LXXIV.

Aliud in eandem.

Magno cum studio propugnas dogmata Patrum;
Numinis hoc à me gloria poscit, ais.
Forsitan hoc à te poscit quoque gloria Patrum;
Forsan & hic aliquid poscit, amice, tua.

LXXV.

Aliud.

Vis ut tuas examinem sententias:
Sed væ mihi, nî singulas probavero.

LXXVI.

Aliud.

Suspectus es, cum vis videri singula,
Quæcunque Patres tradiderunt, credere:
Qui credit omne, quod cupit, credit nihil.

LXXVII.

In Pseudo - Zelotam.

Qua ratione probet, quæris, sua dogmata Fronto?
Quemlibet hæreticum, qui negat illa, vocat:
Devovet hunc diris, hominemque ad Tartara damnat.
En sua quam valide dogmata Fronto probet!

LXXVIII.

Aliud.

Opiniones ad tuas,
Argutiasque singulas
Me vis probandas cogere.
Zelota, non, ut tu mihi
In omnibus minutiis
Assentiaris, exigo.
Sat Orthodoxum dixero;
Si, fraudulenta non modo
Subscriptione nominis;
Sed Christianis moribus
Monstrabis & vita pia:
Te corde toto Symbolum
Apostolorum credere.

LXXIX.

Aliud.

Pro glossis hominum pugnas, certissima, dum te
Ostendis nondum credere verba Dei.

LXXX.

In hominem receptis sententiis inhærentem.

Credis quod tibi præcipit Magister;
Non credis; repetis sonos Magistri.

LXXXI.

Aliud.

In omnibus sententiis,
Prorsus Magister & Pater

Ut

Ut judicarunt, judicas;
Sed ut Magiſter & Pater,
In omnibus ſententiis,
Qui judicat; num judicat?

LXXXII.

Amor veritatis quid?

Amas Patrum ſententias,
Sententiasque proprias;
Sed veritatem non amas:
Hanc ſi Patrum ſententiis
Præfers, tuisque propriis:
Tunc veritatem tunc amas.

LXXXIII.

Incorrigibiles perverſi judicii homines.

Fruſtra laboras plurimis oſtendere,
Quam judicentque colligantque perperam;
Nam non magis recte monentem intelligunt,
Quam corrigentem intelligit cantor malus,
Qui neſcit auribus ſonos diſtinguere.

LXXXIV.

Aliud.

Ad id, quod ex me quæris, haud reſpondeo:
Ex quæſtione, quam moves, intelligo;
Quod dixero, ſupra tuum captum fore.

LXXXV.

Et inſcitia inflat.

Te turgidum ſcientia
Non reddit, aſt inſcitia:
Cum, ſcire quid ſit, neſcias,
Immenſa ſcire te putas.

LXXXVI.

Contra δοκησισοφίαν.

Scire tuum nihil est, si quid modo scire videris :
Aut si, quæ nescis, te bene nosse putas.
At si, quæ nescis, te scis nescire, nec unquam hæc
Nota tibi credis: *scire tuum est aliquid.*

LXXXVII.

Contra vanam gloriam.

Cur adeo, te mundus amet, te prædicet, optas?
Qui placet huic nimium, non placet ille Deo.

LXXXVIII.

Aliud.

Num melior fio ? mundus me reprobat: illi
Quæ bona sunt, mala sunt; quæ mala sunt, bona sunt.

LXXXIX.

In inimicum rationi.

Non adeo injustum est, inimicus si Rationi es :
Hæc inimica prius cœperat esse tibi.

XC.

Aliud.

Cum tu, meam rationem ut abnegem, petis :
A te peto, tua abneges deliria.

XCI.

Aliud.

Quæcunque dicis & doces,
Ratio esse inepta judicat.
Quis postulare à te potest;
Ut hanc ames & prædices,
Quæ de tuis sic judicat ?

XCII.

Aliud.

Usque tuis ratio cum dictis obstrepat, Aule ;
Jure illi tandem præcipis, ut sileat.

XCIII.

Ad eum qui fatalem omnium rerum necessitatem statuit.

Tu qui putas esse, omnia necessaria;
Contrarium cum credo, cur irasceris?
Contrarium me credere, necessarium est.

XCIV.

Sua quaque loco veritas dicenda est.

Virtutibus cœlum mereri neminem;
Hoc usque & usque Ecclesiæ inculcas tuæ.
Quid? Audientum conspicisne plurimos,
Cœlum mereri qui velint virtutibus?

XCV.

Aliud.

Hoc esse dogma sacrilegum,
Conversionis gloriam,
Suo labori adscribere,
Doces in anno centies:
Conversa jam [quis ambigat?]
Cœtus tui est pars maxima.
Id unicum nunc quæritur;
Conversionis gloriam
Cui debeant adscribere.

XCVI.

In cæcum assensum.

Cum jactet se Roma bonas exponere merces;
Has tamen emptorem non cupit inspicere.
Dicite mercantes; qui, quam vult vendere, mercem;
Non vult spectari; num putat esse bonam?

XCVII.

Aliud.

Cum me credere vis, nihil probare;
Nil credo tibi; cur? rogare noli:

Annon hoc satis est superque caussæ;
Quod me credere vis, nihil probare?

XCVIII.

In viam Auctoritatis.

Lata frequensque via est, aliorum fidere dictis,
Et nihil ingenio velle probare suo.
Hæc via nunc cœli facta est: sit gratia Romæ:
Facta per hanc cœli lata frequensque via est.

XCIX.

De Patrum infallibilitate.

Haud infrequens res, Doctor est,
Qui non agit sicut docet:
Nec impiis doctoribus
Hoc exprobare nunc volo.
Sunt, qui negant & pernegant,
Nostros Magistros & Patres
Fuisse falli nescios;
Decreta eorum sic tamen
Tenent, colunt, ac si Patres
Falli fuissent nescii;
Hi non agunt, sicut docent:
Docentne, aguntne rectius?

C.

Aliud.

Si retinenda Patrum sunt dogmata; suntne timenda
Spectra etiam & lemures, quos timuêre Patres?

CI.

Fides imperio non subest.

Quicunque me mutare præcipit fidem;
Sit is licet Monarcha in Orbe maximus;
Mihi tamen cavere de damno nequit.

CII.

CII.

Aliud.

Quid frustra, ut credam, mihi præcipis? instrue mentem,
Ut, quæ vera putas, hæc quoque vera putet.

CIII.

Aliud.

Tu sis licet longe Cyro potentior,
Viresque colligas; tibi ut credam, nequis;
Ut mentiar, forsan potes me cogere.

CIV.

Tyrannis Conscientiæ.

Quam sit tyrannis dura conscientiæ,
Non sentiunt, qui conscientia carent.

CV.

Hæresis magiæ similis.

Magiæ in hoc plerumque par est hæresis;
Fictum est utrumque crimen innocentium.

CVI.

Regula Grammatica.

Ad quæstiones plurimas
Doctissima est responsio;
Cum, *nescio*, ais, vel, *non liquet.*

CVII.

In obscure loquentem.

Frustra rogaris, ut loquaris clarius:
Quæ cogitas, non clarius dici queunt.
Ut cogitare clarius velis, rogo.

CVIII.

Aliud.

Cum pugno tecum, tu mihi usque elaberis;
Nam *nube Diva Obscuritas* te contegit.

CIX.

Aliud.

Culpa mea est, solus si non capio tua dicta:
Culpa tua est, solus si tua dicta capis.

CX.

De vera Nobilitate.

Quod mea nobilitas à me inchoet, objicis usque:
Nobilis est, quisquis nobile stemma facit.
Turpius est, Patrum quod virtus desinit in te:
Cessat, ubi nihil est nobile, nobilitas.

CXI.

Aliud.

Usque crepas atavos tritavosque, & primus in orbe
Censeri generis nobilitate cupis.
Patres non animum generant, sed corpus; ab illis
Ergo aliud nil, quam nobile corpus, habes.

CXII.

Aliud.

Stemmatis antiqui qui nobilitate superbit,
Animam, necesse est credat, esse *ex traduce.*

CXIII.

In hominem merita sua jactantem.

Quid venditas merita tua in Rempublicam?
Merita ejus in te prædicares æquius;
Non illa per te reddita est beatior;
Sed te tuosque beatiores reddidit.

CXIV.

In superbum.

Se tibi qui præfert, valde hunc, ais, esse superbum:
Sed cum sic loqueris, nonne superbus homo es?

CXV.

Aliud.

Festus, ais, cunctos spernit, non excipit ullum:
Sentio; quod te non excipit ille, doles.

CXVI.

In hominem ingeniosum & disertum.

Ingenio & lingua polles: tanto es, Line, pejor;
Si malus es; tanto, si bonus es, melior.

CXVII.

In Ostentatorem.

Tantum videri tu cupis, nil amplius:
Quod vis habes: videris & nil amplius.

CXVIII.

Ad Garrulum.

Sunt qui non leviter sibi te laudare videntur;
Garrule; cum dicunt, te bene sæpe loqui.
Hoc ego non miror; mirarer, verba tot inter,
Quæ blaterare soles, si bona nulla forent.

CXIX.

Bernhardi Bauhusii S. J. Distichon:

Heretici insolentes puniendi.

Turba Lemanna sacras spernit Petri impia claves:
O gladium Petro da modo, Paule, tuum!

Responsio.

Sic reddis Petro, Jesus quod ademerat olim.
En Jesu socium! Nosce ex hoc ungue leonem!

CXX.

Alia.

Quando suum Petro gladium vis reddere Paulum;
Non bene perpendis, quid, Lojolita, petas.
Petrus habet gladium Pauli; cum Petrus eodem,
Quo Paulus quondam, percutitur gladio.

CXXI.

In Ambitiosum.

Ad altiores dignitates progredi,
Virtutis in via plerumque regredi est.

CXXII.

Aliud.

Non evehi eſt, mutare nomen & togam,
Sed creſcere in virtutibus, vere evehi eſt.

CXXIII.

Aliud.

Ambitio ad ſummos cum te compellit honores;
Optatam ad metam quâ cupis ire via?
Fidere non meritis potes & virtutibus, iſta
Vix ullum hoc noſtro tempore pondus habent:
Artibus ergo quibus fidis? donisque, dolisque,
Turpibus obſequiis, ingenioque levi.

CXXIV.

Aliud.

Falſum eſt, in pejus ruere omnia; quin vitiorum
Cernimus inter nos diminui numerum.
Ambitio & lucri ſtudium mala bina fuerunt:
Nunc unum ambitio eſt atque cupido lucri.

CXXV.

Quæſtio, de modo conferendi munera, quando decidenda.

Quonam modo ſint conferenda munera,
Ut liberetur Civitas ab ambitu:
Electio ſortine committenda ſit,
Servandus an ſit mos avorum priſtinus,
In Curia nunc ventilatur quæſtio.
Hanc rite nobis quis poteſt decidere?
Non, undecunque vile qui captans lucrum,
Sua vota vendit, quam poteſt cariſſime.
Non quisquis artibus malis aſcendere,
Aut hac cupit via ſuos attollere:
Litem nec is decidet iſtam candide;
Quisquis tenendæ intentus eſt potentiæ,

Aut

Aut hanc laborat usque & usque extendere;
Novamque nec qui comparare cogitat.
At liberam dicet nec is sententiam.
Qui totus est obnoxius potentibus,
Quem sanguis aut affinitas his mancipat;
His qui nimis confidit aut debet nimis;
Hos qui nimis veretur & nimis timet.
Litemque terminabit haud pedarius,
Qui, semper annuens prioribus, nequit,
Aut publicis in coetibus timet loqui.
Sed quando sana non ab ullo talium
Speranda quaestionis est decisio:
Tunc praevalebit sanior sententia,
Cum praevalebunt plurimis paucissimi.

CXXVI.

In sortem invectiva.

Sors caeca est, fulgénsque licet non conspicit aurum:
Surda est: non audit promissa, precesque, minasque:
Et stupida à Codris Croesos discernere nescit,
Ac summos inter nunquam distinguit & imos:
Rustica, nec servire ulli, nec repere docta,
Magnorumque preces inter mandata referre.
Ingrata est: non officiis benefacta rependit.
Dura est: blanditiis nullis precibusve movetur:
Crudelis: gemitu & lacrymis non flectitur ullis.
Quoque malum non est magis intolerabile: Sors est
Res sterilis, cessare facit fructumque lucrumque,
Res quoque nobilibus Sors est inimica puellis:
Et pingues reditus spesque intervertit opimas.
Multosque ad rastrum redigit vilesque labores.
Tot Sors cum vitiis scateat, quis denique multis
Usque adeo invisam hanc Sortem mirabitur esse?

CXXVII.

Aliud.

Sors ubi regnat, ais, virtus ibi nil valet: ista
Nummus ubi regnat, dic mihi, plusne valet?

CXXVIII.

In Avarum.

Quendam, plebs Equites Patresque dicunt,
Nummos nescio quot tibi abstulisse:
Ast hoc plebs Equites Patresque factum
Credant; non ego: cur? Avare, vivis.

CXXIX.

Avaritia Phrenesis.

Aut fallor aut in plurimis auri fames
Phrenesis est & læsa imaginatio.
Opes amantur & coluntùr unice:
Aurique cuncta perstrepunt encomiis:
Id possidenti passim egentes invident;
Beati ubique prædicantur divites;
Illis honor defertur, his assurgitur,
Monstrantur atque præferuntur omnibus.
Ista audientis & videntis perpetim
Cerebrum imbecille non potest resistere:
Corrumpitur sic sensim imaginatio.
Aurum putatur verum & unicum bonum,
Quantumlibet sit possidenti inutile.
Insana mentem invadit hinc auri fames:
Qua qui laborat, aurum anhelat unice.
Postponit auro literas, scientiam,
Fas, justa, sancta, gratiamque Numinis.
Auro carentem egere credit omnibus,
Hoc possidentem habere dicit omnia.
Cum dormit aurum, aurum vigil desiderat:
Tandemque in aurum versa vellet omnia.

Morbo

Morbo laborans mox sodales inficit:
Plures mali sic corripit contagio;
Latissimeque serpit hoc delirium.

CXXX.

In mortem Athei.

Optavit iste perpetim;
Nullum dari in mundo Deum.
Conclusit ex voto hoc suo,
Vere Deum nullum dari.
Nunc sentit ille denique
Et sentiet in sæcula,
Falsam esse consequentiam.

CXXXI.

In mortem hominis resipiscentiam differentis.

Qui jam tremendos pascit ignes Tartari,
Foret beatus, mortuus si cras foret.
Mutare mores usque & usque distulit.
Ultra sed exspectare Judex noluit.

CXXXII.

In mortem ebriosi.

Nulla sitim poterant restinguere pocula Rufi;
Æternam poterit num tolerare sitim?

CXXXIII.

In mortem Avari.

Euclio tandem abiit, nihil abstulit Euclio secum:
Nec tamen argentum perdidit ille suum.
Undique corrasit; nihil at possederat unquam:
Quam bene! sic moriens perdere nil poterat.

CXXXIV.

In mortem ambitu evecti.

Quid tituli & fasces & honorum insignia, quid sunt

Quæ tanti conſtant munera celſa? nihil.
Ille, tot armatis ad ſummum eniſus honorem,
Lictori ſimilem ſe cupit eſſe ſuo.

CXXXV.

In hominem probitatem publico teſtimonio probantem.

Ut te virum credam bonum,
Producis uſque publicas
Hoc ad probandum literas.
Credo tibi; Vir es bonus,
Sed Vir bonus, qui literis,
Hoc ut ſciatur, indiget.

CXXXVI.

In affectatam cujusdam modeſtiam.

Eſſe rudem cum te dicis: nolles tibi credi.
Falleris, invito creditur uſque tibi.

CXXXVII.

Nolle judicare, judicare eſt.

Transmiſſusne liber placeat mihi, Pontice, quæris.
Pulchra ligatura eſt, perplacet illa mihi.
Ipſe, ais, ipſe liber, rogo, num placeat tibi? totus
Eſt nitidus, maculam nusquam ego conſpicio.
Quod ſcriptum in libro eſt, inſtas, placeatne, requiro.
Charta & atramentum, litera, cuncta placent.
Iratus tardum & ſtupidum me denique dicis.
Tu vere es tardus, Pontice, non ego ſum.

CXXXVIII.

In hominem omnium laudatorem.

Laudare tu ſoles & indigniſſimum.
Ergo & meas ſi quando laudes prædicas;
Tractare me ſoles, ut indigniſſimum.

CXXXIX.

Aliud.

A te cum laudor, laudari non ego credo:
Laudare cuncta qui solet, laudat nihil.

CXL.

Ad maledicum.

Arcam effringe meam, gemmas inde aufer & aurum;
Si pretiosa habeo, surripe vasa mihi.
Fur eris & furca dignus; sed dignior illa es,
Cum mihi, quod longe est charius hisce, rapis.

CXLI.

Sors deceptorum.

Hic deceptor erat, sed nunc vix decipit ullum:
Non est vir melior, noscitur at melius.

CXLII.

Ad delatorem.

Delator es, hoc sufficit,
Ut denegem tibi fidem.
Delator esse qui potest,
Et esse mendax hic potest.

CXLIII.

Aliud.

Quem te esse dicis, Gargili? Delator es.
Delator admodum fidelis si fores,
Turpis tamen professio foret tua.
Delator at mendax & infidelis es.

CXLIV.

In Philosophum,

Bruta esse machinas probantem.

Quid narras? mea nil catella sentit?
Blanda istæc, docilis, sagax catella,
Hanc cum basio, cum voco fugoque,

Hanc

Hanc cum mulceo, pungo, vexo, cædo.
Horum nil mea nil catella sentit?
Id vis hac mihi pagina probare.
Certe hanc dum lego ponderoque quid sit,
Quod te compulit huic negare sensum:
Cedo & nil, fateor, catella sentit.
At cum basio, cum voco fugoque,
Hanc cum mulceo, pungo, vexo, cædo;
Quicquid dixeris, hæc catella sentit:
Si quid sentio, sentit & catella.

CXLV.

In Elegos Juveniles.

V. C. JOH. GASPARIS MALSCHII.

Carmina cur edis? nulli sunt carmina curæ,
Et spretum Vatis nomen ubique jacet.
Verum adeo cum suave canas; quid? nullus in orbe
Dulcisono cantu qui moveatur, erit?
Ede tuos Elegos, poterunt, nisi fallimur, isti
Vatibus antiquum conciliare decus.

CXLVI.

Ad Celeberrimum J. A. TURRETTINUM,

Post iter ejus Basiliense.

Optima pars vitæ est, qua Te, Dulcissime, vidi:
O veniant tales huc mihi sæpe Viri!
Sed tales ubi sunt? Ex qua mihi denique mundi
Hospes tam gratus parte venire potest?

CXLVII.

De Oratione ejusdem, in laudem GUILIELMI, *Magnæ Britanniæ Regis.*

Hæc Oratio lecta ter quaterque
Quam me ceperit, indicare vellem!
Et vellem tribus indicare verbis!

Nam

Nam multiloquium Tibi haud probatur.
Euge! hæc jam mihi verba sunt repetta.
Hic tantum hæsito, majór anne laus sit?
Si clamavero: *Digna Guilielmo est!*
An si dixero: *Digna Turrettino est!*

CXLVIII.

In ejusdem quæstiones de Ludis secularibus.

Huc ades, O Lector, libro spectabis in isto
Ludos, quos ætas viderat una semel:
At simul Auctoris libro spectabis eodem
Dotes, quas ætas vix videt una semel.

CXLIX.

Ad eundem libris impallescentem.

Tandem desere, quos amas, libellos:
Nemo te cupit esse doctiorem;
Tantum te cupimus valentiorem;
Talem non facient tui Libelli.

CL.

In Cl. OSTERVALDII *Catechesin.*

Nil aliud libri censoribus imprecor hujus,
Auctori quam sint ut pietate pares.

CLI.

Aliud.

Ut totus placeat tibi libellus,
A te est ordine debito legendus.
Quæris, quis tibi sit tenendus ordo;
Ut quæcunque legis probare possis?
Simplex consilium dabo & fidele.
Tu mox incipe paginis ab illis,
Quæ de justitia atque charitate
Tractant; cuncta animo pio recondens:
Hæc si cor penetrant, novum libellum

Tum tu plus decies lege & revolve:
Nil uſquam in reliquis mali videbis.

CLII.

In Herbarium.

Cl. V. THEODORI ZVINGERI.

Qui Librum, Zvingere, tuum legit, ambigit, an tu
Plus herbis an plus debeat herba tibi.
Virtutem herbarum dum libri nós docet auctor,
Virtutem Auctoris quælibet herba docet.

CLIII.

Aliud.

Quot ſtirpes capit iſte liber, quot continet herbas?
Scilicet hic orbis totius hortus adeſt:
Inter tot plantas mundi veterisque novique
Stirps, at quam ſalubris! non numerata tibi eſt.
Floruit hæc Patrio plusquam ter dena Lyceo
Luſtra, & non uno germine floret adhuc.
Vah quot corporibus tulit ægris illa ſalutem!
Vah quoties animis certa medela fuit!
Cum nil prætereas, ſtirpem cur præteris iſtam?
Ædibus illa tamen creſcit, Amice, tuis.
Quam fallor! docet uſque liber quod abeſſe putabam:
Vires Zvingeriæ ſtirpis ubique refert.

CLIV.

In Lexicon.

V. Cl. NICOLAI GURTLERI.

Ingenium Gürtlere tuum; quod maxima dudum
Promiſit doctis, denique verba dedit.
Sed cum verba dedit, tanto congeſta labore,
Tanto judicio, non mera verba dedit.

CLV.

CLV.

In Cl. EMAN. MEYERI

Historiam sacram.

Discere ament alii, quid Cæsar gesserit olim,
Atque avide Heroum grandia facta legant.
Vah quanto majora liber nos iste docebit!
Ipsius hic narrat gesta stupenda Dei.

CLVI.

Ad Cl. GAUTIERIUM, *nunc Philosophiæ in Acad. Genevensi Prof. novo exemplo sine Præside apud nos disputantem.*

Qui nomen unum conspicis
Hic ante centenas Theses,
Et Præsidem desideras:
Hoc, inquis, hoc est traditam
Mutare consuetudinem:
Comparet hic *Gautierius*,
At unicus *Gautierius*:
Num solus agmen dogmatum
Valebit hoc defendere?
Accede, quisquis huic times,
Nostrumque nosce militem;
Scrutare vires, quas suæ
Velo tegit modestiæ:
Statim timere desines.
Quid ergo, lector, amplius
In pagina circumspicis?
Bina usque & usque nomina
Quid quæris? unum sufficit.
Quin adde sexcentas Theses,
Problemata, axiomata:
Annecte, quicquid evidens
Et quicquid est probabile:

Defendet; aude congredi,
Si fortè vinci te juvat;
Defendet hæc *Gautierius*,
Et unicus *Gautierius*.
I nunc & in certamine
Mirare, more patrio,
Te Præsidem non cernere!
At ipse quanto justius
Mirarer his in paginis
Te Præsidem requirere?

CLVII.

Aliud.

Sæpe disputationes
Haud carentes Præside,
Absque Respondente cernis.
Nostra disputatio
Hoc, videbis, haud carebit;
At carebit Præside.

CLVIII.

In JENCKINI THOMASII *Angli Orationem de Peregrinationis utilitate.*

Quantum homini prosit longinquas visere terras;
Thomasi egregie verba diserta docent;
Si non persuadent, Authorem noscito Lector:
Quod docet, exemplo comprobat ipse suo.

CLIX.

In dissertationem SOCINI *adversus* F. SOCINUM.

Infaustum in terras quod sparsit dogma Socinus
Convellis calamo, docte Socine, tuo.

Nempe,

Nempe, ut mortifero quem læsit Scorpius ictu,
Illi fert oleo Scorpius alter opem.
Sic ex qua tetrum manavit gente venenum,
Ex illa salubris nunc medicina venit.

CLX.

Ad Satyricum Gallum, scriptores veteres hodiernis præferentem.

Præ cunctis veteres probas Poëtas:
Tanto credere nos decet Poëtæ.
Sed cum vincere prisca te videmus,
Tanto credere non decet Poëtæ.

CLXI.

Cl. FONTENELLO *hos illis præferenti.*

Nostris cedere prisca Fontenellus,
Demonstrare volens, & hic & illic
Conquirit nova præferenda priscis;
Sed cum se nihil invenire cernit,
Libros impatiens facit, probatque
Nostris cedere prisca Fontenellus.

CLXII.

Ad eundem.

Forsitan exiguum tibi Fontenelle videtur,
Quod capitur scriptis gens quoque nostra tuis.
At, precor, agrestis populi ne despice plausus:
Fallor? an hinc veniet gloria summa tibi?
Talem carminibus quia gentem attraxerat Orpheus,
Illum hodie dicunt allicuisse feras.

CLXIII.

In præcedentis Epigrammatis Censorem.

Quod nos Helvetios feros vocavi;
Clamas, me patriæ esse proditorem.

 Hoc

Hoc clamore cupis probare forsan,
Nos non immerito feros vocari.

CLXIV.

Ad Regem Galliæ, Bellum cum toto orbe gerentem.

Cum, Rex, arce tua totum circumspicis orbem,
Omnia, quæ cernis, sunt inimica Tibi;
Hostem nempe tibi similem quæsivit Olympus:
Par tibi si quis erat, non nisi Mundus erat.

CLXV.

Aliud.

Si quis forte tibi metuit, Rex maxime, teque
Non putat innumeris hostibus esse parem;
Da veniam pavido, cui non es cognitus; an te
Vincere posse putet, quos numerare nequit?

CLXVI.

LUDOVICUS & WILHELMUS

alius alii laudes suas debent.

Hic nisi traxisset cunctas in prælia gentes,
Illum quis cunctis diceret esse parem?
Ni tantus, *Ludovice*, fores, quis diceret, orbem.
Wilhelmus vetuit Gallica ferre juga?
Hosti materiam virtutis nî daret hostis,
Et minor hic heros & minor ille foret.

CLXVII.

Epitaphe du Roy GUILLAUME *par Monsieur* PAVILLON.

Cy gist l'Usurpateur d'un pouvoir legitime,
Jusqu'à son dernier jour favorisé des Cieux;
Dont les vertus meritoient mieux
Que le Throne acquis par un crime.

Par

Par quel destin faut il, par quel étrange Loy,
Qu'à tous ceux, qui sont nés pour porter la Couronne,
Ce soit l'Usurpateur qui donne
L'exemple des vertus, que doit avoir un Roy?

Versio Latina.

Invasor Regni jacet hic, quo dignior unquam
Nemo fuit, sceptrum jure tenere suum.
Regni cum fuerit raptor, cur fata tulerunt,
Perfecti Exemplar Regis ut ille foret?

CLXVIII.

Interpretis pro vate Gallo deprecatio ad Regem GUILIELMUM.

Gallo da veniam Vati, Rex inclyte, famæ
Uno hoc opprobrio nil nocet ille Tuæ.
Quantis te contra, quam veris laudibus effert?
Nempe illud Patriæ debuit, hasce Tibi.

CLXIX.

GUILIELMUS *Rex omnibus laudibus Superior.*

Ode Anacreontica

Anacreon è Campis Elysiis Poëtis S. D.

Ut audio, Poëtæ,
Tentatis usque magnum
Cantare Guilielmum.
Præclarus iste vester
Est impetus, Sodales;
Sed vanus iste vester
Est impetus, Sodales.
Homerus, ipse vidi,
Noster Parens Homerus,
Cum facta nuper hujus,
Audiret inter umbras;

(Et

(Et hic quoque audiuntur.)
Hæc protinus volebat
Cantare, sed volebat.
Suffusus est rubore,
Ac, lacrymis obortis,
Ego, inquit, ille Vates,
Divinus ille Vates,
Potui Hectora atque Achillem
Cantare, Guilielmum
Cantare non licebit?
Adsint novem Sorores,
Apollo ades vocanti,
Juvate me, juvate
Heroa canere, dira
A servitute totum
Qui liberavit orbem.
Conatur id Thalia:
Sed nil agit Thalia.
Tentant idem Sorores:
Nil promovent Sorores.
Ter Phœbus ipse cœpit:
Ter Phœbus ipse frustra est;
Gestisque Guilielmi
Ingentibus canendis
Se non parem fatetur.
Cantare Guilielmum
Desistite ergo cuncti,
In Orbe quotquot estis,
Phœbo sacri Poëtæ.
Hoc ter quaterque tentans,
Sed frustra & usque frustra,
Desistere ipse tandem
Coactus est Apollo.

CLXX.

In præcedentem Odam.

Non miror, hanc si non putas
Odam esse Anacreontis:
Qui cantat hic Anacreon,
Anacreontis umbra est.

CLXXI.

In tristem Ovidii ex ædibus BUXTORFIANIS *discessum Elegia.*

NB. *Vir Cl.* JOH. BUXTORFIUS *se simulatque in agro stationem Ministri obtineret, Ovidium N. Heinsii mihi dono daturum promiserat. Haud longe post commissa illi est Ecclesia Aresdorfensis.*

Cum Buxtorfiades Nasonem excedere nuper,
Et flentem tecto jussit abire suo:
Visus erat vates iterum sibi linquere Romam;
BUXTORFI domus huic Urbs Latiumque fuit.
Talem vidisses, qualis, cum conjugis olim
Dilectæ ex ulnis eriperetur, erat.
Ergo, ait, ergo iterum nunc cogor adire Tomitas,
Exiliumque pati Sors mea semper erit.
Me miserum! à Domino quid me divellit amico?
Num mihi scripta iterum liberiora nocent?
Num laribus lasciva piis me pagina pellit?
Solaque nunc Dominum pagina sacra capit?
At poteram admitti, tunc cum ridere licebit,
Lusimus & castis multa probanda Viris.
Dixerat: at Dominus non ultra ferre querelas
Hospitis, ah! longè tristior ipse, potest.
Non, inquit, te pellit amor, non callida pellunt
Te furta, aut dominæ crimina visa tuæ.
Lubrica nec præcepta rudi quæ tradis amanti;
Perniciosa aliis, perniciosa tibi.

 Cæsaris

Cæſaris offenſi nec nos accedimus iræ:
Hunc ego crudelem ſæpe ferumque voco.
Si te, delicium noſtrum, dimittere cogor;
Accipe quæ tanti ſit mihi cauſſa mali:
Pollicitus nuper te ſum male ſanus amico,
Promiſſa impleri nunc memor ille petit.
O utinam poſſent aut verba emiſſa reverti,
Aut elapſa mihi talia nulla forent!
Non levior verbis tela eſt, quam tendit, arachne;
Tanquam compedibus nos tamen illa ligant.
Nunc ergo eſt adſtricta fides; promiſimus, actum eſt!
Cur mihi, cur tanti vilis agellus erat?
Olim ego quæ dixi, poteram non dicere verba;
Nunc ego quod dico, dicere cogor, abi.
At tu vade bonis avibus, dulciſſime Vates,
Vates ante alios ſemper amate mihi.
Cedimus inviti cui te nos cedimus; ipſe,
Quo tibi nil majus, ſit mihi teſtis amor.
Sint lacrymæ & gemitus, ſint oſcula fervida teſtes;
Quæ data jam decies non tibi ceſſo dare.
Quo triſtem ablego, quanquam ſit Barbara tellus;
Quamlibet incultæ Barbarus eſſe nequis.
Ægre uſquam invenies lepidi queis vena Poëtæ
Non ſit nota, viros, non ſit amata, lares?

CLXXII.

In fidem à fœderatis HELVETIIS *nupero bello Patriæ noſtræ monſtratam.*

Fama fuit conſtans, omnes diffuſa per oras,
Jam penitus terras deſeruiſſe fidem.
Gaude orbis, gaude! mendax hæc fama reperta eſt.
Helveticis latuit perdita Diva jugis.
Prodiit ut nuper ſylvis; cum Teutone Gallus,
Cernimus, exclamant, hic ſupereſſe Fidem.

CLXXIII.

CLXXIII.

In Pedemontanorum, paullo ante jussu Regis Galliæ pulsorum, revocationem inexpectatam.

Invisos Dux pelle viros, Rex dixerat ingens:
Pelluntur miseri vallibus ecce suis!
Vidit, & hos revoca Princeps, Rex inquit Olympi.
Qui pepulit, pulsos protinus ipse vocat.

CLXXIV.

Ad valles Pedemontanas.

Angustæ valles, ubi, cunctis exul ab oris,
Relligio stabilem fixerat usque larem;
Quis neget, esse Deum vestris qui gaudeat antris,
Perpetuumque sacros Numen amare specus?
Prisca Dei renuunt si credere facta profani:
Pandite quæ vestris visa fuere jugis.
Hæc modo, quæ nostro miracula cernitis ævo,
Hæc poterant cunctis conciliare fidem.

CLXXV.

Viro Vener. JOH. RODOLPHO WETSTENIO FIL.

Patri Cognomini in omnibus dignitatibus & muneribus succedenti.

Wetstenium nuper raptum ploravimus: at quis
Hunc nobis raptum dicere jure potest?
Alter adest simili virtute & nomine Doctor:
Et vitam & titulos reddidit ille Patri.
Nil agis, ô Libitina, scholæ rape lumina quævis;
Falx in Wetstenios nil tua juris habet.

CLXXVI.

Cl. CRAMERO, *cum ei conferrem Titulum Doctoris Theologi.*

Carmine Promoto gratari desine Vates;
Carmina debentur justius ista mihi.

Nunc valet, aut nunquam, ſapientum regula trita:
Eſt dantis, non eſt accipientis, honor.

CLXXVII.

Cl. SUICERO, *cum eundem Titulum ipſi conferrem.*

Cum tibi, Doctori celebri, Doctoris honores
Confero; do titulum prætereaque nihil.
Sed dare quid majus poteram? tibi defuit unus
Hic noſter titulus, prætereaque nihil.

CLXXVIII.

Vener. Antiſtiti noſtro D. D. HIERONYMO BURCARDO.

Cum eundem ipſi Titulum conferrem.

Quem tibi do titulum, tibi dum gratantur amici;
Grator ego dotes, quas Deus ipſe dedit.
Ille poteſt ſolus Doctores ritè creare:
Nos, cum magna damus, nomen inane damus.

CLXXIX.

Ad Cl. Collegam ISELIUM, *cum idem ipſi conferretur Titulus.*

Nobile ſi nomen plauſum exigit; hoc Tibi dudum
Debemus, quo nunc fungimur, officium.
Quod nunc conferimus Tibi, magnum eſt nomen; at ipſe
Feciſti longe majus in orbe Tibi.

CLXXX.

Ad Cl. Collegam JOH. LUDOVICUM FREYIUM, *cum idem ipſi conferretur Titulus.*

Cum tibi Doctoris, Freyi, gratamur honores,
Nobis gratamur non minus atque Tibi.
Si, quem nos gerimus, titulus levis ante fuiſſet;
Cum tibi confertur, deſinit eſſe levis.

CLXXXI.

CLXXXI.

Cl. BUXTORFIO *cum Magister artium renunciaretur.*

Si cantare tuas virtutes ipse pararet
Phœbus; quid, credis, diceret ille Tibi?
En Buxtorfiadem verum! tibi diceret; hoc nil
Quod possit majus dicere, Phœbus habet.

CLXXXII.

Tribus Medicinæ Doctoribus recens creatis.

Vos, numero Parcis similes, producite cuncti
Fila hominum, vestrum stamina nemo secet.

CLXXXIII.

D. PETRO MANGOLD *cum renunciaretur Doctor Medicus.*

Omnibus una queat num morbis herba mederi,
Lis dudum in medicis est agitata scholis:
Nunc herba inventa est, patrio quam nomine dicunt
Mangoldum, hæc cunctis sit medicina malis.

Germ. Mangold Betam significat.

CLXXXIV.

Quatuor Medicinæ Doctoribus.

Vobis honores gratulor cunctis simul:
Ne carmen à me quæso quisque poscite.
Non versibus tot nostra vena sufficit,
Exhausta dudum á plurimis medentibus.
Nocet Poëtis, Cæsarem quod perdidit.

CLXXXV.

Doctori Titulo tenus Patri simili.

Unum hodie titulum recipis, Durande, Parentis:
Utque is, Doctoris tu quoque nomen habes.

Sed vocat ulterius Genitor te, &, multa supersunt;
Totum, ait, ut possis nate referre Patrem.

CLXXXVI.

Cl. WILKENS *Hamburg. qui, postquam in Disputatione ejus inaugurali, ab hoc rogatus, Opponentis partes egissem, post in promotione versus gratulatorios à me petiit.*

Vicisti nuper nostro in certamine, cuncta
Fecisti ut caderent irrita tela mihi.
Quid? tibi non satis est vicisse? ornare trophæa,
Et me victricem vis celebrare manum?
Sic quondam Romæ gens debellata Triumphum
Jussa est victoris condecorare sui.

CLXXXVII.

Clarissimo A LENT, *cum gradus Doctoris Theologi ei conferretur.*

Lætata est te, Lente, videns Academia; jam se
Sperabat Lentum posse tenere diu.
Spes nos decipiunt & inania nomina: pernix
Fit, qui Lentus erat; qui modo venit, abit.
Quod meruisti olim, tum nondum ambire volebas:
Tunc re, non solo nomine, Lentus eras.
Nunc properas: auferre cito Doctoris honorem
Non properas; meritis Lentior ille venit:
Incultas properas crassoque sub aëre terras
Deserere, hoc promtum te celeremque facit.
Nec tamen informis, nuper se in littore Rheni
Aspiciens, visa est Raurica nostra sibi.
Nunc quoque sunt uvæ, sunt nobis mitia poma:
Exprimit Autumnus dulcia musta tibi.
Jamne tibi insani sordent carchesia Bacchi,
Atque tuæ Cereris dona redire cupis?
Ad potum hunc si festinas, *festina lente:*

Lentos

Lentos atque graves hos imitare pedes.
Grata dies pauci res sunt, si non datur ultra;
Nec pauci Lento sunt mora longa dies.
At tu si nostros animos explere volebas,
Nomine debebas Lentior esse tuo.

CLXXXVIII.

Cl. BATTIERIO, *JCto. cum gradus Doctoris ei conferretur.*

Viderat Eunomie tandem, quæ debita dudum
Præmia, quæ fuerant vindice digna suo.
Partem horum reddamus, ait: sed reddere nuper
Visa sibi, satis haud fecerat ipsa sibi.
Non hæc sufficiunt, inquit; cumulentur honores
Collati titulis, sic placet, usque novis.
Dixerat: applaudunt Themidi juvenesque senesque,
Rauriciæ matres, Rauriciæque nurus.
Pulpita io Pæan! resonant, Academia gaudet,
Rides cum Nymphis tu quoque Rhene pater.
Hic ego (fabor enim, puduit post terga relinqui,)
Sic cœpi Musam sollicitare meam:
BATTIERI tacito tu sola videre triumphos
Ore potes? tene hic, te siluisse decet?
Undique concurrit gratantum turba, nec ulli
Sufficit in plausus formula prisca novos.
Hæc mea Musa vides; sed & hæc, (quis credere posset?)
Publica cunctorum gaudia muta vides.
Proh pudor! an soli est hodie tibi surdus Apollo?
Aruit an soli Pegasis unda tibi?
Quin tentas aliquid: reddet fœcunda disertum
Materies, vatem quemlibet ista facit.
Dixi: at virgineo faciem suffusa rubore,
Musa indignanti talia voce refert:
Ex verbis & fronte cupis qui noscere mentem,

Invenies

Invenies nullam talibus esse fidem.
Crede mihi, pro quo gratantia verba parantur,
Verborum haud numero pectora fida probat.
Cernis adulantem, quoties augeris honore;
Cui forte invisus, vel male notus eras:
Cernis anhelantem; nulli vult esse secundus,
Ægrè lætitia cederet ille tibi:
Dextera porrigitur; flectuntur corpora; moxque
Formula gratandi sesquipedalis adest.
Dicere pro rostris dum Tullius iste videtur,
Quæritur interea par quoque sermo tibi.
Hæc suspecta mihi est facundia; nullus amori
Hic locus est, nunquam sic solet ille loqui.
Quin sæpe hunc tacuisse juvat, loquiturque tacendo,
Fictaque vox sequitur gaudia, vera stupor.
Rettulit ista mihi nequicquam multa querenti,
Atque ita delusum Musa reliquit iners.
Invita hac neque plura licet mihi dicere, quamvis
Hac etiam invita dicere plura velim.
BATTIERI, qui semper eras dignoscere cautus
Illud, quod solidum est, & quod inane crepat;
Da veniam, si nostra tuas attingere laudes
Musa timet: sunt hæc pectora nota tibi.

CLXXXIX.

Cl. BINNINGERO, *cum gradus Doctoris Medici ei conferretur.*

Binningeriadum quid Mors de gente triumphas,
Et jactas Medicos huic rapuisse duos?
Tertius inde tibi surgit non mitior hostis:
Ægros eripiet faucibus ille tuis.
Hunc quoque si tentas inimica cædere falce,
Nil agis: hæc Medicos gens dabit usque novos.

CXC.

CXC.

Magiſtro hoc gradu digno.

Qui datur innumeris, titulum ne ſperne Magiſtri:
Nam datur hoc paucis, quo tibi jure, datur.

CXCI.

Magiſtro parvulo.

Candiduli aſpiciens corpus, mirabere forſan,
Infantem grandis præmia ferre Viri.
At ne menſuram, doctrinam cerne; Magiſtrum
Procerum corpus non facit, illa facit.

CXCII.

Magiſtro bonæ-ſpei.

Cum te hodie titulo video gaudere Magiſtri;
Hic titulum ſine re non tibi dico datum.
Sed quid ſi dicam, nihil hoc dixiſſe nocebit:
Forſitan heicque ſpei non nihil eſſe datum.

CXCIII.

In feſtum V. C. JOH. JACOBI BATTIERII, *cum acidulis cum eo uterer.*

Feſtum, chare, tuum verſu celebrare volebam:
Sualbacis at verſus frigida Nympha negat.
Unum eſt quod voveam: tantiſper vive valeque,
Donec, Amice, mihi vena Maronis erit!

CXCIV.

In cimeliarchium Viri Ampliſſ. SEBASTIANI FÆSCHII, *JCti. Archigrammatei.*

Auſonias non miror opes Grajasque, ſed illum,
Qui tot opes capſis, majores pectore ſervat.

CXCV.

Celeberrimo nostro Mathematico JOHANNI BERNOULLI, *cum paucis ante nuptias diebus titulo Doctoris medici ornari voluisset.*

Sponsa prior medicina tibi est; sponsa altera virgo.
Est *Lea*, sponsa prior: sponsa secunda, *Rachel.*
Si *Rachel* Isacidæ non tam dilecta fuisset;
Nunquam duxisset forsitan iste *Leam.*

CXCVI.

In Nuptias

V. R. JOH. JAC. SCHROTBERGERI, *Bas. Concionator. Aulici Potentiss. Regis Borussiæ, Agnati sui.*

Quam vereor, penitus ne nos Agnate, relinquas!
Dulce nihil, quo te Patria ducat, habet.
Jam dignum meritis munus sedemque quietam,
Pascendumque dedit terra remota gregem.
Restabat Conjux: pulcram Basilea dedisset,
Hanc tibi sed pariter terra remota dedit.
Nil igitur nostræ, quo te sibi vindicet, oræ
Nunc superest; totum te peregrina tenet.
Non equidem invideo, grator sponsæque tibique,
Felix, ter felix conjugiumque precor!
Sperabam, fateor, tecum olim his vivere terris;
At nunc ex animo spes fugit ista meo.
Sed melior Patria est, ambos quæ denique junget,
Si nihil hæc, quod nos jungere possit, habet.

CXCVII.

Jocus in nomen hujus Sponsæ Gentilitium BONE.

Cur Tibi longinquis uxor quæratur in oris,
Caussa est, quod non fert quælibet ora *Bonam.*

CXCVIII.

CXCVIII.

In maritum uxoris vetulæ jocus.

Uxorem habes vetulam vietam, edentulam:
Hæc cum, tibi quam chara ſit, vis dicere;
Ut poſſe te loqui venuſte comprobes:
Uxore, ais, te nil *habere antiquius.*

CXCIX.

P. D. B. S. J. Amœniſſimi ingenii Viro, ſuo in thermis P. Convictori.

Miraculum, Pater, facis,
Miraculum ſtupendum.
Meretur hoc Miraculum
Canoniſationem.
Cogis ſequaces Zuinglii,
Et qui ſtudent Luthero;
(Quis hoc futurum credidit?)
Amare Jeſuitas.

CC.

Cum Clariſs. Collega ISELIUS, *ad recuperandam valetudinem ad thermas Plumbarienſes proficiſceretur.*

Quem tibi mittamus, ſi vis, Plumbaria, noſſe,
Iſelius docti eſt gloria prima chori.
Cuncta ſciens, unum hoc, à recto abſcedere, neſcit:
Ut, vir ſit, dubites, doctior an melior.
Mittimus infirmum, patriæ tu redde valentem;
Hicque tuæ vires, fac videamus, aquæ.

CCI.

Ad Amicos ſe verſibus laudantes.

Nemo fidem veſtris habebit laudibus,
Hic non amicis nec poëtis creditur.

CCII.

Difficilis vera in ſcribendo ſimplicitas.

Sim licet in ſcriptis ſimplex; tamen hæc mea nondum
Illa eſt, qua cuperem ſcribere, ſimplicitas.

CCIII.

Jocatur Auctor in ſtilum ſuum humilem & minime Poëticum.

Ne mirare meam, Lector, Muſam eſſe pedeſtrem:
Terra modo pedites fert mea, non equites.

CCIV.

In Solœciſmum ejus, qui voce faſces *uſus erat in genere fœminino.*

Faſces fœminei generis cur ſunt tibi? num, quod
Uxor habet faſces imperiumque tua?

CCV.

In hominem identidem uſurpantem phraſin: Caute mercandum.

Semperne an caute ſatis emeris, haud ſcio, Fanni;
Aſt ego te nugas vendere poſſe ſcio.

CCVI.

In hominem imaginario morbo laborantem.

Ægrotus hic ut convaleſcat, ſufficit,
Dicatur illi: ægrote ſurge & ambula.

CCVII.

Ad CATONEM.

Carmina nulla, Cato, me vis componere poſthac,
Doctoremque, inquis, non decet iſte furor.
Quod facio, carmen non eſt; epigrammata ludo:
Hoc quoque ſi furor eſt, iſte furor brevis eſt.

CCVIII.

Aliud.

Non mea naſutis populis epigrammata feci:
Scripſimus Helvetiis: nares procul eſte ſagaces!
Montibus in noſtris & talia bella videntur.

CCIX.

CCIX.

Epicedia & Epitaphia.

In obitum

Amplifs. Confulis JOH. RODOLPHI BURCARDI, *cui Catarrhus apoplecticus tribus ante obitum annis memoriam abstulerat.*

Suftulerat falcem mors, jamque intenderat ictum
BURCARDO, Conful jam moriturus erat;
Cum fubiere animum probitas, prudentia, virtus,
Gloria geftorum, fuadaque & oris honor;
Cætera quæ fuimus mirati in Confule quondam,
Et nunc cum tanto flemus adempta viro.
Ergo, ait, ergo opus eximium terræque polique
Delendum? miferet! non ego, non potero!
Dixit, & obliquat leviter falcemque manumque;
Non eft lethalis ictus, ut ante fuit.
Sed gravis eft ictus. Mors cum miferabile vulnus
Viderat, ingemuit, fubftitit atra manus:
Nec rurfum fuit aufa, femel quod ceperat, ufque
Dum ferret gelidas tertia bruma nives.
Gloria Rauraciæ vix te mors fuftulit: at quis
Eripiet nomen cordibus hifce tuum?

CCX.

In obitum.

V. Cl. JOH. RODOLFI WETSTENII, *Patris, S. T. D. & P.*

Non tua WETSTENI fors eft deflenda; beatum
Non eadem, quæ nos, te quoque fata manent.
Si flendum eft, leffus, gemitusque genasque madentes
Sors modo noftra, eheu! non tua, noftra petit.
Qualis eras, porro poterat prudentia nobis,

Et poterat pietas utilis esse tua.
Dum moreris, sunt hæc, sunt omnia perdita nobis:
Sed quanta in cœlis gloria parta tibi!
Tu frueris portu, mediis nos cingimur undis,
Inque procelloso vertimur usque mari.
Vix te perdidimus; quæ non audivimus; & non
Vidimus? & quæ non corda futura timent?
Quocunque aspicimus, premit omnia tristis egestas;
Terret crescentis nuncia fama mali.
Cernimus hæc pavidi, &, modo sint postrema, precamur;
Neu perimat nostram sæva procella ratem.
Fortunate senex, hæc ne tua lumina cernant,
Te Deus in tuto jam locat ille tuus.
Nos vero incerti, quid tandem fata minentur,
Sæpius optamus te cito posse sequi.

CCXI.

In obitum

V. Cl. JOH. ZVINGERI, *sui in Profess. Theologica Prædecessoris,*

Zvingerus tuus ille fuit: fle, Patria; nunquam
Fluxerit ex oculis justior unda tuis.
Non est quod pateris, non est reparabile damnum:
Zvingero nullum Raurica quære parem.
Si, quid perdideris, non cernis; denique cernes,
Alter cum steterit, quo stetit iste, loco.

CCXII.

In obitum

V. Cl. JACOBI BERNOULLI *Mathematici, Amici intimi.*

BERNOULLI primos inter numerande sodales,
Quo tandem funus prosequar ore tuum?
Quantum posteritas, quantum tibi debeat orbis,

Totum

Totum hoc BATTIERI mellea suada docet.
Hunc post Mæonidem tua quis præconia tentet?
Vox erat hæc meritis unica digna tuis.
Id solum superest quod nos, Charissime, tangit,
Atque unum hoc gratis versibus usque canam.
Quanta erat inter nos animorum junctio! qualis
Illa erat, & studiis quam fuit apta meis!
Quot nos, quam dulces una transegimus horas?
Cum memini, ex oculis, heu mihi! gutta cadit.
Prava tuam nunquam texit fallacia mentem;
Usque tibi concors frons animusque fuit.
Quod mihi prodesset, quodque oblectaret, habebas:
Et fuerant lepidis seria mixta jocis.
Ingenue detecta mihi monstrare solebas:
Quæ mihi monstrabas, omnia lumen erant.
Quæ vox non poterat, nunc instrumenta docebant;
Nunc calamo ante oculos picta figura meos.
Sæpe etiam crescens tua laus accendit inertem,
Atque animo stimulos subdidit usque novos.
Consequitur socius, quod non potuere Magistri:
Nec minimum doctus calcar amicus habet.
Forsitan iste foret telluris inutile pondus,
Quem condiscipulus non sinit esse rudem.
Sic tibi, BERNOULLI, fateor, semperque fatebor,
Atque uno hoc liceat solvere justa tibi:
Si quando hic animus, quid sit cognoscere, sensit;
Si quis eum cepit cognitionis amor;
Si me non aufert vanæ sententia turbæ,
Aut rapit incertam quælibet aura ratem;
Si minus atque alios me fallax ludit imago,
Ut, menti quæ sunt abdita, scire putem:
Si concinna mihi non omnia certa videntur:
Hoc ego præcipuè debeo, Amice, tibi.

CCXIII.

In

Venerabilis Senis JOH. LUDOVICI TRONCHINI, ***mortem placidam omnisque doloris expertem.***

Qui zelo Eliam, pietate æquavit Enochum,
Tandem par fato factus utrique suo est.
Cœli delicias adiit, non mortuus ante:
Nempe mori non est, absque dolore mori.

CCXIV.

In obitum

Rev. SAMUELIS GRYNÆI, *Consobrini* ***Past. & Decani Waldenberg. Capit.***

Te, GRYNÆE, etiam sociorum prime meorum,
Te mihi tam subito mors inopina rapit!
Prudens simplicitas, germana modestia, constans
Pacis amor, tecum contumulata jacent.
Nos primum sanguis, bissenos junxerat annos
Una domus, penitus pectora junxit amor.
Instar fratris eras, proh! nomen amabile fratris
Non satis est, plusquam frater amatus eras.
Una nos studiis dedimus, profecimus una,
Usque suo Samuel cum Samuele fuit.
Sic cœptum à teneris labenti creverat ævo
Fœdus Amicitiæ; perpetuumque foret,
Ni, quod nil poterat, tandem mors causa fuisset,
Firma adeo immiti rumpere vincla manu.
Eheu, cur porro, Charissime, vivere cogor,
Cum jacet exanimis portio tanta mei?
Ne quidquam tales divellere posset amicos,
Debebam pariter te moriente mori.

CCXV.

CCXV.

In obitum

V. Cl. JOH. GEORGII MANGOLDI,

Medici & Physici in experimentis faciendis solertissimi.

Antlia, vitra, tubi, Torricellique Cylindri,
Hygrometrum, Sipho, Thermometrumque vale.
Non ego vos posthac tracto; qui ponderet auras,
Extrahat, extendat, comprimat, alter erit.
Sic fatus noster, terrasque aurasque relinquens,
Surgamus, cœlos experiamur! ait.

CCXVI.

In obitum

Viri Generos. D. EMANUELIS FÆSCHII,

Chiliarchæ, postquam in Hungaria strenuè rem gessisset, in Patria ad præcipuas dignitates evecti, & paulo post mortui.

Tunc cum Fæschiadem jactaverat Hungara tellus;
Raurica ait, meus est, Hungare redde meum:
Dixit, & obtinuit: mox cœlum, falleris, inquit,
Non tuus est, meus est, Raurace redde meum.

CCXVII.

In obitum

V. A. EMANUELIS SOCINI, *Reip. Bas. Consulis. Defunctus loquitur.*

Nil habuit mundus, quod non congesserit in me:
Usque mihi felix longaque vita fuit.
Sed male cur longam voco? transiit: unica longa est;
De qua nemo potest dicere: longa fuit.

CCXVIII.

In obitum

V. A. JOH. HENRICI ZÆSLINI,

Trib. Pleb. Defunctus loquitur.

Usque fatigari, noctes curare diesque,
Sit Basilea domi splendida, tuta foris:
Mulcere alloquio Reges, placare potentes,
Vicinos Patriæ conciliare meæ.
His ego consenui: merui sic denique fasces,
Quos mihi grandævo Patria sponte dedit.
At nunc principibus nihil est populoque placere;
Una mihi prodest laus, placuisse Deo.

CCXIX.

Epitaphium

V. A. JOH. CONRADI HARDERI,

Archigram. & Triumviri, Viri rerum patriar. peritissimi.

QUISQUIS ES HUNC LAPIDEM QUEM CALCAS NOSCE VIATOR:
HOC TEGIT ARCHIVUM RAURICA TOTA SUUM.

CCXX.

In obitum

V. Cl. SIMONIS BATTIERII, JCti.

Mors fuerat exlex quondam, jam non sine lege est;
Nam cum Battierio Jus simul omne tenet.

CCXXI.

In obitum

V. Cl. NICOLAI PASSAVANTII, JCti.

Singularis judicii Viri.

Magnis sæpe Viris veniens ingrata senectus
Ingenii partem judiciique rapit.
Heu mihi, quam vereor ne patria nostra senescat!
Quantum huic judicii consiliique perit?

CCXXII.

CCXXII.

Ad Maritum

Suaviss. Conjuge viduatum.

Quod pateris, non est, inquis, reparabile damnum;
Si volet, hoc mundus non reparare potest.
Sed quid, Amice, vocas hoc irreparabile damnum,
Quod si nil aliud, mors reparare potest?

CCXXIII.

In obitum Amici.

Fluxa ego credideram dudum, charissime, cuncta:
Idne tua pariter morte docendus eram?
At rara hæc fuerant levis ah! meditamina mentis:
Ergo tam tristi morte monendus eram.

CCXXIV.

In obitum

JOH. CONRAD. RITSII, *summæ spei adolescentis.*

Invida Ritsiadem nobis in vere juventæ
Mors rapit, at quantas spes simul illa rapit.
Expectandus erat fructus, Libitina, futurus;
Carpere cur florem te juvat ante diem?
Fallimur: & fructus, nimis heu maturus! in ista
Visus erat planta, hunc carpere mors voluit.

CCXXV.

In obitum alterius Adolescentis studio Medico vacantis.

Viderat ut nostrum sibi plurima damna daturum
Mors, insigne malum præveniamus, ait.
Extemplo juvenis filum secat anxia; regno
Senserat illa suo posse nocere virum.

CCXXVI.

Epitaphium

V. C. JOH. JACOBI BUXTORFII,

Viri ab omnibus amati.

HOSPES SI NOSTI QUANTUM SIT CUIQUE PLACERE,
NE SPERNE HUNC MEMORI MENTE NOTARE LOCUM.
ILLAM ANTE OCCULTAM CUNCTIS MORTALIBUS ARTEM
QUI TANDEM INVENIT, CONDITUR HOC TUMULO.

CCXXVII.

Epitaphium

V. R. PAULI REBOULETI, *Ministri*

Eccl. Gall. Bas. Viri præcipuæ pietatis.

HOC JACET IN TUMULO REBOLETUS: FORTE VIATOR,
QUIS FUERIT QUÆRIS; VIR FUIT ILLE PIUS.
HÆCCINE TOTA VIRI EST LAUS? TOTA, SED OMNIA DIXIT,
QUI DE ALIQUO DIXIT: VIR FUIT ILLE PIUS.

CCXXVIII.

Epicedium,

In obitum PETRI WERENFELSII,

S. T. D. & Prof. Eccles. Antistitis, Parent. sui desideratissimi.

Ut Pater occiderat, simul expirasse videbar:
Si quæ restabat, mors ea vita fuit.
Erepti haud ætas poterat sedare dolorem;
Qualis adhuc, qualis, cum moreretur, erat?

Corporis

Corporis atque animi si spectat Parca vigorem ,
Credere me potius debuit esse senem.
Unum erat, afflictum quo me solabar, amicos
Forte aliqua luctum posse levare meum.
At mecum in lacrymas tristes solvuntur amici :
Et decus ereptum flent sibi quisque suum.
Parcite crudeles , communi ostendere planctu ,
Qualem sustulerit mors mihi dira Patrem !

CCXXIX.

Ad sororis Filium , nepotem τῶ Μακαρίτη charissimum προσφώνημα. *

Accipe delicium nostrum , spes maxima stirpis ,
Ultima verba tui jam morientis avi :
Non posco lacrymas : tu, si me diligis, usque
Volve animo vitam , volve revolve meam.
Hanc propone oculis , gressus hæc dirigat omnes ,
Totius & vitæ sit cynosura tuæ.
Ingenio disces studium assiduumque laborem ,
Et studio mores consociare pios :
Disces inde Deo confidere , lætus ubique
Spectare officium , prætereaque nihil :
Disces quicquid agas, animum vultumque serenum
Servare,& justum posse tenere modum :
Et recti studio conjungere pacis amorem ,
Veraque metiri pondere quæque suo.
Inde loqui caute disces & posse tacere ;
Et voce & prompta quemque juvare manu.
Disces usque tua contentus vivere sorte ,
Et placida quævis tristia mente pati.
Disces esse humilis , mitis, comisque, gravisque ,

Bbb 3 Candi-

* Is , ad quem olim , hoc προσφώνημα factum fuit , sororis est filius , tenellus tunc puer , nunc Logicæ in Acad. nostra Professor , & horum Opusculorum Editor.

Candidus, & priscæ simplicitatis amans.
Disces: plura vetat mors dicere, tu, mea si vox
Deficit, ex vita cætera disce mea.

CCXXX.

Epitaphium.

HIC OSSA PATRIS OPTIMI
ILLI SUPERSTES FILIUS
CUM LACRYMIS RECONDIDIT.
EHEU! PATRI SUPERSTITEM
QUID ESSE DIXI FILIUM?
SEPULTUS EST HIC CUM PATRE.

CCXXXI.

Ad successorem & Defuncti Parentatorem.

Post ossa terræ credita,
Famam Patris, qua nil mihi
Superest in orbe charius,
Zvingere commendo Tibi.
Famam Patris dulcissimi
Commendo cum fidei tuæ,
Commendo cum prudentiæ,
Quæ verba resque ponderat:
Commendo suadæ cum tuæ
Calamoque solertissimo,
Calamo loquenti posteris:
Commendo cordi cum tuo,
E quo mei nomen Patris,
Ut spero, non delebitur.
Tali Viro, talis Patris
Præconium cum defero:
Hoc est, quod optimo Patri
Præstare possim, maximum.

CCXXXII.

Aliud.

Ad eundem.

Invida cum raperet charum Libitina Parentem;
Flebam, sed flebat Patria tota simul.
Inclyte Vir, Patriæ Tu nunc cum fœnore reddis;
Quæ doluit nuper, rapta fuisse sibi.
In te, quem flebat, simul & quos fleverat olim,
Et Patrem & magnum Raurica cernit Avum;
Illa igitur lacrymas nunc jure in gaudia vertit.
At decus hoc meritis insuper adde Tuis:
Cum tota ut possim patria gaudere, Parentem
Redde, in quo reddes cætera cuncta, mihi.

CCXXXIII.

In Præmaturum hujus obitum.

Eccur tam subito terras, Zvingere, relinquis?
Cur ægros Medicus deseris ante Diem?
Cunctane jam Patriæ mala sunt sanata, nec ultra
Zelo & consiliis indiget illa tuis?
An potius nostra est sors desperata, nec ultra
Nos Zvingeriades ipse juvare potest?
Scilicet occidimus, si nos spectamus: at in Te est,
O Deus, extremis usque medela malis.
Fallor? an hæc tandem veniet? quod cernimus astrum,
Quantumvis trepidis spem superesse jubet.

CCXXXIV.

Ad Lectorem.

Aut prodesse volunt aut delectare Poëtæ.
Alterutrum satis est obtinuisse mihi:
Si qua parum prosunt, forte oblectaberis illis:
Quodque minus dulce est, utile forsan erit.

CCXXXV.

CCXXXV.

Aliud.

Nemo meos versus, puto,
Nugas canoras dixerit.
Non mente cassas nænias
Hic dulce commendat melos.
Quod hic placet, si quid placet,
Est versuum non optime
Sonantium sententia.

APPENDIX.

I.

In eos qui venam Poeticam consistere volunt in verbis.

Grande sonant versus, numerusque stilusque Poëtæ est;
Mens sed abest, magnis & sensa æqualia verbis;
Copia verborum non decantata Poëtæ
Vena est; illa sonos non usque eructat inanes;
Hi feriunt aures; animum non talia pascunt.
Ingenium Vatis facit hunc, non lingua Poëtam.

II.

Aliud.

Tune scias quid sit Vates, valde ambigo; nunquam
Sed fiam, ut video, Galle, Poëta tibi,
Dum comedo *panem* & *vinum* bibo. Tunc ero Vates,
Cum cibus *alma Ceres*, potio *Bacchus* erit.

III.

Auctor ad censores versuum suorum.

Si duros facio versus, hoc, dicere possem,
Commune est magno cum *Cicerone* mihi.

Sed tanto exemplo nolo uti, ne regerat quis;
Hoc unum magni Tu *Ciceronis* habes.

IV.

In amatorem troporum.

Quod tropice dicis satis haud intelligis ipse,
Ni clare & proprie dicere possis idem.

V.

In Auctoris perspicuitatem.

Si tua Scripta minus clara essent, forte putaret
Lector in obscuro magna latere libro.
At semper clare quia scribis, & hoc quoque clarum est,
Te nusquam in toto scribere magna libro.

Responsio.

Non mea scripta volo, quam sunt, majora putari;
Me puto, si prosum, scribere magna satis.

VI.

In eos qui confundunt sublime & obscurum.

Fallitur, obscurum cui celsum & grande videtur,
Perviaque indoctis vilia cuncta putat.
Non quidvis humile est, quod plebs quoque percipit ima;
Percipit & summi dicta tremenda Dei.
Constitit ingenio, nec parvo sæpe labore,
Quod lectum nullo turba labore capit.
Barbarus hic non est, quem rus intelligit omne;
Nec stupidi est, stupidis mentibus apta loqui.

VII.

In Carmen obscurum.

Frustra quid statuam misso de carmine quæris,
Talia nam, fateor, sunt nimis alta mihi.
Attingit nemo mentes in nube volantes,
Ni simul in celsis nubibus ipse volet.

CCXXXV.

Aliud.

Nemo meos versus, puto,
Nugas canoras dixerit.
Non mente cassas nænias
Hic dulce commendat melos.
Quod hic placet, si quid placet,
Est versuum non optime
Sonantium sententia.

APPENDIX.

I.

In eos qui venam Poeticam consistere volunt in verbis.

Grande sonant versus, numerusque stilusque Poëtæ est;
Mens sed abest, magnis & sensa æqualia verbis;
Copia verborum non decantata Poëtæ
Vena est; illa sonos non usque eructat inanes;
Hi feriunt aures; animum non talia pascunt.
Ingenium Vatis facit hunc, non lingua Poëtam.

II.

Aliud.

Tune scias quid sit Vates, valde ambigo; nunquam
Sed fiam, ut video, Galle, Poëta tibi,
Dum comedo *panem* & *vinum* bibo. Tunc ero Vates,
Cum cibus *alma Ceres*, potio *Bacchus* erit.

III.

Auctor ad censores versuum suorum.

Si duros facio versus, hoc, dicere possem,
Commune est magno cum *Cicerone* mihi.

Sed tanto exemplo nolo uti, ne regerat quis;
Hoc unum magni Tu *Ciceronis* habes.

IV.

In amatorem troporum.

Quod tropice dicis satis haud intelligis ipse,
Ni clare & proprie dicere possis idem.

V.

In Auctoris perspicuitatem.

Si tua Scripta minus clara essent, forte putaret
Lector in obscuro magna latere libro.
At semper clare quia scribis, & hoc quoque clarum est,
Te nusquam in toto scribere magna libro.

Responsio.

Non mea scripta volo, quam sunt, majora putari;
Me puto, si prosum, scribere magna satis.

VI.

In eos qui confundunt sublime & obscurum.

Fallitur, obscurum cui celsum & grande videtur,
Perviaque indoctis vilia cuncta putat.
Non quidvis humile est, quod plebs quoque percipit ima;
Percipit & summi dicta tremenda Dei.
Constitit ingenio, nec parvo sæpe labore,
Quod lectum nullo turba labore capit.
Barbarus hic non est, quem rus intelligit omne;
Nec stupidi est, stupidis mentibus apta loqui.

VII.

In Carmen obscurum.

Frustra quid statuam misso de carmine quæris,
Talia nam, fateor, sunt nimis alta mihi.
Attingit nemo mentes in nube volantes,
Ni simul in celsis nubibus ipse volet.

VIII.

In indoctorum Magistrorum Promotionem.

Hellada, quæ fuerat quondam cultissima tellus,
Ploramus Scythico succubuisse jugo.
Doctæ quid gentis fatum deflemus? apud nos
Sæpe & succumbit Græcia Barbariæ.

IX.

In inimicum rationis.

Quod tribuant homines sanæ nimium rationi,
Raro conqueritur, qui ratione valet.

X.

Aliud.

Displicet ipsa tibi ratio: merito mihi plaudo,
Quod mecum ratio displicet ipsa tibi.

XI.

In indoctum multos libros ementem.

Si vis doctior esse, Formiane,
Non novos opus est emas libellos,
Hos tantum lege quos habes reclusos;
Nec satis tibi sit libros habere.
Si plures emis haud magis legendos,
Tantum crescit inutilis supellex,
Quæ te non facit eruditiorem,
Sed reddit loculos inaniores.

XII.

Aliud.

Libri, quos tibi comparasse jactas,
Te quam sis rudis hi queunt docere,
Non ostendere, quam sis eruditus.

XIII.

Ad hominem sententiæ tenacem.

Mea, inquis, hæc sententia est,
Hanc veriorem judico.

Distin-

Diſtinctius ſed dic mihi,
Sententia hæc num ſit tua,
Quod veriorem judicas?
Sententia an, quod eſt tua,
Hanc veriorem judicas?

XIV.

Ad reſipiſcentia procraſtinatorem.

Cras pius eſſe cupis, *cras* cum venit atque recurrit,
Nunquam hodie, ſemper *cras* pius eſſe cupis.
Quam vereor, ne, cum tibi *cras* non amplius ullum
Eſt expectandum, *cras* pius eſſe velis.

* * *

Cras fieri melior ſtatuis, venit atque redit cras;
Nunquam es, quod ſemper *cras* fieri ſtatuis.

* * *

Olim, ais uſque, *olim* ſanctam volo ducere vitam;
Olim iſtud præſens nunquam eſt, manet uſque futurum.

* * *

Nondum, hodie dicis, *nondum*, cras, *nondum*, ais uſque;
Cur toties *nondum* dicis? dic denique *nunquam.*

* * *

Perverſos quoties mores mutare juberis,
Non, ais, hoc poſſum; potero creſcentibus annis.
Porro an peccando peccata relinquere diſces?

* * *

Qui non vult hodie, ſed cras reſipiſcere mavult,
Non vult ſcintillas, mavult extinguere flammas.

* * *

Flebo olim peccata, inquis: dementia nonne eſt,
Te facere id toties, quod vis deflere peractum?

* * *

Sat carni mundoque datum eſt, da denique Chriſto
Quod ſupereſt vitæ; forte parum ſupereſt.

* * *

Quod ſanus nequis, hoc ægrum te denique ſperas
Facturum; an ſano fortior æger eris?

* * *

Tandem, ais, in melius cœli me gratia flectet.
E cœlo ut veniat cœlumne offendere cupis?

* * *

Ante obitum pius eſſe cupis; jam nunc pius eſto,
Ante obitum certo ſi pius eſſe cupis.

* * *

Tunc volo cum mors inſtat, ais, reſipiſcere; ſerum eſt,
Vivere cum ceſſas, demum bene vivere velle.

* * *

Perpetuo in melius velles convertere mores;
Quod ſemper velles, fac aliquando velis.

XV.

In hominem de ingrato aliorum animo conquerentem.

Offendor, bonitas quoniam mea ſpernitur, inquis,
Quid quereris? tibi fit, quod facis uſque Deo.

XVI.

Cauſſa, quare Deus peccata, ſibi tam inviſa, permittat.

Gaudet Deus cum recte agit
Hic, agere qui ſecus poteſt;
Et qui Creatori ſuo
Præferre, quæ fecit, poteſt;
Is conditis cunctis tamen
Præfert Creatorem ſuum;
Hic eſt homo placens Deo.
Præferri ab hoc ſe non putat;
Præferre qui ſibi nil poteſt.
Qui, quod facit, non eligit.
Hic debitum facit ſuum;
Urendo ut ignis hoc facit,

XVII.

XVII.

In curiosum.

Cum quidam retegi sibi tectum à Principe vellet;
Quærit ab hoc Princeps, anne tacere sciat?
Ars hæc, spe plenus cum diceret, est mihi nota.
Est, regerit Princeps, hæc quoque nota mihi.

XVIII.

In quondam ægre ferentem factum suum aliis narrari.

A se quod factum est, aliis qui notificari
Fert graviter; factum num probat ille suum?

XIX.

In Indices expurgatorios.

Qui vetat ista legi, credit juste esse timendum;
Consona ne vero, qui legit, esse putet.

XX.

Aliud.

Commendare librum si vis, ne quære probantes:
Carior hic longe, si prohibetur, erit.

XXI.

De incitamento gloriæ Pseudo-Christianis necessario.

Olim ad virtutem stimulabat gloria gentes:
Majus Christicolæ, quo moveantur, habent.
Sed pauci dum sunt hoc digni nomine; laudis
O utinam possit prisca redire sitis!

XXII.

Ex occasione illius Virgiliani: AUDE HOSPES CONTEMNERE; *& Horatiani* SAPERE AUDE;

Si quis malos tot inter,
Tot impios levesque
Hypocritas tot inter,
Solo ore Christianos,
Nil Christiani habentes;
Si quis tot inter *audet*

 Corde

Corde esse Christianus,
Re Christianus esse,
Et non modo vocari;
Audacia ista magna est,
Audacia ista pulchra est,
Animoque digna celso;
Sed hoc simul, dolentes
Heu! cogimur fateri:
Hoc seculo maligno
Audacia ista rara est.

XXIII.

In HENRIADEM *celebris Poëta Galli.*

Si non cedere versus hi videntur,
Ipsis grandisoni modis MARONIS;
Non mirum tibi debet hoc videri;
Nam MARO redivivus ipse cantat,
Et hic vincere se, puto, volebat.

XXIV.

Aliud.

Gallia reddiderat terris plerosque Poëtas,
Unum non potuit reddere VIRGILIUM.
Plaudite *Sequanides* Nymphæ, tandem iste revixit,
Vestrisque in ripis *Arma Virumque canit.*
Nec dubitate tubam vos magni audire MARONIS,
Talem inflare minor nemo MARONE potest.

XXV.

In propos. eximii Poëta JOH. CASP. MALSCHII,
Musis & versibus valedicendi.

Hactenus *Aonidas* quicquid, Vir docte, rogabas,
Semper erant faciles ad tua vota Deæ.
Migrandi à *Pindo* veniam cum denique posces,
Aures hic faciles non dabit ulla tibi.
Linquere vis Musas; at non linqueris ab illis;
Nolentis claudet turba novena latus.

Te-

Teque renitentem sæpe inspirabit Apollo,
Et quod tentabis dicere, versus erit.

XXVI.

Ad Virum Illustrem LUCAM SCHAUBIUM,
Equitem.

Cum Patria egressum labyrinthi haud cerneret ullum;
Repperit hunc filo denique ducta Tuo.
Gratulor egressum Patriæ; sed lætor &, in Te
Qualem habeat Civem, quod Basilea videt.

XXVII.

Ad amicum ejusque uxorem, cum ambo Filii acerbi doloris caussa erant Parentibus.

Felices homines, quæ reddere posse videntur,
Hæc vobis larga sunt data cuncta manu.
Ne vos esse meos dubitetis, pars quoque vobis,
Christus ait, crucis est ista ferenda meæ.

XXVIII.

Ad eosdem cum caussa doloris brevi post erat sublata.

Pectoris angorem cum vobis lætor ademtum;
Usque salutaris sit maneatque, precor.
Præteriens fructum nisi crux in corde relinquat,
Non homini prodest præteriisse crucem.

XXIX.

Ad V. Ampl. JOH. JAC. HULDRICUM,
Consulem Tigurinum.

Tolle caput Pietas! redeunt tua sæcula terris,
HULDRICUS fasces nunc habet ille tuus.
Dum Patriam reget illa suam, reddetque beatam,
Ipsa reges tanti pectus ubique Viri.

XXX.

Ad V. A. FRANCISC. CHRISTIUM,
Archigrammateum, cum J. U. Doctor crearetur.

Non vacuum grator nomen; sed grator, Amice, No-

Nomen Doctoris quod tibi *jure* datur.
Magna quidem hæc laus est; longe est tamen altera major,
Nomen *Christicolæ*, quod tibi jure datur.

XXXI.

In Doctoratum D. DAVIDIS MÆRCKII,
Bruga-Helvetii, qui de FASCINO *disputaverat.*

Consueta poteras Doctor ratione creari,
Hocque decus nemo Te meruisse negat.
At quisnam audebit Doctorem accersere posthac;
Qui titulum obtinuit non sine *præstigiis*?

XXXII.

In Disputationem D. SCHAUFELBERGERI,
Bernensis.

Versum à vicino tibi poscere jure videris;
At sibi non vates condita jura putat.
Arida cum vena est, non legum *Justinianus*
Extundet toto corpore versiculum.

XXXIII.

Dn. JOH. THELLUSON, *cum Magister crearetur.*

Diva Themis Sophiam cum *Jano* nectere sertum
Cerneret; est, ait, hæc pulchra corona, Soror.
At me si posthac, quantum Te, *Janus* amabit;
A me serta tuis splendidiora feret.

XXXIV.

In nomen Dn. NICOL. SCHWARZII,
SS. Minist. Cand.

Quantumvis *niger* es, non es *Nicolae* cavendus,
Mens *nivea* est; solo nomine Tu *niger* es.

XXXV.

In effigiem Vener. OSTERWALDII.

Hic OSTERWALDI est levis umbra : ô viva loquensque
Illius effigies Pastor ubique foret !
Desineret caussas corrupti quærere mundi
Auctor, forte librum supprimeretque suum.

XXXVI.

In librum Eximii Viri JOH. ALPHONSI TURRÊTINI, *de Veritate Religionis Christianæ.*

Quisquis es, ambiguis si forsan passibus erras,
Et tua non satis est certa tenaxque fides;
Attento hunc animo Librum volve atque revolve;
Non hic ulterius te dubitare sinet.
Argumenta vides hic plurima, queis tibi CHRISTI
Relligio missam se probat esse Polo.
Eligit ex illis Auctor validissima quæque,
Et nihil admittit quod leve pondus habet.
Rectè dicta aliis non spernit; at utitur illis,
Semper ut accipiant lumen & ista novum.
Nil aliunde petit, quod clarius hic tibi dici
Non sentis, si res certior esse nequit.
Cernere te dices nunc demum in luce serena,
Per nebulas visum quod fuit ante tibi.

XXXVII.

In obitum Viri Ampl. BALTHAS. BURCARDI, *Reip. Bas. Consulis.*

QUID SIT HONOR MUNDI, SI NESCIS, DISCE VIATOR,
PATRIA SUMMA MIHI MUNERA CUNCTA DEDIT.
NUNC MIHI DE CUNCTIS POPULI VOX UNICA RESTAT;
ILLUSTRIS QUONDAM CONSUL ET ISTE, FUIT.

XXXVIII.

In obitum Ampl. Conf. JOH. JAC. MERIANI.

Non felix mihi visus eras, grave CONSULIS olim
Quando onus imposuit Patria nostra Tibi.
Ante obitum procul à mundanis vivere curis
Cum poteras, felix tunc mihi visus eras.

XXXIX.

In obitum Vir. Ven. JAC. CHRIST. ISELII,

SS. Theol. Doct. & Prof.

Epitaphium.

HEIC SUNT OSSA VIRI DIVINA HUMANAQUE DOCTI,
OMNIA MORTALI QUANTUM EA NOSSE DATUM EST.
DOCTIOR UT FIERET, SCHOLA COELI ERAT HUIC ADEUNDA;
IN NOSTRO HAUD POTERAT DISCERE PLURA POLO.

XL.

In obitum THEOD. ZWINGERI,

Medici Celeb.

ZWINGERI & Cives mortem & vicinia deflent;
Vah quanta illius turba reposcit opem!
At nos cur adeo Medicorum fidimus arti,
Quæ morti haud summos eripit Artifices?

XLI.

In obitum Ven. Sen. DAVIDIS CONSTANTII,

SS. Theol. in Acad. Lausannensi Professoris.

Grandævus, quem tot juvenesque senesque docentem
Audivere, Poli regna beata petens;
Nominibus nimium nostris, ne credite, dixit:
Nil CONSTANS hic, quem linquimus, orbis habet.

XLII.

XLII.

In obitum Ven. Antistitis HIER. BURCARDI.

Nomine eum jussi *Doctoris* in orbe vocari
BURCARDUM, illustris quamlibet actus erat.
Defuncto TITULUM dederam modo, sed quibus Ille
Emicuit vere, dona fuere DEI.
Hæc nos laudamus merito, memores tamen usque
Laudari à nobis munera missa Polo.
Nos tantum accipimus, quæ dat DEUS; omnis in isto
Est Dantis, non est accipientis, honor.
Ast accepta â Te Tibi da DEUS usque vicissim
Sacremus; donum est hoc quoque, SUMME, Tuum.

XLIII.

In obitum Ven. Sen. JOH. JAC. FREYI, *Pastoris.*

FREYGIUS heu! totum penè expectaverat ævum,
Vitam ut corrigeret patria terra suam.
Tandem hic *Justitiæ Præco* est ingressus in *arcam*;
Nonne quid immineat, Patria cæca, vides?

XLIV.

In obitum Rever. & Cl. JOHAN. BUXTORFII.

Qui Solymæ linguam nostris tradebat in oris,
Cœlestem Solymam non Peregrinus adit.
Majorum in terris vestigia presserat olim,
Et sedem in Cœlis nunc tenet ille Patrum.

XLV.

In obitum Rever. MATH. MANGOLDI.

Barbarus in terra factus MANGOLDUS, ad astra
Surgit, &, hic mea vox percipietur, ait.

XLVI.

Aliud.

Nil singulare sors habet MANGOLDII,
Auditus hic à plurimis, quod non fuit.
Solennis hæc querela ubique gentium est:
Viri probi non audiuntur amplius.

XLVII.

In obitum Rever. FRID. BATTIERII.

Terra Tibi sordet, socios vix amplius isthic
Invenis; in Cœlis, quæris, Amice, pares.

XLVIII.

In obitum Rever. THEOD. GERNLERI.

Vir pius infaustum quoties considerat ævum,
Materiam luctus invenit usque novam.
Quàm Tua nunc tandem mens est, GERNLERE, beata!
Non ultra nostris angitur illa malis.

XLIX.

In obitum CHRIST. EGLINGERI, *Medici.*

Ad pie defuncti liberos.

Ereptus est vobis Pater;
Summi sed hoc doloris
Levamen est: plane orphanos
Non vos pater reliquit.
Dum vixerat, non desiit
Vobis parare amicos,
Non in solo spectabiles,
Sed in Polo potentes.
Tot pauperes intelligo,
Et indigos, benignam
Sensere quot vestri Patris
Opem & manum jacentes.
Hos nunc habetis, credite,
Fidissimos patronos.

Horum

Horum ad Deum ſuſpiria
Vota & preces calentes,
Non gratiam mortalium,
Vobis ſed impetrabunt
Summi favorem Numinis,
Vos uſque protegentem.

L.

In obitum VINCENTII PARAVICINI.

Conrectoris.

Cum mihi quotquot erant veteres moriantur amici,
Noſtra, monent, ſors eſt cras ſubeunda tibi.

LI.

In obitum D. DAN. GEORG. KRAFT.

KRAFTE, decus juvenum, quod Te mors atra peremit,
Juſtitiam cauſſæ ſic probat illa ſuæ:
Huic juveni matura fuit, ſapientia, virtus,
Maturum nunquam carpitur ante diem.

LII.

Quid nomen Chriſtiani ab homine requirat.

Non eſt quilibet, eſſe quem putatis,
Non eſt quilibet ille Chriſtianus.
Crebro cœtibus intereſſe ſacris;
Hic audire Dei vias docentem;
Piam mente ſequi precationem;
Vocem jungere vocibus canentum;
Interdumque epulis ſacris adeſſe.
Certe hæc vilia non putare fas eſt;
Tales namque Deus requirit actus,
Conjuncto à grege publice colendus;
Sancta & his quoque vita promovetur,
Cum fiunt bene corde præparato.

At cui relligio putatur omnis,
His exercitiis vacare crebro,
In istoque labore terminari;
Quamvis sedulitas sit hæc inanis;
Et in templa quod usque & usque fertur,
Est semperque manet petrosa terra;
Cor nec desinit esse cor vetustum;
Nondum, credite, Christianus hic est,
Quantumcunque suos frequentet actus;
Sedes propria sanctitatis est *mens*;
Non hæc corporis est opus pedumque.
CHRISTI an discipulus potest haberi,
Qui nec discere cogitavit unquam
A se discere, quæ petit Magister?
Summo nempe animum Patri dicatum,
Ejus nutibus obsequi paratum;
Seque & quidlibet abnegare promtum.
Cor placabile, mite, amansque pacis,
Fratrum triste malis, bonisque lætum;
Quod cum læditur, haud amare cessat,
Factis usque suum probans amorem.
Cor sese abjiciens & ima quærens;
Doctum ferre crucem, patique amara;
Et dona hæc reputans Patris benigni;
Cor flocci faciens, & alta mundi,
Et jucunda, polum & superna spectans.
Hæc, hæc discere nos jubet Magister;
Nunquam destitit hæc docere voce;
Nunquam destitit hæc docere vita.
In his discipulos amat sequaces;
In his crescere vult sibi fideles,
Et hic quotidie esse doctiores,
Magnoque absimiles minus Magistro.
Quantum quis studio valet perenni,
Cœlique auxilio prece impetrato;
Huc contendere VITA CHRISTIANI est.

Aſt in talibus occupata nunquam,
Nec tendens, magis uſque habere mentem,
Quam vult diſcipulos habere CHRISTUS,
Pulchro hoc nomine Vita digna non eſt.

LIII.

AD INSIGNEM FLORUM AMATOREM.

Jucundi flores Tua ſunt ſi prima voluptas,
Hisque renidenti nihil eſt Tibi charius horto;
Fallor? an inſolitus cœlo venit ardor ab alto,
Teque ad ſe Deus ipſe operum fulgore ſuorum
Ducit, & hunc ideo Tibi florum inſpirat amorem?
Tu modo tam blando Te filo agnoſce trahentem,
Defixusque animo nitidis in floribus, aures
Et præbe Artifici per tot Tibi grata loquenti.
Nec talem Tu crede manum modo fingere flores,
Unde oculis veniat mox interitura voluptas;
Certè in tam parvum Deus hæc non prodigit uſum.
Tot miris hominum, quibus ars eſt omnibus impar,
Non modo vult oculos, verum ad ſe flectere mentes.
Panditur his ſolis, quod habent mirabile flores;
His ſolis magnus ſe florum detegit Auctor.
Mens hunc uſque poteſt quovis in flore videre;
Sed quoque vult Opifex quovis in flore videri.
Nec mentem in pictis cupit uſque hærere tabellis.
Scilicet ut Sponſæ dilectæ munera Sponſus
Dulcia mittit amans, non dono ut adhæreat ulli,
Sed nunquam ut chari ceſſet memor eſſe Datoris;
Mente Deus ſimili tot ditat floribus hortos;
Spargit in his nobis pulchra hæc munuſcula, largus
Ut Dator illorum non cordibus effluat unquam.
Parva hæc nemo putet, parva hæc ad grandia tendunt.
Nec nos Donator cupit his ſatiare figuris;
Ad magnum & ſolidum ſed gratis allicit umbris;

Ad

Ad ſuave æternum per mille caduca vocamur;
Et per grata oculis plene ad ſaturantia pectus.
Quo ſpectent, hortus Tibi quæ fert charus amœna,
Uſque Tui monſtrant, ſi vis attendere, flores.
Hi ſimul è terra ſurgunt, ad ſidera vultus
Tollunt formoſos, Cœlum his, Cœlum uſque tuentur.
Huc quoque Te ſpectare monent, huc tollere mentem
Hortantur, ſpecioſa Tibi quæcunque videntur;
Florum tot facies, tot odores, totque colores,
Tam variique, Deus, quibus hos decoravit, amictus.
Hæc oculos Te cuncta jubent, animumque levare
Immenſum ad Pulchrum, quod pulchri eſt omnis origo.
Prædicat hoc animis attentis floſculus omnis.
Non verni hic aliud flores ſerique loquuntur;
Et novus ut prodit flos, illius hæc quoque vox eſt.
Has Tu ſi procul à turri, tranquillus in horto
Florum non ceſſas voces audire Tuorum,
Et monitus ſequeris ſuaves ſimul atque ſalubres;
O Tibi quam blanda & dulcis via reddita cœli eſt!
Non per difficiles calles atque aſpera ſaxa,
Horrida ſylvarum nec per dumeta vepreſque,
Aſt, ô Felicem! per flores ibis ad Aſtra.

LIV.

De Legum humanarum invaliditate Epiſtola ad Aulum.

Qui depravatos mores & tempora luges,
Et flagitas meliora crebris à Numine votis,
Ne quid ab *humanis* expecta *legibus*, Aule.
Hæc mala non auferre unquam cauſſaſque malorum,
Pectora nec ſanare valent, animiſque mederi;
Sed tunc cum prohibent, vetitis ne corda fruantur,
In vetitum pergunt ſemper mala pectora niti,
Uſque & chara manent illis, quæ lege negantur,
Sæpe adeo ſunt chara magis quia lege negantur.
At non prava nocent, inquis, dum corde teguntur;

Sed

Sed quando erumpunt & facta hinc noxia surgunt,
Hæc rigidis leges possunt avertere pœnis.
A populo, fateor, salubre est avertere damna,
Et vitiis ideo magnum incussisse timorem.
Hic tamen & quam sunt infirma repagula leges?
Ah! minime nobis leges mandataque desunt.
Inter tot leges sed quanta licentia regnat?
Quem trepidum reddunt legum pœnæque minæque?
Quod vitium terrent? superest vix amplius ullum
Sollicita cura quod se putet esse tegendum.
Certe hominum leges cui multum posse videntur,
Nescit adhuc, quid sit vetitorum incensa cupido.
Hæc est indomitum quiddam quod cedere nescit;
Ingenium illius grande est, sollertia mira,
Fit magis usque audax, legesque eludere docta,
Et sæpe elusas prorsus contemnere discit;
Hydræ illa est similis, cui si caput amputat unum
Lex aliqua, hinc videas extemplo plura renasci.
Si parvis licet exemplis in grandibus uti,
Hoc vel sola queunt tot nos *mandata* docere,
Edita ut inflatæ carnis tegumenta reforment.
Quos unquam fructus toties iterata tulerunt?
Si qua amoverunt damnosa parumve decora,
Protinus usque novos cor vanum invenit amictus,
Et magis ac prisca & majori jure vetanda.
In tam futilibus si cor tam fertile vanum est;
Quid non inveniet cor avarum aut ambitiosum?
Hujus vix quicquam vafris conatibus obstat;
Cum lubet ipsam etiam legem in sua commoda vertit.
Et quales vitiis velles opponere leges,
Quæ rapidum illorum cursum bene sistere possent?
Si lex ambigua est, sic est gratissima multis.
Judicis arbitrio plus lex obscura relinquit,
Quam si perspicue dictat, quid jura requirant:
Quod si lex est clara satis pariterque severa,

Terrori timidis tantum eſt rigor iſte columbis;
Judicis à Zelo favor atque potentia tuta eſt;
Et cum non audet convictum abſolvere ſontem,
Efficit, ut talem nemo convincere poſſit.
Magno hic ſubſidio eſt perplexa ſcientia juris,
Cauſſidicuſque vafer leges torquere peritus.
Sæpe ſedet judex, rectum ſecernere iniquo
Non doctus, cauſſas alieno lumine cernens;
Et ſi lucem aliquam natura aut ars dedit illi,
Judicis ah! quot ſunt, quæ nubila lumina reddunt!
Huic mentem offuſcant ſperata, illique recepta;
Hic expectat opem; timet iras ille potentum;
Efficere hic gratos; grates cupit ille referre,
Lenis hic eſt, quoniam virtute hac indiget ipſe;
Parti alter, quæ ſe neſcit placare, ſeverus;
Hic facere officium calidi dum tendit amici,
Judicis officio ſe fungi non memor unquam eſt.
Quærit ab agnato, quid poſcat ſanguine junctus;
Sollicituſque parum eſt, quid lex à judice poſcat.
Hic tu ſi culpam removes à legibus, Aule,
Inque homines transfers; dic, quæro, quid tibi Lex eſt?
Judicis hæc norma eſt, non hæc ſeſe applicat ipſa,
Ni facit hoc opifex, norma hæc eſt vana ſupellex:
Nec plus ſperandum eſt cunctis à legibus unquam,
Quam ſperamus ab his, leges qui reddere debent
Viventes, ſalubreſque bonis; praviſque timendas.
Magnis ſi mandata animis cuſtodia legum eſt,
Illæque inveniunt *Torquatos* atque *Seleucos*,
In juſtum intentos unum patriæque ſalutem,
Tunc leges, tunc ſunt aliquid, ſacrumque merentur
Dici depoſitum, perque has Reſpublica vivit.
Parva ubi Regnantum eſt virtus, legum quoque parva eſt;
Et quando extincta eſt, leges ſunt nomen inane.
In pauca ut redigam, quo dicta hæc omnia tendunt.
Una poteſt lapſis rebus ſuccurrere Virtus,

Et

Et Pietas animos Procerum populique gubernans:
Hanc non pectoribus legum pœnæque minæque
Intrudent, veniat divinitus illa necesse est.
Hinc ô descendat cunctorum in pectora tandem!
Et leges hominum justæ quoque plura valebunt.

L V.

In proprios contra quantitatem errores.

Dum quantitatem syllabarum ponderat
Poëta, sensum sæpe versus negligit;
Intentus at dum sensui sum carminis,
Obliviscor quantitatis Syllabarum.

L V I.

In laudem CARDINALIS DE FLEURY, GALLIÆ, *nisi sit dicendum totius* EUROPÆ NESTORIS.

Vim temperatam Di quoque provehunt in majus.
Horatius.

Ne quis RICHELIOS mihi jactet, vel MAZARINOS;
Pax, quam FLEURIADI, debes, Te, GALLIA magnam
Una facit; tantum non hi valuere MINISTRI.
Sed Patriam non huic satis est spectare potentem,
Prospiciens longe mens NESTORIS, at cavet usque,
Ne populis fiat crescens invisa potestas.
Amplis sitque licet nunc GALLIA viribus aucta,
Credere JUSTITIÆ CUSTOS non hanc sinit unquam,
Plurima cum possit, se posse & quod sit iniquum;
Nec cupit ut monstret, se nunc magis esse timendam;
Sed vires crevisse sibi, queis prosit amicis,
Atque salutiferam TOTI se comprobet ORBI.

* * *

Hos qui versiculos fecit non ille Poëta est,
Celsam at virtutem mirari haud forsan ineptus.

Auctor ad Lectorem suorum Opusculorum.

Toto hoc in libro, quæ sunt mala, sunt mea cuncta;
Sed bona non simili vendico jure mihi.
Fac Tu, Lector, idem; mala cum legis hæc mea crede;
Venisse ex alio sed mihi fonte bona.

FINIS MISCELLANEORUM PARTIS ALTERÆ.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

Cartesius

D.

persuasionem

E.

pacta

I.

L.

earum

eorum

cur

ejus

Sympathetici

F I N I S.

ERRATA

TOMI PRIORIS.

PAgina 51. linea 39. christianissimi, lege christianismi.
Pag. 54. lin. 10. optimae, lege opimae.
Pag. 101. lin. 10. ista, lege ita.
Pag. 125. lin. 13. cernunt, lege cernuntur.
Pag. 127. lin. 31. ferunt, lege fuerunt.
Pag. 135. lin. 20. adversetur, lege aversetur; & lin. 22. supplicis, leg. suppliciis.
Pag. 183. lin. 25. Christum, adde intueri.
Pag. 243. lin. 36. ita, adde ut.
Pag. 265. lin. 31. Κρισὸς, lege χρισὸς.
Pag. 268. lin. 29. quid lege qui.
Pag. 285. lin. 9. ut, lege qui.
Pag. 320. lin. 19. nudis, lege nudos.
Pag. 324. lin. 31. munus, lege muneris.
Pag. 369. lin. 4. post occurrunt, adde quos coarguant; sed occurrunt identidem peccatores obstinati.
Pag. 381. lin. 38. post verbum concitare, adde quam errantes convincere & convertere. Non est zelus Dei, qui nihil fere aliud producit, nisi pravas suspiciones.
Pag. 407. lin. 19. expertas, lege experta.
Pag. 418. lin. 15. infucatae, lege non fucatae.
Pag. 435. lin. 30. explicata, lege explicita.
Pag. 438. lin. 20. Pontificiis, adde objicit.
Pag. 451. lin. 25. Reformatis, lege Lutheranis.
Pag. 452. lin. 25. explicantes, adde constituunt.
Pag. 457. lin. 6. Flacci, lege Flaccii; & lin. 24. in plurimis, dele in.
Pag. 482. lin. 9. ista, lege ita; & lin. 10. nulla, lege nullam.

TOMI POSTERIORIS.

PAg. 40. lin. 8. scientia, lege scientiae.
Pag. 78. lin. penult. minari, lege mirari.
Pag. 119. lin. 36. quodam modo, adde movere.
Pag. 150. lin. 39. spatia, lege ne spatia.
Pag. 152. lin. 3. tulleris, lege telluris.
Pag. 162. lin. ult. separati, lege separari.
Pag. 220. lin. 19. facit, lege fecit.
Pag. 235. lin. 29. ut, adde repraesentet.
Pag. 240. lin. 22. historiones, lege histriones.

Pag. 241. *lin.* 19. vitibus, *lege* viribus; & *lin.* 27. quo, *lege* quae, & *lin.* 28. possunt, *adde* nec enim omnia possunt.
Pag. 244. *lin.* 30. *dele* de.
Pag. 257. *lin.* 9. microoscopio, *lege*, microscopio.
Pag. 264. *lin.* 25. pupillis, *lege* pullis.
Pag. 272. *lin. penult.* ambionem, *lege* ambitionem.
Pag. 274. *lin.* 29. diximus, *adde* in.
Pag. 283. *lin.* 20. Democratem, *lege* Democritum.
Pag. 285. *lin.* 19. *dele* ipsi.
Pag. 290. *lin.* 31. quidem, *lege* quidam.
Pag. 293. *lin.* 24. homines, *lege* hominis.
Pag. 298. *lin.* 11. duae, *lege* sequentes.
Pag. 300. *lin.* 13. Academico, *lege* Ecclesiae.
Pag. 308. *lin. ult.* quae &, *lege* aut.
Pag. 310. *lin.* 3. imputantur, *lege* non imputantur.
Pag. 314. *lin.* 322. effectus, *lege* affectus.
Pag. 324. *lin.* 34. est, *lege* sit.
Pag. 337. *lin.* 6. non confirmat, *dele* non.
Pag. 343. *lin.* 29. *dele* secundo.
Pag. 353. *lin.* 37. levi, *lege* gravi.
Pag. 358. *lin.* 24. *ετέχεσ*, *lege* *ἐπέχειν.*
Pag. 362. *lin.* 3. observatis, *lege* observabis.
Pag. 364. *lin.* 23. majoreque, *lege* talique.
Pag. 376. *lin.* 21. minores, *lege* majores; & *lin. ult.* edi, *lege* edit.
Pag. 379. *lin.* 31. observari, *lege* obversari.
Pag. 398. *lin.* 22. toties, *adde* audiens; & *lin.* 39. dicere, *lege* diceres.
Pag. 400. *lin.* 37. quod, *lege* quos.
Pag. 409. *lin.* 25. qui, *adde* ut.
Pag. 418. *lin.* 3. virtute, *lege* virtutes.
Pag. 428. *lin.* 21. patiebatur, *lege* partiebatur.
Pag. 429. *lin.* 4. Brulatus, *lege* Brulardus.
Pag. 430. *lin.* 19. modi, *lege* methodi.
Pag. 435. *lin.* 6. modo, *lege* non modo.
Pag. 442. *lin.* 35. dicendum, *lege* dicentem.
Pag. 452. *lin.* 17. quocunque, *lege* quoscunque.
Pag. 472. *lin.* 1. paratis, *lege* parati.
Pag. 523. *lin.* 26. nobilibus, *lege* nubilibus.
Pag. 564. *lin.* 4. cupis, *lege* pergis.
Pag. 570. *lin.* 18. POLO, *lege* SOLO.
Pag. 576. *lin.* 16. turri, *lege* turba; & *lin.* 32. adeo, *lege* ideo.

Si quae sphalmata in vocibus Graecis & Hebraeis occurrent tibi, L. B., ea ex collatione textus & versionis facile emendabis.